Anatomia 23. Partis 2æ — 228

Semen metallicum 105 partis 2æ

Semen 141. eiusdem partis —

Virtus magnetica supercelestis — ibidem

Motus, lumen, et calor sidereus 142. eiusdem partis

Archeus terræ 144. eiusdem partis —

Basilij Valentini Laus 140. Partis secundæ —

Aqua 209. Partis secundæ

XX/XC 3.8

N. A. 25

SPHÆRA MIRABILIUM

CREATIONIS, CREATURAE, CREATORIS,

OPUS TRIPARTITUM

AUCTORE

GEORGIO Scholtz.

WOLFERBYTI,

Typis JOHAN. *BISMARCI*,

Apud JOHANNEM NAUMANNUM, Bibliop. Hamb.

ANNO M. DC. LIV.

OBLATIO DEDICATORIA

Date Deo quæ ſunt Dei

Suſcipe igitur

ô

CREATOR,

Munuſculum primitiarum talenti concrediti,

&

CREATURAM TUAM,

Sub umbris alarum tuarum protege & conſerva AMEN.

PARS PRIMA
REVELATIO
CREATIONIS.

PRÆ-

PRAEFATIO.

TItulus hujus libri est sphæra mirabilium, sphæra quidem, quia tractat de universo; ejusq́; formam imitatur in centro, extensione, & circumferentia. In primâ parte considerat intellectus creationem ex revelatione divinâ: In secunda creaturam in sua natura: In tertiâ creatorem in suis operib⁹. Prima incipit à circumferentia rerum, & procedit descendendo usq; ad centrum universi. Secunda incipit à centro, & progreditur ascendendo usq; ad circumferentiam: Ubi rursus reperiens Creatorem, laudem hujus tertiæ parti committit, quæ totum in toto concludit. Ne ergo mireris de titulo hoc glorioso, revera enim competit operi propter excellentissima sua objecta. An non mirabilis est revelatio Dei de rerum creatione? cujus sola dispositio sub simplici specie apparens, ordinatissima tamen sua pulchritudine, omnem veritatem Creationis Creaturæ & Creatoris repræsentat, qua considerata, o-

mnes opiniones falsas & seductrices facilè percipimus & despicimus. An non mirabilis est cõcordia totius naturæ cũ verbo revelato, ex qua consensum verborũ & operum Dei perfectum observamus? An non mirabilis est potentia & natura Dei infiniti, qui cum incomprehensibilis sit, tamen per imagines suas, quas creaturis suis impressit, se comprehensibilem reddit intellectui humano finito, ita ut magnum parvo includatur, & totum à parte capiatur quasi pars quædam in toto, quæ tamen pars minima cognitionis Dei, major est toto intellectu, in quo residet? Hæc igitur admiratione dignissima existunt. Ne autem mireris considerans è contrario conamẽ debilitatis meæ, me post tot viros excellentissimos ausũ fuisse loqui de hac materia. Ejus enim amplitudo tanta est atq; profunda, ut aqua hujus chaos non facilè ab hoc vel illo exhauriatur. Dei enim benignitas tam liberalis, ut omnibus miracula sua quærentibus sat divitiarum ex thesauris suis offerat. Multi commentaria sua super principium geneseos doctissima ediderunt, nullus tamen (quantum ego scio) excel

excellentiam ordinis in eo latentem perfectè deprehendit. Mihi à Deo hæc gratia concessa, ut, si nec ego omnia ejus mysteria observaverim, attamen quæcunq; bono publico collegi, rubore verecundiæ haud suffusus offerre possim, utpote propria, non furto ab aliis ablata, ulterius tamen excolenda & perficienda. Non exigui temporis est labor iste, sed ab ipsa ferè juventute ad ætatem virilem usq; protensus, multo studiô, vigiliâ, meditatione. In hac peregrinatione duas reperi vias, alteram Platonicam, alteram Aristotelicam; utramq; bonam, nullam tamen certam, & ad supplementum perfectum deducentem. Plato incipit ab intellectu & finivit in sensu, rediens iterum per reflexionem in intellectum via circulari. Aristoteles contrarium fecit, cum perspiceret intellectum esse otiosum, nisi per sensum excitaretur. Ego autem dum imbecillitatem naturæ humanæ observarem, & tam sensum quàm intellectum incerta proponere, auxilium divinum suscepi, ac super fundamentum ab ipso positum, quæ scribo, extruxi; quo factum, ut potius Platonica quam Aristo-

telica via ad metam propositam pervenerim. Nam verbum Dei incipiens à principiis universalibus simplicibus dilatatis, sensui absconditis, & soli rationi patentibus, ex effectis deduxit me ad sensibilia composita, & coarctata, à quibus rursus ad simplicia illa objecta adscendi, ut creatori & doctori meo laudes humilimas offerrem. Sed forte miraberis, quod in hoc opere universali fere nihil de præcipuis creaturis tractaverim, de Angelis videlicet & homine. Tractavi equidem non pauca, sed sparsim, cujus causas audi: Prima est, quod in parte primâ non erat animus scribendi alia, nisi ea quæ sensus apertus videtur continere: Ea enim, quæ mystica ibi latent, à multis viris sanctis & doctissimis sunt enucleata, ex quorum ordine Princeps Mirandulanus non ultimum sibi vendicat locum, qui licet juvenis verus tamen tanquam sapientiæ princeps ac parens inter primates & seniores residet. Altera verò hominem spectat, cujus natura quamvis punctum tantum sit; attamen punctum universi est, tantæq; capacitatis, ut in hujus libelli cancellis locum sat amplum non

repe-

repererit. Hisce tibi Amice lector satis factum puto, rogas ut ea, quæ legens candido & benigno oculo conspicias, excuses, atq; etiam, quæ non placuerint, corrigas, amplifices, exornes. Tu autem momme scelerate, cujus lingua serpentina ne quidem sanctis in cœlo parcit; audivi sibilum tuum. Ecce materiam vel curiositatem tuam saturandi vel audaciam repellendi aptam. Hæc si non suffecerit, expecta tantisper, donec aliam, quæ sub manibus est, Deo auxiliante, absolvero. In his quidem mentem meam tibi interius & ex longinquo revelavi, in illis autem quæ germinant, eam totam apertam ex propinquo conspicies. Admove oculos, vel amove, mihi perinde est. Quod si cibus iste nimium delicatus tibi non arriserit ob ignorantiæ tuæ crassitiem, obmutescat malitia, & carduis tuis vescere: Hæc enim in pratis & pascuis tuis non ereverunt.

Cap. I.

De Chao & ejus partibus per Creationem productis.

In Principio Creavit Deus Cœlum & Terram.

IN hoc versu primo notandum verbũ in Principio, quod quidam altius intelligentes sentiunt, per Principium intelligi Deum ipsum, qui est prima causa omnium rerum. Nobis autem videtur, quod per principium etiam indicetur initium non tantum creaturarum, quod sc. per creationem inceperint esse, sed etiam initium temporis, quod una cum iis rebus, quæ tempore debebant subsistere, ipsius etiam temporis principium prodierit. Mundus enim corporeus totus est in tempore & in eo fit & conservatur: consentaneum igitur est rationi, temporanea non sine tempore prodiisse. Consentaneum quoque est, Tempus, quod nunquã est, sed semper fit, non semper ab æterno fuisse, sed aliquando esse, & fieri incæpisse. Post temporis punctum statim nominat causam efficientem creationis scilicet Deum.

A

Et

Et mox definit partes duas principaliores, quæ fuerunt à Deo Creatæ: Ubi considerandum, quod cœli terræque specialis productio, quatenus pro tempore existunt atque videntur, non statim in principio neque etiam in primo die fuerit à Deo tractata, sed quod tantummodo v. 8. 9. & seq. recenseatur. Unde quidam moti putarũt, quod in isto versu Moyses tantũ modo quasi disponendo & præparãdo vel tanquam in titulo, cœli Terræq; creationem describat, quæ postea suo loco latius deducit. At tamẽ diligentius circa hoc est cõsiderandum. Nam v. 8. 9. describit proprie separationem partium jam creatarum in confusione vel chao: aliud enim est creatio vel productio alicujus rei, aliud ejusdem à cæteris creatis separatio. Illa enim rem ponit in esse. Hæc vero in esse tale. Moyses igitur in hoc 1. v. indicat potius creationẽ Rari & densi in una massa confusa, ita ut creata sint, nõn sub specie cæli vel Terræ separata, sed sub quadã tertia, quæ neque erat rara, neque densa, sed media, scilicet sub forma aquæ cujusdam spissioris, quæ tunc utcumq; tam cœlum quam terram in se continebat, Unde etiam statim versu sequente subjungit, & Spiritus Dei agitabat sese in superficie aquarum, sine quod præmittat aqua-

rum

rum creationem. Hinc etiam dubium illud solvitur, quod oriri posset, num aquæ forte non fuerint creatæ, sed tanquam Materia quædam prima præextiterint, ita ut Deus reliqua inde eduxerit. Moyses enim nullã mentionem specialem inde faciens, intellectui humano hoc dimisit dijudicandum ex cæteris narrationibus, quas proponit.

Terra autem erat desolata & inanis. h.l. describit naturã terræ sive corporis densi, qualis fuerit in ista chaos confusione, & antequam à Deo specialibus virtutibus ornaretur. Cur autem de cælo non eadem dicit? Forte ob id, quod cælum ornamenta sua non produxerit sicut terra ex seipso, neq; unquam jam producat, sed quod per specialem divinitatis operationem luminaria & stellæ aliunde evocatæ atq; in cælũ collocatæ fuerint, ut habetur v. 16.

Abyss. *Tenebræ erant in superficie voraginis vel Abyssi. Abyssus in sacris literis sæpe sumitur pro profunditate aquarum vel marium, hoc loco autem non idem designat; sed multum quiddam differens. Denotatur enim hoc vocabulo infinitudo quædam, sed non totalis, ast quæ ex una parte quasi sit definitum quiddam, ex altera autem minimè, hinc etiam*

ipsi

ipsi tribuit superficiem, superficies autem est exterior facies alicujus corporis, qualiscunq; tandem forma corpus illud existat. Et talis quidem superficies non tantum in una parte locum habet, sed per totum corpus undiq; vagatur, ita ut nihil sit in toto illo corpore, quod superficiem in se non contineat, hæc enim capit longum, latum & profundum. Abyssus igitur ista videtur esse aliquid corporeum, ast ex una parte tantum definita, ex altera minimè. Cum autem mundus vel universum non nisi sub perfectissima forma vel creari vel esse vel imaginari possit, cõcludimus sanè sine omni hæsitatione, superficiem istam Abyssi fuisse aliquid Sphæricum, ex centro lineis & circumferentia constans. In hisce igitur tam Materia quam forma totius Universi Quantitativa continebatur. Abyssus á plurimis considerata fuit tanquam materia universi, verum si accuratè respexeris, tota Abyssus non est Materia; Sed materia est tantũmodo pars illius se. Abyssi, ea nempe, quæ à superficie Sphærica in ipso creationis puncto fuit occupata. Imo Abyssus potius est locus Materiæ & formæ universi Quantitativæ, quæ in ea tanquã locatum continebantur. Quod si igitur per abstractionẽ intellectus Materiam nudam

dam per se conspicere desideras, opus est ut superficiē abyssi ipsi concreatā separes, & id, quod remanet, tantum erit Materia, non autem tota Abyssus, sed id quod ita dispositū est ad recipiendā superficiē Sphæricam seu formā quantitativam; Reliquum autē Abyssi, quod nunquam ulla forma vel occupatū vel occupandum est, nulla ratione pro materia sumi potest; Hæc enim talis est, ex sola potestate vel prædispositione sui ad formam, quæ proprietas Abysso generaliter sumpto minime competit. Materia igitur & forma universi continebantur in medio Abyssi: Hæc enim ab utraq; extremitatum Materiam formamq; dictam attingebat, in centro sc. & circumferentia. Tam enim centrum quam circumferentia rerū infiniti imaginem repræsentat, alterum in infinitum existens coactibile, alterum extensibile, utrumq; autem divisibile absq; fine. Tenebræ autem erant in superficie Abyssi & per consequens in Materia & toto universo. Erat igitur chaos quoddam seu confusio in partibus, informe propter absentiam perfectioris suæ formæ seu lucis, & occupatum ab imperfectiori qualitate, quæ erant Tenebræ, licet ex parte quantitativa jam esset generaliter definitum vel determinatum.

Et

Et Spiritus Dei agitabat ſeſe in ſuperficie Aquarum. Primum ex creatis fuit Abyſſus, & în ipſa ſuperficies, in ſuperficie Materia & Tenebræ: In ſuperficie Materia & Tenebris Aquæ: In Aquis cœlum & Terra, liquidum, humidum, ſiccum, frigidū, rarum, denſum, Circumferentia, extenſio, centrum, & hæc omnia, ſine diſtinctione in tenebris jacebant. Nota autem, quod ſuperficies aquarum & ſuperficies Abyſſi diſtinguantur. Hæc enim eſt forma Quantitativa Materiæ Sphæricæ, continens in ſe rationem Quantitatis continuæ & extenſæ. Aquarum verò nomen plurale, multitudinis ſeu quantitatis diſcretæ rationem atq; initium nobis pandit, & non tam univerſi formam quam partium ejus, habemus igitur totius Quantitatis vera principia: In Principio *initium temporis, in ſuperficie Abyſſi, extenſionis, in ſuperficie aquarum, multitudinis quaſi in plurimis corpuſculis ſeu atomis conſiſtentis, quorum quodlibet tamen eſſet aliquid totum vel unum in ſuo centro & circumferentia, Abyſſum tangens, & tamen tenebroſum, & omnia ingentem multitudinem non tamen infinitam conſtituentia, quia in ſuperficie continebantur ſicut univerſum in ſuperficie Abyſſi. Hoc inſuper bene notan-*

dum

dum est in consideratione aquarum, quod tum temporis sive in Principio multum erant differentes in forma sua ab aqua illa, quam nunc videm⁹, sive marina sive fluvialis, quia tunc temporis adhuc in se continebant Cœlum & pulverem Terræ, quæ postea ab ipsa fuerunt separata, quibus amissis necessario etiam debebant amittere suas proprietates, & per consequens suas Formas, & Formam Aquæ nunc esse differentem ab illa.

Quod verò ad Spiritum Dei attinet, sunt quidam, qui per vocabulum ventum intelligunt, præcipue Hebræi & illi, qui Inimici existunt Doctrinæ de Trinitate. Quidā verò philosophantes putant, hunc esse Spiritū illum vitalem seu igneum, toti mundo adhuc infusum & in ipso operantem. Sed pace ipsorum dixerim, quod maximè errent, Effectum pro ejus causa sumentes. Ventus enim non poterat esse, quia chaos nondum in se habebat causam moventem, quæ omnis mobilis mobilitatisq; origo existit.

Quod autē ventus sit aliquid mobile & quod ex corpore aquæ rarificatæ generetur, patet ab ipsa experientia, quæ rarefactio non potest fieri nisi per ignem flammæ vel alium calorem propellentem, vel per vitale quoddam

prin-

principium, in quo vera omnis motus causa & radix fundatur. Ignis autem tunc nondum erat, quia nondũ erat lux, ex qua omnis ignis etiam lucens & ardens sumit initium. Hinc etiam altera opinio facile refellitur: cum Spiritus ille vitalis, de quo dicti philosophi loquuntur, sit ex parte corporeus & planè vel juxta eorum sensum non possit esse absq; luce. Nondum igitur existente vita in chao non erat motus et per consequens non potuit esse ventus neq; Spiritus vitalis & lucens; Sed Spiritus ille Dei, de quo Moyses loquitur, necessario fuit productor horum omnium statim & in principio, quæ à seipsis existere minimè potuerunt. Et licet concederetur, ista omnia sese tunc in superficie aquarum agitasse, nequaquam tamen posset excludi, causa illa, omnis vita, motus, venti & Lucis, quæ ut dictum ex seipsis non possunt subsistere, sed per progressum quendam divinum, qui Spiritus Dei re vera & non similitudinariè appellatur. Ab isto igitur Spiritu per divinam quandam ac omnipotentem agitationem illa omnia in Principio chao introducebantur: unde etiam postea Aqua & Terra ista potestas in erat producendi animas viventes, quas jussu Dei produxit & ad majorem perfectio-

nem explicavit. Nunc autem hæc omnia latebant adhuc in tenebris Abyssi. Hanc etiam productionẽ vitæ vegetativæ in Chao, ex ipsius Lucis postea in eo creatæ natura conjicere possumus, Effectus enim lucis nunquam sine vita existunt quod quidẽ testatur totus mundus, licet Moyses mentionem specialem hujus vitæ ubiq; vigentis nullam faciat, Quæ quidẽ vita tam in cœlo quàm in terra perpetuò operatur, unde etiam Moyses ipsam silentio præterit, tanquam rem adeo perspicuam, ut non nisi cæcus, tam oculis, quam ratione ipsam nõ videat, Quod autem Spiritus Dei maximas hasce virtutes toti chao agitatione sua impresserit etiam inde patet, quod tantùm in superficie aquarum sese agitaverit, unde pro certo concludi potest, hunc Spiritum ab aquis & omnibus chaos partibus esse aliquid separatum neq; istis omnibus substantialiter permisceri, sed tantum per virtutem, quam veluti imagines ab objecto suo, & non nisi participatione quadam externa in se receperunt Quæ quidem neq; â vento neq; â Spiritu quovis, cœlesti, vitali & omni vegetatione pleno prodiisse potuerunt; sed necessarium est, ea â Deo in chaos esse introducta; Siquidem etiã â Deo ipso postea ex chao seu Aquis & Tenebris vel abysso fuerunt separata: Dixit

Dixitq; DEus sit lux & fuit Lux: Ecce jam omnes partes chaos completas quod autem lux in tenebris Abyssi fuerit creata, patet ex versu seq: ubi ait, & divisit lucem à tenebris. Repetamus ergo totum, facta fuit Abyssus, & in Abysso superficies, ac Materia, & Forma sphærica & in istis tenebræ, in tenebris Aquæ; in Aquis cœlum & terra cum suis qualitatibus quæ in præcedentibus jam enarravimꝰ. His accesserunt vita & motus & tandem Lux cum omnibus istis in una massa quæ omnia facta fuerunt in principio creaturarũ corporearum & Temporis. Habemus igitur Abyssum seu locum universi, habemus materiã primam cum forma sua universali Quantitativa, habemus eam in prima sua dispositione Elementali & qualitativa sub forma aquæ densioris. in qua continẽatur Cœlum & Terra liquidum densum rarum atq; hæc omnia sub forma tenebrosa, quæ totã superficiem & per consequens totum corpus occupavit. Habemꝰ insuper primitias Quantitatum, Temporis Extensionis & multitudinis: Item principium motus in agitatione aquarum, tam activum, quàm passivũ. Activum quidem in vitali illa virtute à Motu Spiritus divini chao impressa. Passivũ vero in ipsa dispositione chaos ad mobili-

bilitatem corpoream,quæ postea in separatione partium sumsit initium. Habemus tandem formam perfectam totius chaos scil.lucem, contrariam tenebris, è cujus Lucis gremio prodit calor inimicus frigoris,quod proles est Tenebrarum.His omnibus accedit causa Eff: Deus scil. unus Triplici tamen varietate sese agentem patefaciens. Abyssum enim & chaos in ea locatum quatenus est in suo esse simplici, efficit Deus absq; motu & verbo,in silentio quodam divino & Tenebris unde etiam prodire non potest, nisi quoddam informe & latens in obscuritate. Vitam autem introducit per motum.Et formam veram substantialem,quæ lux est substantialiter creata,per verbum,quod equidem est egressio quædam sapientiæ divinæ quæ causa est omnis pulchritudinis differentiæ & formæ,ex quibus omnis tam Intelligibilium quàm sensibilium splendor atq; cognitio dependet atq; in sono & lumine consistit. Hæc autem sapientia ante creationem istarum formarum sese in silentio suo et obscuritate divina continebat. Per taciturnitatem itaq; Dei agentem atq; creantem patescit nobis interna Dei infinitudo, atq; per ejus opera interna, Sapientia in se ipsa latens. Per verbum autem egrediens

sapi-

Sapientiæ divinæ infinita pulchritudo sese patentem reddit in opere suo perfecto, quod Forma Lucis existit; in motu vero Spiritus Dei progrediens, in quo demonstratur vita Dei æterna, quæ causa est omnis animæ viventis, atq; in his omnibus tam operibꝰ quàm operationibus divinis patent infinita unitas & multitudo seipsam in Trinitate definiens, cujus imago in toto universo & omnibus ejus partibus depicta reperitur cùm nihil sit, quod non de Essentia forma ut vita aliquâ ratione participet & nihil etiam inveniatur, quod non ad aliquid istorum trium pertineat et in unitatem istam trinam concludatur. Perfectum esse igitur universum non recepit antequam perfectam suam formam. Notandum tamen hæc omnia licet ordine quodam & cum differentia à Moyse recenseantur simul & in uno instante fuisse creata sc. in principio temporis non autem in tempore ipso. Hoc enim non nisi post creationem Lucis & ipso separationis opere, egressum est, tunc videlicet ubi facta est prima Dies.

Q. Cur Lux cum sit perfectißima Forma cæterisq; supereminens fuerit ultimò in chaos introducta?

 Resp. 1.

Resp. Quia materiâ absq; formatione intermedia inepta fuisset ad lucis receptionem, præsertim ob tenebras in ipsa existẽtes Luci contrarias, unde Vnio Materiæ cum forma hâc fuisset difficilis, & forte impedimento ad fabricam Mundi futuri, nisi per species quasdam intermedias duo ista contraria fuissent conciliata.

2. Quia separatio rerum nimis subitanea fuisset insecuta & antequam omnes ad istam requisitæ partes fuissent præsẽtes. Patet enim ex contextu quod in eodem momento quo Lux ex tenebris clarescens in chaos prodijt separatio partium instituta est.

3. Absentibus necessariis æqualia vel similia, cum similibus in separatione nimis subitanea non potuissent ordinari.

4. Ne Qualitates contrariæ calor scilicet & frigus quietẽ ipsius chaos ante ejusdẽ complementũ turbatione afficerent & ordinatã separationem inordinato motu impedirent.

Qu. Cur vita præsente, quæ proprie causa motûs existit, motus in chao non statim subsecutus est?

R. Quod licet Causa Efficiẽs motus sit vita attamen calor est proprium ejus instrumentum, quo deficiente non poterat operari. Sicut etiam nunc videmus ab experientia eorum qui

vel deliquio animi vel frigore opprimuntur quod inepti sint ad motum, licet vita ipsa non penitus destituantur.

Qu. Qua ratione Formæ Accidentales poterant subsistere in Materia absente Forma substantiali?

Resp. Quod licet chaos forma substantiali Lucis privaretur, quæ est Mater accidentium visibilium & quarundam Qualitatum, non tamen privatũ fuit forma substantiali Quantitativa, videlicet Sphærica & ita sufficienter subsistere poterat in esse simplici, quod ex materia & Quantitate dependet, non autem in esse perfecto vel tali atq; completo ad quod necessario Lucis forma requirebatur quæ omnis pulchritudinis & differentiæ causa Formalis existit. Hinc qualitates quædam & Quantitates in chao locum habebant ut poterarum & densum: Hæc igitur non indigebant forma Lucis quoad existentiam. Frigiditas etiam & quies, quæ non tam à Luce, quàm ipsius contrario tenebris scilicet prodeunt, ortum in chao ducebant, & absq; defectu & impedimento in eo locabantur. Solus ergo calor præsentia Lucis indigebat ut existeret, & insuper ea quæ ex lumine tanquàm Matrice progenerantur scilicet colores. Ex

hujus enim gremio emanant perpetuo tanquam actus quidã à sua Causa vel Imago à suo corpore. Vnde patet quod licet forma Lucis Materiam abyßi perfectius informaverit, quàm cæteræ formæ & ad majorem pulcritudinem ac distinctionem deduxerit, adeò ut merito gaudeat nomine principalioris Formæ substantialis, attamen cæteræ tanquam maximè necessariæ etiam admittantur nec excludantur ad totius Mundi diversitatem ac ornamentum perficiendum. Nequaquam enim putandum, ut aliqui levius ista considerantes, quod ob id quod minus perfectæ sint quàm Lux, neq; singulariter à Deo bonæ dicantur ut ista, quod inquam ideo sint penitus imperfectæ existimandæ, præsertim quoad considerationem suæ naturæ vel esse. Clausula enim totius creationis est, Quod omnia quæ DEus creaverit fuerint valde bona, licet quædam præ cæteris, ex gradu bonitatis participatæ altiori, specialiorem etiam laudem mereantur.

Quæstio an Lux & Tenebræ sibi totaliter contrariæ sint dicendæ & quomodo contraria ab uno principio oriri poßint?

Si

Si exactè res consideretur invenimus potiorum istas duas creaturas esse potius summopere differentes quam contrarias licet earũ actiones in Materiâ contrariũ effectũ producant, conveniunt enim apud causam causarum Deum ipsum apud quem Tenebræ sunt sicut Lux, & Lux sicut Tenebræ. Conveniunt etiam in suo genere quod utraq; istarum, sit quadam forma, licet respectu rerum & cognitionum earundẽ Tenebræ potius quiddam informe existant, unde quatenus tales non sunt contraria sed similia. Conveniunt etiam in eo quod utraq; sit imago suæ causæ, ast in hoc ipso etiam incipit earum differentia. Tenebræ quippe sunt Imago Dei seipsum occultãtis: Lux vero Dei se conspicuum facientis: Vnde Lux creata multum de beneficis Dei progressionibus tanquam imago in se continet cæterisq; creaturis distribuit. Tenebræ verò quasi nihil, unde etiam habitatoribus tenebrarum pauca beneficia divina obveniunt, quia cum occulto latente & recedente ipsis est negotium: Vbi è contra lucis filij seu inhabitatores cum Deo benefico propius uniuntur. Lux igitur valde bona existit. Tenebræ autem non malæ (nisi specialiter maledictæ fuerint) sed minus bonæ non quidem respectu

Dei, sed creaturarum, quia minus de beneficiis divinis possidentes, minus etiam creaturis de hisce distribuere valent. Sed etiam inde patet, quod totalis contrarietas in rebus non detur, quod in omnibus quæ contraria sibi videntur, tandem sit coincidentia contrariorum, ita ut nunquam unum sine altero totaliter separatum inveniatur. Nam ubi est plurimum Lucis ibi minimum tenebrarum; ubi est maximum frigus, ibi minimus calor & contra. Non autem invenitur Lux ulla creata quæ respectu Dei non sit tenebrosa, nec tenebræ adeo magnæ, quæ ipsi non sint Lucidæ. Cum enim creaturæ sint imagines Dei nulla sanè potest inveniri, quæ in extremitate tota vel perfectionis vel imperfectionis sit constituta. Separari igitur potest Lux à tenebris in tantum, quantum ut imago Dei poterat separari, contraria enim totaliter tenebris esse non potest. Si tamen ea, quæ dicta sunt, non sub diversitatis, maximæ sed contrarietatis Forma existere præsupponatur: quæritur non immerito qua ratione contraria ab uno eodemq; Principio & quidem tanquàm Imagines ejus resultare possint. Ubi notandum illud S. Dionysij quod Effectus semper à perfectione suarum causarum deficiant maxima autem crea-

atu-

tura à suo creatore: Id enim quod in ipso diversum apparet, in creaturis jam videtur contrarium: dictum est autem tenebras Dei latentis, Lucem apparentis esse imaginem. Idem ergò Deus & in sua essentia superessentiali immutatus has diversitates produxit, prout sibi sic vel sic non esse sed apparere placuerit: Si enim sese prodiderit, coarctatum, silentem, latentem, obscurum, tunc omnia ab ipso etiam producta de tali Forma participant. Vbi autem rursus apparuerit extensus Lucidus loquens &, ut uno verbo dicam, ex suis latibulis egrediens, tunc etiam creaturæ tali imagine dotantur, Et priora necessariò recedere coguntur quasi fugientia & fugata à subsequentibus quæ recessio seu fuga & subsecutio seu prosecutio contrarietatis actionē vel generat vel simulatur. Deus interim in seipso est qui est, licet ad placidū sese ostendere creaturis q; suis assistere atq; praeesse possit.

Cap. II. Separatio partium Creatarum.

E*t divisit Deus Lucē à Tenebris.* *Perfecto jam chao ex omnibus partib9 ad mundi ornamentū requisitis & necessariis universaliter: jā incipit earū distinctio utvere*

Mun-

Mundus ·|. *ornatus inde oriatur.* *Multa circa hujus versus sensum intellectui humano occurrunt dubia. Qua enim ratione Lux in tenebris sibi contrariis potuit creari, aut ut alibi dicitur ex tenebris clarescere. Similia enim ex similibus, non autem contraria ex contrariis oriuntur. Qua etiam ratione Lux à tenebris potuit separari cum Tenebræ totam Abyssi Materiam in superficie suâ ubiq; existēte occupassent? Num igitur ex chao ipso educta dicenda, vel in ipso remansisse? Qua etiam ratione à tenebris solis separata dicitur cumTenebræ reliqua omnia possiderent? Qua tandem ratione dies primus ortus dicitur, cum sol qui causa est omnis diei, nondum esset productus sed die tantum quarto subsequente? ad omnia igitur ista paucis respondeamus, Et primo quidem quod Lux licet in tenebris apparuerit clarescens non tamen ex tenebris tanquam ex causa sua sit orta, cum utraq; earum sit creatura a Deo producta, per se, non autem una ex altera sicut postea creaturæ speciales & individua ex universalibus. In chao igitur tenebroso Lux orta est hoc modo. Videmus quod tenebræ sint quasi contrarium Lucis & quod omne quod potest dici contrarium ex duplici isto fonte pullulet, consideran-*

sola Lux

derantes igitur naturam Lucis & Tenebrarum invenimus Lucem esse aliquid activum & tale quod semper & ubiq; prosequatur Tenebras. quæ quidem quanto magis â Luce prosecutionem patiuntur tanto magis Lucem ipsam effugiunt, unde quidem motus circularis ex parte originem duxisse colligitur. Illud enim quod perpetuo fugit, in circulum fugere necesse est, cujus formæ finis semper regreditur in suum principium, ita ut nunquam finiatur, unde nec fuga tali modo instituta, ut fugiens circularem formam fugiendo observet. Idem de prosequente censendum. Jam vero lucis natura non solùm per circularem motum prosequitur tenebras sed etiam per rectum, & ut paucis dicam per omnem motum & modum quo ipsi est possibile. Luce igitur per creationē orta in eadem Materiâ & chao necessario recesserunt Tenebræ, per naturam propriam Lucem fugientem. Quemcunq; igitur locum in chaô vel Materiâ Tenebræ dereliquerunt, eum statim Lux forma sua occupavit. Recesserunt autem non tantum in circulum, sed etiam per lineam rectam, ut potè tali modo â Luce prosecutæ, unde Tenebrarum condensatio insequuta est, quo usq; quasi in centro corroberatæ luci tandem resistere

sistere potuerunt, virtute earum per unionem fortiore reddita. Hinc etiam per experientiam adhuc videmus quod lumen à corporibus densis & opacis repellatur. Lux igitur in tenebris hac ratione est orta, ut tenebræ ipsā non comprehenderent vel reciperent, & uno eodemq; actu à tenebris separata est, ut tenebræ similiter ab ipsa separarentur, & tamen utraq; harum locum suum in chao & Materia possiderent, ita ut Lux totius Chaos superficiem vel superiora occupaverit; omnia ea in chao illuminans, quæ ad superficiem vel superiora tendunt & respiciunt Tenebræ autem versus centrum et in profundum Chaos secedentes etiam plus occuparunt quæ profundiora & centro proxima existunt, ibiq; fortificata lumen undiq; repellunt, unde oritur reflexio Luminis & splendor atq; visibilitas corporū. Patet igitur, quod chaos per lucis adventum totaliter immutatū fuerit ita ut mox in partes pulcherrimas divideretur, quæ antea Tenebris solis absq; ordine erant involuta. Et ita localis ista separatio Lucis non extrà chaos facta sed extra partes chaos, vel potius in ipsas partes quæ in chao comprehendebantur. Separata igitur est à solis Tenebris & remansit cum omnibus partibus

chaos, ita tamen ut illæ quæ plus de tenebris receperunt minùs de Luce possideant, quamvis tota materia Sphærica per lucem in superficie fuerit occupata. Hinc nulla particula totius corporis mundani existit, quæ non habeat aliquid de dono lucis, per quod omnia corpora sunt visibilia, quædam tamen plus, quædam minùs juxta proportionem lucis vel Tenebrarum sibi præsentium. Notandum tamen quod pugna ista Lucis & tenebrarum jam descripta non pro essentiali sit accipienda, sed tantùm ex accidente fuisse factā quatenus scilicet utraq; formarum Materiā informandi desiderio capitur voluntate Dei sic ordinante, in qua quidē actione id quod debilis est, fortiori cedere cogitur licet illud ipsū hoc non directè sed accidentaliter insequatur.

Videmus jam qua ratione in textù dicatur per separationem istam factum & completū fuisse primum diem Sole pro tempore diem constituente nondum orto. Respondemus itaq; cum Moyse Lucem esse diem & Tenebras noctem. Quocunq; ergò in loco Lux realiter & vere existit, ibi dies est; & ubicunq; sunt Tenebræ ibi nox. Alia igitur ratione dies est Considerandus & Lux Diei quatenus est in sua natura, aliter quatenus nobis apparent &

fiunt

sunt sensibiles. Sol enim non est nisi causa diei visibilis. Lux autem quæ est causa solis est dies ipse, ast invisibilis & hoc ideo quod propter nimiam suam subtilitatem & raritatem videri non possit, non quod propter ea non sit, quod non videatur. Sensus enim noster non efficit existentiam rei, quod patet ex rebus omnibus etiam nunc in tenebris nocturnis invisibilibus. Sed res existens dum in formam sensibilem disponitur fit cognita per sensum, quem antea latebat. Sol igitur quatenus existit vel lumen condensatum vel materia Lucida seu Lucis forma excellentiore præ cæteris imbuta, illuminat diem i. Lucem h.e. reddit ipsam visibilem, tam in seipso quàm in omnibus aliis subjectis existentem & hoc juxta proportionem eam, quam in quolibet subjectorum possidet vel lucendo vel illuminando, Poterat ergo Lux & dies esse sine sole & Nox & tenebræ sine absentia solis. Non autem poterat sine sole videri. Secunda ratio in hac quæstione considerabilis est, quod dies non solum consideratur ratione lucis, sed etiam ratione motus universi. Dies enim est pars temporis & tempus est aliquid mobile, & non nisi sub forma motus viget & vivit. Dies igitur propriè est circumvolutio uni-

universi circa centrum suum quæ fit spatio 24. Horarum: Et nox itidem per illud tempus apparet, quia si rectè consideretur: Tempus nihil aliud quam perpetua circumvolutio cœli est: & pars illius temporis est qualibet absolutio circuli. Hinc Plotinus naturam temporis inquirens rectè videtur ipsius causam principalem in anima Mundi i. e. in vita mundana, quæ omnis motus causa est, constituisse. Circulatio igitur Lucis separatæ versus circumferentiam universi unicâ vice facta erat absolutio primi diei cum Lux ipsa nil nisi dies existat: Licet Sol nondum existeret, qui nobis illius circulationis signa sensibiliter aperiret. Ratio igitur diem istum cognoscit; etiamsi sensus ipsum non videat. Hinc etiam concludimus, diem hoc loco verum id est circulationem Lucis, quæ fit spatio 24. Horarum (quam divisionem diei postea homines invenerunt, ad majorem distinctionem temporis) à S. Spiritu esse descriptum, contra sensum plurimorum, qui Mysteria ista non nisi superficietenus perscrutantur. Nec obstat quod illi Potentiam Dei allegent, utpote talem, quæ omnia possit facere in momento, de quo nullus unquam sanæ mentis dubitavit. Nos enim

verbis ſacrarum Literarum expresſis & ratione ipſa ſuffulti negamus DEum hunc mundum temporaneum in momento voluiſſe condere, licet potuerit. Reſpectus enim hic eſt habendus non ad potentiam Dei, quæ omnia natura cogitata excedit, ſed ad ejus voluntatem & ſapientiam, quam nobis benignitate ſua in verbo ſacro communicavit, & ad naturam ipſius creaturæ, quæ ut temporanea omnino & cum & in tempore debebat produci. Sapientia autem divina eſt omnia facere ordine pondere & menſura, inter quæ etiam motus temporis omnino eſt connumerandus. Pereleganter igitur incipit tempus cum ordine chaos, quod quidem locum in principio & in momento creatum cum Moyſe fateor. Aſt & ſeparationem ejusdem in tempore eſſe factam cum eodem confirmo. Hinc etiam refutari poſſunt illi, qui de nova Copernici ſecta exiſtunt affirmantes non cælum ſed terram moveri. Iſti enim homines cum ſint Mathematici, ad ſolas quantitatum naturas, circa quarum notitiam verſatur earum ſcientia, reſpectum habent. Quid ſi inſuper & Qualitates rerum naturales & veram motus cauſam introſpexiſſent, non tam audacter opinionem

tam

iam absurdam in theatrum producerent. Rationes enim eorum præcipuæ ex inhabilitate molis & ejus ineptitudine ad motum desumuntur: Cum potius ipsam facultatem motricem quæ vita & anima existit deberent respicere. Si enim virtus ista moli, quantũ vis etiam magnæ, æquipollens fuerit, facilimè & absq; omni difficultate ipsam movebit, & quanto fuerit potentior respectũ mobilis; eo celerius etiam ipsam agitabit. Quid igitur faciet si fuerit potentissima? Aspiciant solummodò naves maximas maximo pondere oppressas quam facili negotio à mari hũc illuc jactentur; aut si ipsis hoc leve aliquid videatur, aspiciant ipsum mare, quàm facile magnum illud corpus à levissimo vento eludatur. Sed ut rem ipsam potius tangamus præcipua consideratio est circa naturam ipsius Lucis; Et rari & densi & tenebrarum, & vita ac motus quietis & status; Vbicunq; enim lux viget, ibi calor & vita; ubi calor & vita, ibi motus & è contrario omnia stupent frigescunt & quiescunt stabiliter in loco tenebrarum. Qua igitur ratione fulciti audent tribuere contra omnem naturam, motum & ejus velocitatem admirabilem tali cor-

corpori quod minus ex omnibus de omnibus prædictis ad motum requisitis abundat; Licet enim terra ipsa nec luce; calore aut vita penitus privata sit, attamen in Comparatione cœlestium præcipuè solis & Firmamenti & ad super cœlestes regiones, ad quas Lux ipsa quasi tota secessit; imò ipsas præcessit, tanquam viam monstrando atq; docendo, nihil quasi horum possidet, & quod possidet nequaquam ipsi sufficit, si cœlorum proprietates ipsis ad motum perficiendum haud sufficiunt. Concludamus ergò Lucem non tantum essentialiter, sed etiam sua ratione localiter fuisse separatam non extra chaos sed intra. Atq; dum dies primus totius temporis incepit & finitus est, Lucem separatam circa illud, à quo separata erat, gyrasse.

Antequam autem ulterius progrediamur; inquirendum est paulisper, quidnam Lux ista separata existat? Postquam enim per creationem in chaos est introducta à sua natura jam aliquoties videtur immutata, ita ut dum in se ipsa considerata, Natura & Forma simplex existat, in compositione cum partibus chaos jam aliquid à priori est factũ diversum; ita ut alia sit juxta considerationem creationis, alia verò juxta Consideratione͂ separationis

nis à tenebris: ab his quippe solis separata est cum reliquis chaos partibus cunctis remanens unita. Quidam crediderunt, hanc lucem cœlum existere: quibus sane assentiri non possumus, siquidem per ipsa Moysis verba cœlum à luce distinguitur, quasi confirmatione aliunde egerent ab ipsa rerum Natura rite considerata sufficienter peti posset. Alij hanc substantiam aliquid quintum esse dixerunt & tale quid ex nullis quatuor Elementorum Qualitatibus vel etiam substantiis quicquam participet. Isti autem dum hæc ita asserunt, nihil affirmant, cum nihil definiunt, sed negando tantum nobis hanc substantiam circumscribunt, qui etiã ab ipso Moyse tacite refutantur. Dum enim Lucem à solis tenebris separatam affirmat, tunc sane concedit ipsam cum reliquis omnibus mansisse conjunctam atq; de omnibus non participantem. Illi igitur qui quintam hanc essentiam non separatum aliquid: Sed potius ab omnibus Elementorum & reliquis choos partiũ qualitatibus vel etiam substantiis participantem confirmant, mihi præ omnibus videntur veritatis metam vicinius attigisse. Si enim Lux chaos introiverit in cæteris partibus jam dispositum, Materiam sane non nudam informa-

vit sed ex cæteris omnibus jam participantem, unde nec ipsa Lux in conjunctione materiæ atq; post ipsam à tenebris separata, aliquid simplex vel nudum fieri potuit, sed potius aliquid maximopere compositum, ita tamen, ut plus cum rarioribus & subtilioribus quàm cum densioribus partibus societatem pepigerit, Est igitur Lux ista separata non forma simplex neq; aliquid incorporeum sed subtilissimum quoddam, compositum mediæ naturæ constans ex materia & formâ, & quidem ex Materia omnibus Elementorũ naturis æqualiter induta, habens in se vitam & motũ quem Spiritus Dei in chaos introduxit & existens incorruptibile propter summam harum omnium temperantiam, Et licet participet de natura corporea, est tamen potius natura quædam media inter corporeum & incorporeum, & Spiritus universi creatus Superiora & inferiora seu incorporea & corporea ad invicẽ colligens, in toto universo vigens ipsũq; permeans sine quo vinculo partes ejus nec ligarẽtur nec ipsum unverſũ ut tale subsisteret.

Dubium tamen quoddam hisce objici posset, qua ratione in hac substantia Qualitas frigida locum habere possit cum lux sit causa caloris: Frigiditas autem ex natura

tene-

tenebrarum dependeat. Ad quod respondeo quod licet calor & frigiditas ex formis diversissimis procedant & utraq; etiam Qualitatum contrarios producat effectus: Videmus tamen per ipsam experientiam, quod non solum effectus ex causis contrariis orti, mediante proportione in uno subjecto habitare possint: Sed etiam quod causæ ipsæ contrariæ, effectus sui contrarij non planè abhorreant. Imò & quod ipsæ tenebræ & lux in eodem subjecto licet non in eodem loco invicem compositæ reperiantur Tenebræ quippe non abhorrent à calore nec Lux à frigore, quod tam ex splendidissima nivis substantia manifestum est, quàm ex sulphurea picis obscuritate. Cum igitur Lux ista separata, Substantia simplex non existat sed composita, non est quidem impossibile imò maximè consentaneum, quod in materia sic vel sic affecta, per talem compositionem habitare possit. Sicut enim superiùs & alibi demonstratur actiones & passiones contrariorum non fieri in formis, sed in Materia subjecta quæ ubi à Formis diversis æqualiter informata vel affecta fuerit, minus subjectum erit corruptioni illud subjectum. Quia Forma Formæ resistit ne

 plus

vespera & fuit manè unus Dies. Ex supradictis jam patet, quomodo Lux dies existat & Tenebræ nox. Et quomodo dies primo cum mundi distinctione inceperit. Illud tamen adhûc examinandum est, quomodo ex vespero & manè dies constituatur. Nostri dies præsentes quibus cursus cœli nobis dimensuratur & per ortum solis & occasum ita sunt constituti, ut semper in media parte terræ dies & in altera medietate Nox gubernet & per consequens etiam vespera & mane: Quia Sol semper aliis occidit aliis oritur propter motum ejus circularem, ita ut vespera & mane diem in suis terminis perpetuò contineant & pariter noctem. Cum autem vespera & mane communi modo considerata ortum solis & ejus occasum respiciunt, patet, sanè quod in hoc versu alia earum requiratur consideratio quia Sol tum temporis nondum erat factus. Dicendum igitur quod sicut Lux dies existit & Tenebræ nox ita Mane Lucis ortus est dicendus & vespera Tenebrarum. Vbi notandum quod vespera in textu prius ponatur, quàm mane, eâ scilicet ob causam quod tenebræ prius essent creatæ: Item ut pateat, Tenebras etiam

etiam esse creatas, nec fuisse ab æterno, sed incepisse de quo forte aliquis dubitare posset inspiciens verba versus prioris, qui dicit tenebras fuisse in superficie abyssi non tamen expresse indicet ipsas etiam esse creatas, Ex isto autem versu planum fit eas incepisse & per consequens esse factas. Quicquid enim non semper est & ab æterno, id fit in tempore, neq; ab alio quàm eo quod Æternum est fieri potest, nisi sit tale quippiam quod proximè dependet à causis secundis. Vespera autem cum sit noctis i.e. tenebrarum initium, docet, tenebras ipsas sub vespera i.e. noctis ingressum esse factas. Idem de luce sentiendum. Sed cur quæso ex vespera & mane factum esse diem unum, Cum à vespera ad mane potius una nox efficiatur & à mane ad vesperam dies esse soleat? Hoc puto duplicem ab causam ita positum esse. 1. Erant Tenebræ & erat Lux revera existentes, & per consequens Nox & dies Vespera & mane, sed cum tum temporis nondum essent visibiles utpote à sole nondum illuminata atq; Lucentes ideo potiùs in nocte versabantur, licet revera Luce & motu Chaos dotatum, diem possideret, Dies ergo erat obscurus ratione sensus & potius nocti similis,

fiunt sensibiles. Sol enim non est nisi causa diei visibilis. Lux autem quæ est causa solis est dies ipse, ast invisibilis & hoc ideo quod propter nimiam suam subtilitatem & raritatem videri non possit, non quod propter ea non sit, quod non videatur. Sensus enim noster non efficit existentiam rei, quod patet ex rebus omnibus etiam nunc in tenebris nocturnis invisibilibus. Sed res existens dum in formam sensibilem disponitur fit cognita per sensum, quem antea latebat. Sol igitur quatenus existit vel lumen condensatum vel materia Lucida seu Lucis forma excellentiore præ cæteris imbuta, illuminat diem i. Lucem h. e. reddit ipsam visibilem, tam in seipso quàm in omnibus aliis subjectis existentem & hoc juxta proportionem eam, quam in quolibet subjectorum possidet vel lucendo vel illuminando. Poterat ergo Lux & dies esse sine sole & Nox & tenebræ sine absentia solis. Non autem poterat sine sole videri. Secunda ratio in hac quæstione considerabilis est, quod dies non solum consideratur ratione lucis, sed etiam ratione motus universi. Dies enim est pars temporis & tempus est aliquid mobile, & non nisi sub forma motus viget & vivit. Dies igitur propriè est circumvolutio

uni-

universi circa centrum suum quæ fit spatio 24. Horarum: Et nox itidem per illud tempus apparet, quia si rectè consideretur: Tempus nihil aliud quam perpetua circumvolutio cœli est: & pars illius temporis est qualibet absolutio circuli. Hinc Plotinus naturam temporis inquirens rectè videtur ipsius causam principalem in anima Mundi i. e. in vita mundana, quæ omnis motus causa est, constituisse. Circulatio igitur Lucis separatæ versus circumferentiam universi unicâ vice facta erat absolutio primi diei cum Lux ipsa nil nisi dies existat: Licet Sol nondum existeret, qui nobis illius circulationis signa sensibiliter aperiret. Ratio igitur diem istum cognoscit; etiamsi sensus ipsum non videat. Hinc etiam concludimus, diem hoc loco verum id est circulationem Lucis, quæ fit spatio 24. Horarum (quam divisionem diei postea homines invenerunt, ad majorem distinctionem temporis) à S. Spiritu esse descriptum, contra sensum plurimorum, qui Mysteria ista non nisi superficietenus perscrutantur. Nec obstat quod illi Potentiam Dei allegent, utpote talem, quæ omnia posit facere in momento, de quo nullus unquam sanæ mentis dubitavit. Nos enim

C *verbis*

verbis sacrarum Literarum expressis & ratione ipsa suffulti negamus DEum hunc mundum temporaneum in momento voluisse condere, licet potuerit. Respectus enim hic est habendus non ad potentiam Dei, quæ omnia naturæ cogitata excedit, sed ad ejus voluntatem & sapientiam, quam nobis benignitate sua in verbo sacro communicavit, & ad naturam ipsius creaturæ, quæ ut temporanea omnino & cum & in tempore debebat produci. Sapientiæ autem divinæ est omnia facere ordine pondere & mensura, inter quæ etiam motus temporis omnino est connumerandus. Pereleganter igitur incipit tempus cum ordine chaos, quod quidem locum in principio & in momento creatum cum Moyse fateor. Ast & separationem ejusdem in tempore esse factam cum eodem confirmo. Hinc etiam refutari possunt illi, qui de nova Copernici secta existunt affirmantes non cœlum sed terram moveri. Isti enim homines cum sint Mathematici, ad solas quantitatum naturas, circa quarum notitiam versatur earum scientia, respectum habent. Quid si insuper & Qualitates rerum naturales & veram motus causam introspexissent, non tam audacter opinionem

totum

tam

iam absurdam in theatrum producerent. Rationes enim eorum præcipuæ ex inhabilitate molis & ejus ineptitudine ad motum desumuntur. Cum potius ipsam facultatem motricem quæ vita & anima existit deberent respicere. Si enim virtus ista moli, quantũvis etiam magnæ, æquipollens fuerit, facilimè & absq; omni difficultate ipsam movebit, & quanto fuerit potentior respectũ mobilis, eo celerius etiam ipsam agitabit. Quid igitur faciet si fuerit potentissima? Aspiciant solummodò naves maximas maximo pondere oppressas quàm facili negotio à mari hûc illuc jactentur; aut si ipsis hoc leve aliquid videatur, aspiciant ipsum mare, quàm facile magnum illud corpus à levissimò ventô eludatur. Sed ut rem ipsam potius tangamus præcipua consideratio est circa naturam ipsius Lucis; Et rari & densi & tenebrarum, & vitæ ac motus quietis & status; Vbicunq; enim lux viget, ibi calor & vita; ubi calor & vita, ibi motus & è contrario omnia stupent frigescunt & quiescunt stabiliter in loco tenebrarum. Qua igitur ratione fulciti audent tribuere contra omnem naturam, motum & ejus velocitatem admirabilem tali

corpori quod minus ex omnibus de omnibus prædictis ad motum requisitis abundat. Licet enim terra ipsa nec luce, calore aut vita penitus privata sit, attamen in Comparatione cœlestium præcipuè solis & Firmamenti & ad super cœlestes regiones, ad quas Lux ipsa quasi tota secessit, imò ipsas præcessit, tanquam viam monstrando atq; docendo, nihil quasi horum possidet, & quod possidet nequaquam ipsi sufficit, si cœlorum proprietates ipsis ad motum perficiendum haud sufficiunt. Concludamus ergò Lucem non tantum essentialiter, sed etiam sua ratione localiter fuisse separatam non extra chaos sed intra. Atq; dum dies primus totius temporis incepit & finitus est, Lucem separatam circa illud, à quo separata erat, gyrasse.

Antequam autem ulterius progrediamur, inquirendum est paulisper, quidnam Lux ista separata existat? Postquam enim per creationem in chaos est introducta à sua natura jam aliquoties videtur immutata, ita ut dum in se ipsa considerata, Natura & Forma simplex existat, in compositione cum partibus chaos jam aliquid à priori est factū diversum, ita ut alia sit juxta considerationem creationis, alia verò juxta Consideratione separationis

nis à tenebris: ab his quippe solis separata est cum reliquis chaos partibus cunctis remanens unita. Quidam crediderunt, hanc lucem cœlum existere: quibus sane assentiri non possumus, siquidem per ipsa Moysis verba cœlum à luce distinguitur, quæ si confirmatione aliunde egerent ab ipsa rerum Natura rite considerata sufficienter peti posset. Alij hanc substantiam aliquid quintum esse dixerunt & tale quid ex nullis quatuor Elementorum Qualitatibus vel etiam substantiis quicquam participet. Isti autem dum hæc ita asserunt, nihil affirmant, cum nihil definiunt, sed negando tantum nobis hanc substantiam circumscribunt, qui etiā ab ipso Moyse tacite refutantur. Dum enim Lucem à solis tenebris separatam affirmat, tunc sane concedit ipsam cum reliquis omnibus mansisse conjunctam atq; de omnibus non participantem. Illi igitur qui quintam hanc essentiam non separatum aliquid: Sed potius ab omnibus Elementorum & reliquis chaos partiū qualitatibus vel etiam substantiis participantem confirmant, mihi præ omnibus videntur veritatis metam vicinius attigisse. Si enim Lux chaos introiverit in cæteris partibus jam dispositum, Materiam sane non nudam informa-

vit sed ex cæteris omnibus jam participantem, unde nec ipsa Lux in conjunctione materiæ atq; post ipsam à tenebris separata, aliquid simplex vel nudum fieri potuit, sed potius aliquid maximopere compositum, ita tamen, ut plus cum rarioribus & subtilioribus quàm cum densioribus partibus societatem pepigerit, Est igitur Lux ista separata non forma simplex neq; aliquid incorporeum sed subtilissimum quoddam, compositum mediæ naturæ constans ex materia & formâ, & quidem ex Materia omnibus Elementorũ naturis æqualiter induta, habens in se vitam & motũ quem Spiritus Dei in chaos introduxit & existens incorruptibile propter summam harum omnium temperantiam. Et licet participet de natura corporea, est tamen potius natura quædam media inter corporeum & incorporeum, & Spiritus universi creatus Superiora & inferiora seu incorporea & corporea ad invicẽ colligens, in toto universo vigens ipsũq; permeans sine quo vinculo partes ejus nec ligarẽtur nec ipsum unverſũ ut tale subsisteret.

Dubium tamen quoddam hisce objici posset, qua ratione in hac substantia Qualitas frigida locum habere possit cum lux sit causa caloris: Frigiditas autem ex natura tene-

tenebrarum dependeat. Ad quod respondeo quod licet calor & frigiditas ex formis diversissimis procedant & utraq; etiam Qualitatum contrarios producat effectus: Videmus tamen per ipsam experientiam, quod non solum effectus ex causis contrariis orti, mediante proportione in uno subjecto habitare possint: Sed etiam quod causæ ipsæ contrariæ, effectus sui contrarij non planè abhorreant. Imò & quod ipsæ tenebræ & lux in eodem subjecto licet non in eodem loco invicem compositæ reperiantur Tenebræ quippe non abhorrent à calore nec Lux à frigore, quod tam ex splendidissima nivis substantia manifestum est, quàm ex sulphurea picis obscuritate. Cum igitur Lux ista separata, Substantia simplex non existat sed composita, non est quidem impossibile imò maximè consentaneum, quod in materia sic vel sic affecta, per talem compositionem habitare possit. Sicut enim superiùs & alibi demonstratur actiones & passiones contrariorum non fieri in formis, sed in Materia subjecta quæ ubi à Formis diversis æqualiter informata vel affecta fuerit, minus subjectum erit corruptioni illud subjectum. Quia Forma Formæ resistit ne

plus quam oportet dominium suum intendat. Maxime autem conveniens est, ut in Q. Essentia vel Spiritu universi de omnibus aliquid existat positum, eo ut cum omnibus aequaliter uniri & incorporea cum corporeis perfecte conjungere possit. Si enim ipse vel in aliqua Qualitatum deficeret vel inaequaliter ex ipsis componeretur, tunc etiam extremitates corporeas & incorporeas vel defectuosè vel inaequaliter & imperfectè colligaret, quod decor & perfectio universi à Perfectissimo creatore conditum non paterentur. Differt igitur Lux creata, à separata tanquam Forma simplex à Substantia composita, quae tamen in eo conveniunt, quod propter naturā suā sensibus haud sint subjectae proinde etiam differunt, à luce congregata quae lucida efficit corpora & tunc sub sensum cadit, & fit objectū visus prout in sequentibus apparebit.

De Tenebris autem quid sentiendum? in praecedentibus sane de iis etiam locuti sumus, tanquam de quadam forma ut esse ipsarum exprimeremus quod tamen videri posset mirabile, cum Tenebrae potius deformitatem inducant, siquidem per ipsarum praesentiam omnes formae supprimuntur. Verum quicquid sit, deformis ista forma ex Abysso egressa

Materiam occupavit, & suo modo informavit, licet cæteras formas abscondat. Est igitur privatio Lucis atq; formarum apparentiæ in Materia non autem in se vel sua natura: Talis enim privatio in rerum serie non datur, sed tantum privationes hujus vel illius. Interim tamen ea etiam quæ privationem cæterorum vel patiuntur vel inducunt ut sunt Materia & Tenebræ, non sunt privationes, sed existunt aliquid ab existentia tamen & natura cæterorum Entium, diversum: Quæ quidem à nobis difficulter cognoscuntur, cum etiam natura sit ex contraria rerum serie, atq; per Formas cognoscat, quæ & à tenebris opprimuntur, & à Materia ut tali existunt alienæ, quâ igitur ratione res tales per Formam sunt recipiendæ mediante cognitione, quæ Formas in se nequaquam patiuntur? Facilius tamen patefiunt tenebræ, quam Materia, illæ quippe sensum nostrum afficiunt quem in præsentiarum pro perfecto judice ut plurimum æstimamus. Materia autem sub sensum cadere non potest, quapropter non nisi per rationales potest indagari, de quibus & alibi satis tractamus.

anima non

Vocavitq; DEus Lucem diem & Tenebras vocavit noctem, fuitq;

vespera & fuit manè unus Dies. Ex supradictis jam patet, quomodo Lux dies existat & Tenebræ nox. Et quomodo dies primo cum mundi distinctione inceperit. Illud tamen adhûc examinandum est, quomodo ex vespero & manè dies constituatur. Nostri dies præsentes quibus cursus cœli nobis dimensuratur & per ortum solis & occasum ita sunt constituti, ut semper in media parte terræ dies & in altera medietate Nox gubernet & per consequens etiam vespera & mane: Quia Sol semper aliis occidit aliis oritur propter motum ejus circularem, ita ut vespera & mane diem in suis terminis perpetuò contineant & pariter noctem. Cum autem vespera & mane communi modo considerata ortum solis & ejus occasum respiciunt, patet, sanè quod in hoc versu alia earum requiratur consideratio quia Sol tum temporis nondum erat factus, Dicendum igitur quod sicut Lux dies existit & Tenebræ nox ita Mane Lucis ortus est dicendus & vespera Tenebrarum. Vbi notandum quod vespera in textu prius ponatur, quàm mane, eā scilicet ob causam quod tenebræ prius essent creatæ: Item ut pateat, Tenebras etiam

etiam esse creatas, nec fuisse ab æterno, sed incepisse de quo forte aliquis dubitare posset inspiciens verba versus prioris, qui dicit tenebras fuisse in superficie abyssi non tamen expresse indicet ipsas etiam esse creatas, Ex isto autem versu planum fit eas incepisse & per consequens esse factas. Quicquid enim non semper est & ab æterno, id fit in tempore, neq; ab alio quàm eo quod Æternum est fieri potest, nisi sit tale quippiam quod proximè dependet à causis secundis. Vespera autem cum sit noctis i.e. tenebrarum initium, docet, tenebras ipsas sub vespera i.e. noctis ingressum esse factas. Idem de luce sentiendum. Sed cur quaso ex vespera & mane factum esse diem unum, Cum à vespera ad mane potius una nox efficiatur & à mane ad vesperam dies esse soleat? Hoc puto duplicem ab causam ita positum esse. 1. Erant Tenebræ & erat Lux revera existentes, & per consequens Nox & dies Vespera & mane, sed cum tum temporis nondum essent visibiles utpote à sole nondum illuminata atq; Lucentes ideo potius in nocte versabantur, licet revera Luce & motu Chaos dotatum, diem possideret, Dies ergo erat obscurus ratione sensus & potius nocti similis,

similis, & proinde potius ex vespera & mane factus quàm ex mane & vespera. 2. ut ipsius diei seu Lucis creatio & ejus ordo cum Superioribus conveniret, & illa per istum versum confirmaretur. Creatio enim diei ex cōtrario termino incepit quam ipsius apparitio visibilis incipere solet, Incepit enim á tenebris & per consequens à vespera, quæ sunt Tenebrarum vel noctis initium quæ tenebræ in adventu lucis recesserunt & tunc fuit mane, & sic vespera & Mane inclusivè continuerunt primum diem.

quod *Restat tamen aliquid dubium, qua ratione dies duo sequentes ante quartum in quo Sol creatus est, ex vespera & mane fieri dicantur? Tunc enim tenebræ & lux jam erant creatæ, ita ut in istis duobus diebus sequentibus vespera & mane per originem Tenebrarum & Lucis explicari haud posse videatur, quamvis in primo die explicatio talis appareat, genuina & optima. Verum in istis etiam eadē valet ratio & ideo adduntur eadem verba ut scil. cognoscamꝰ lucē licet in primo die à tenebris separatā non tamen omnino ex partibus chaos secessisse, sed etiam in specie apud quamlibet remansisse, & in qualibet earum separatione etiā in specie in qualibet partium quasi de*

de novo sumpsisse initium, utpote in firmamento Mari & Terra. Considerandum enim est optime quid dicatur, q. appareat arida, quæ tamen visibiliter apparere non poterat, cum Sol illuminator Terræ cæteraq; stellæ nondum fuissent productæ, apparuit itaq; suo modo scil. ea ratione, qua Lux ista invisibilis apparere potest, apparuitq; per lucem sibi præsentẽ atq; abscondita est per noctem etiam, sibi præsentem, fuitq; per consequens tam in Firmamento quam in Mari & Terra Vespera & mane i.e. specialis atq; tenebrarũ & lucis in ipsis dum per separationẽ chaos esse suum speciale receperunt, ita ut qualibet harum partiũ juxta proportionẽ & naturã suam plus vel minus de die vel nocte i.e. Luce vel tenebris participarent. Vbicunq; enim tenebræ vel lux oriuntur, sive generaliter, sive in specie, ibi pariter oriuntur Nox & Dies, vespera & mane.

Insuper & hoc considerandum quomodo ratione motus circularis universi vespera & mane esse possint antequam Sol oriatur vel occidat. Dico itaq; Vniversum ita motum, tam in die, quam in nocte moveri i.e. in Luce & tenebris, & per consequens motum incipere in vespera & finiri in ipsa, sicut & in mane vel ortu lucis. Incipit autem in vespera non

quidem in ipso ortu Tenebrarum, cum his enim neq; calor neq; motus sed torpor & quies regnant; Sed quandò per adventum Lucis tenebræ incipiunt recedere, & ipsa lux separata ad circumferentiam chaos; motu suo vitali & calido gyrare in orbem itaque ratione motus vespera & mane in unum coincidant Terminum; Eo ipso enim quo Lux movetur, moventur & Tenebræ; & sic fit dies unus per absolutionem unam motus circularis, sicut in superioribus est declaratum.

Dixit quoq; DEVS: *Sit expansio in medio aquarum & dividat aquas ab aquis: Et fecit Deus expansionem divisitq; aquas quæ erant sub expansione & fuit ita: vocavitq; Deus Firmamentum cœlum & fuit vespera & fuit mane dies secundus. Vt ista divisio melius intelligatur recurrendum est ad Superiora, Facta erat abyssus .i. infinitum quiddam in quo superficies condebatur sphærica occupans partem illam abyssi in qua ponebatur & sic ex Abysso informato prodijt Materia formata in qua creabantur cœlum & terra sub forma Aquarum densiorum, & totum chaos Sphæricum in Abyssi residuo tanquam loco collocabatur: Abyssi igitur superficies tangebat superficiem Aquarum*

Atq;

atq; id omne sub forma sphærica. Superficies ergo Abyssi erat sphærica & superficiei Aquarum convexa: Et sic Abyssus ex una parte definiebatur in concavitatem Sphæricam, residuum autem ejus remansit informe atq; indefinitum. Considerandum tamen quod concavitas ista non tantum in circumferentia chaos sit considerabilis sed quatenus etiam per totum chaos usq; ad centrum suum per transivit, & in centro iterum in infinitudinem suam regressa est: & sic aquarum seu chaos superficies convexa, non tantum in circumferentia chaos, superficiem concavam Abyssi tetigit; sed insuper etiam per totam Sphæram, & usq; ad centrum ipsum: unde factum quod totum id, quod in superficie Abyssi continebatur, tenebrosum extiterit, siquidem tota illa superficies Abyssi erat tenebrosa. Adveniente autem Luce tunc Tenebræ per totam Sphæram diffusæ ad centrũ chaos recesserunt ita quod minimum Lucis penetraverit usq; ad centrũ illud, & minimũ tenebrarũ remanserit in circũferentia chaos vel Aquarum illarum, quarum superficies cum superficie Abyssi ubiq; coincidebat. Segregata igitur sunt Lux & tenebræ realiter atq; localiter, ita tamen ut dictum est.

Eti-

Etiamsi enim adhuc conjuncta existant aliqualiter, hac tamen unio talis est, sicuti rerum diversarum vel specierum, ut si Exemplum a linea & albedine desumamus, ubi albedo aliquid per se est, & linea aliud in eodem subjecto. Lux autem circum circa usq; in centrum gyrare incipiens motu suo & calore vitali cum substantia sua per separationem sibi acquisita primi diei circumvolutionem absolvit. Reliquis in chao adhuc confuse permixtis remanentibus. Luce igitur & Tenebris separatis separavit rarum & densum, ita, ut densiora Elementa in duas partes dividerentur & rarum in medio consisteret: Dico densiora Elementa scilicet Terra & Aqua; quorum utrumq; adhuc in Aquis illis primis confuse continebatur. Secessit igitur ad partem inferiorem scil. versus centrum & locum tenebrarum tantum de aquis illis mixtis, seu de Aqua & Terra quantum ad constituendum istum nostrum globum requirebatur residua pars versus circumferentiam chaos, non differens substantia ab inferiore, sed loco & coarctatione; nisi forte quod minus de Elemento densiore scilicet terra in se continebat. Notandum autem est quod ista divisio non facta sit

sit in partes æquales, siquidem cœlorum ambitus longe major & terrenum corpus non nisi atomus quædam respectu illius existat. Quicquid igitur rarum fuit in chao ex corporea materia hoc medium locum occupavit, per expansionem, distensionem, extensionem, diffusionem, ita ut inde resultaverit diffusum quoddam corpus aeris, quod Cœlum & firmamentum a Deo vocabatur. Quod quidem nomen naturam ejus exprimit. Est enim quasi interstitium aquarum separatarum, quod illas in suis terminis naturaliter contineret. Nam maxima vastitas & virtus inest aeri & admiratione dignum existit, quod Aer cum sit rarus & levis gravia tamen impedire possit ne in unum coeant, cujus exemplum per elegans habemus in bullis quas pueri facere solent, ex aqua & sapone mediante fistula, quæ per aerem aliquandiu volant, donec disrumpantur & iterum concidant. In hoc tamen quantitas aeris ipsa videtur requiri sufficiens quia ad minimam guttulam & ita distendendam multum pro proportione opus est a eris. Optime igitur exemplum allatũ nobis elucidat separationem istam mediante firmamento, excepto quod in hac divina separatione pars aquarum illarum circa

D cen-

centrum subsederit quod in illa bullarum confluxione fieri non potest: De cætero enim sapo partem terrenam & Aqua phlegmaticam referunt & quidem non inepte cum sapo ex sale & terra constet cujus præcipua pars ipsum sal existit. Prima igitur die Lux & ignis separata fuerunt, secunda aër. Tertia Terra & aqua: unde prima Elementorum dispositio nobis patescit.

Quæstio num Coelum istud seu Firmamentum idem sit quod Aqua rarefacta?

Resp. Quod non, sed aliquid separatum, in sua propria natura creatum & constans quod patet ex primo versiculo. Licet enim aqua dum per rarefactionem surgit in aerem atq; se cum ipso permiscere videatur nequaquã tamẽ illud est mixtio substantialis sed accidẽtalis & separabilis quod patet, ex pluvia, rore, Nive &c. Cælum namq; seu verus aer est potius receptaculum Aquæ illius rarefactæ, quam pars ejusdem sicut etiã cum lumine minime permiscetur, licet etiam sit receptaculum & delator luminis ad reliqua corpora, unde unum ab altero multum differt & mutationes, quæ in aëre fiunt, non tã in substantia cæli accidunt, quam in aqua rarefacta.

Dixit

Dixit autem DEus: congregentur Aquæ, quæ ſunt ſub cœlo in locum unum: appareatq; arida & fuit ita; Vocavitq; Deus aridam terram; congregationem vero aquarum illarum appellavit Maria & vidit; DEus quod eſſet bonum. Verba hæc videnter clara ſcilicet quod Deus ſiccum & humidum ab invicem ſeparaverit, ſive potius duo graviora ex Elementis ſolidum nempe & fluxibile. Quæritur autẽ quorum utrũq; alterum contineat? Cum enim corpus terreum in globum formatum ſit, in quibusdam locis terra ſuper aquam natare videtur in aliis aqua ſuper terram. Apud nos enim terra videtur inferior, respectu Antipodum enim noſtrorum, terreum corpus videtur aquis inſidere, attamen reſpectu aeris ſeu firmamenti tota ſuperficies globoſa terræ alta reſpicit. Centrum enim globi eſt ipſum inferius ex quo omnes radij directè verſus cœlum ſcandunt: Aliud enim inferius quam ſuum centrum, figura ſphærica non habet, neq; aliud ſuperius quam totam autem

circumferentiam undiq; æqualiter à suo centro distantem & hoc quidem præcipue in isto corpore centri mundani contingit. Aqua igitur ubi stationem suam deserit, & alta petit scilicet æthera tunc contra naturam suam scandit & opus est ut pellatur, quia hoc ex seipsa facere non posset: Idem de terra sentiendum, quod patet ex pulvere & aliis; Qua igitur ratione in figura mundana centrum sit inferius & in suo loco contineatur, pu'o esse declaratum. Ast illud est magis mirabile, quomodo magnum istud mare contineatur in terminis suis respectu terræ, ita ut per motus validissimos ventorum alveum suum non egrediatur. Hoc quidem ita factum in ista separatione, ubi aqua & terra quidem in unum globum formatæ fuerunt, ita tamen ut concavitates in terra factæ, aquam tanquam suis propriis limitibus interminabilem in terminis suis vel locis includant. Ast quo fundatore bases terræ sic solidatæ sunt? Quo motore mirabilis ista aquarum separatio fuit perpetrata? Veniant naturalistæ atq; demonstrent in natura causam agentem seu efficientem, quæ ista facere posit. Licet enim ad ignis & aëris potentiam ad quam alibi semper confugiunt, quasi sint Elementa

agen-

agentia in ista passiva: h. l. Sane ipsis effugium illud non proderit quia ignis actio ex centro non pellit in circulum nisi per instrumenta circularia ad id cogatur, sed pellit in rectum, ex inferiori ad superiora ex naturali sua potentia & potestate. Qua igitur ratione vel aër vel ignis aquas in locum unum congregare potuerunt cum potius illas dissipent quam congregent? Qua etiam ratione terram excavare cum potius illam consolidare magis soleant? Neq; etiam illud naturæ terrenæ attribuere possunt, quod scilicet tanquam gravius Elementum ad fundum cadens, subsederit aquis veluti levioribus ad superiora elatis, Hoc enim concesso sequeretur etiam terrã æqualiter ad centrum cecidisse, aquis in circulum sibi circumfusis, ita ut tota aquis tecta remansisset. Sequitur igitur separationem istam nequaquam ex naturali dispositione proprietate & actione partium mundanarum sed ex mera sapientia potestate & voluntate divina fuisse factam. Hoc ipsum confirmat Deus summus ad Jobum ita loquens c. 38. Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam; Quis posuit mensuras ejus si nosti? vel quis tetendit super eam lineam

super quo bases illius solidatæ sunt, aut quis demisit lapidem angularem ejus? Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens: Cum ponerem nubem vestimentum ejus & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem? Circumdedi illud terminis meis & posui vectem & ostia Et dixi usq; huc venies & non procedes amplius & hic confringes tumentes fluctus tuos.

Cap. III. Formatio specifica globi terreni.

DIxit insuper DEus: germinet Terra germen. *In principio suæ creationis terra inanis erat & vacua, nunc autem Deo jubente ipsa ex se ipsa & suis visceribus varia germina produxit. Multa circa hæc atq; pulcerrima veniunt consideranda. 1. Quod separatio chaos jam finem suum consequuta sit. 2. Quod productio specierum & individuorum particulariter nunc incipiat. Immediate igitur tantum partes generales & Elementa omnia & corpora magna cœlestia à Deo fuerunt producta; Individua autem subcœlestia mediantibus Elementis atq; ex ipsis. Quædam ex Terra*

Aqua

Aqua & Igne, quædam ex Aqua Terra & igne: Quædam ex igne Aqua & terra. Aer autem sive cælum sive AEther seu firmamentum his omnibus adest tanquam locus & inest tanquam locatum. Quatenus enim corpora aerem habent ambientem eatenus in sunt ipsi. Quatenus vero Aer omnia penetrat atq; pertransit, eatenus ipse est in individuis. Et ita non solum omnia particularia Individua ex Elementis participant, verum etiam Elementa ex seipsis. Licet enim per separationem præcedentem â Deo substantialiter fuerint separata sicut etiam localiter, non tamen in totum se invicem deseruerunt, sed quoad magis & minus ita ut in uno loco mundi plus de natura ignea, in altero de aëre & in reliquis de Aqua vel terra omnia tamen per modum mixturæ resiederint & ut cum quolibet istorum semper aliquid de altero localiter contineatur. Quod autem hoc ita se habeat, facile patet ex ista productione vegetabilium, de Aqua enim & terra eorum nullum foret dubium, siquidem ista duo Elementa assensum adhuc permista jacent. De ad. sensum *Igne autem eorum illi dubitabunt, qui totam vim Ignis in Sole solent collocare: quæ tamen sententia hisce aperte refutatur: Quia tunc*

temporis sol nondum erat formatus, & per consequens non poterat esse causa ignis in vegetabilibus latentis licet sit aptissimum Instrumentum: quo ignes isti latentes per accensionem nobis patefieri possint. Ad actum enim sensibilem atq; lucentem ipsos deducere potest generare nequaquam cum in ipso sit purissimus ignis, ut postea apparebit. Isti autem ignes non simplices existunt sed specificati & maxime differentes. Imo quod præ cæteris consideratione dignum est, ignis noster focalis maxima ex parte non habetur nisi ex vegetabilibus istis ante solem creatis. Quod autem vegetabilibus insit ignis proprius, & nequaquam aliunde mutuatus experientia ipsa demonstratur. Accipiant enim Sp. Vini & ejus Phlegma quæ juxta visum & tactum non distinguuntur & admoveant ignem uni atq; alteri & sensus ipsos docebit in quo ignis latet vel in quo non. Concludimus igitur ut supra non tantum reliqua Elementa tria, Sed ignem terræ assistentem remansisse, neq; totaliter vel infra vel supra Firmamentum & ejus corpora fuisse collocatum. Effectus enim sensibiles satis nobis testantur de causis insensibilibus & iis quæ sola ratiocinatione per-

percipiuntur. 3. Est observandum quod sacra scriptura nullam faciat mentionem productionis Lapidum Sulphurum, Mineralium, & metallorum quæ tamen & ipsa individua terrena existunt, unde conjicere possumus quod tacitè nobis indicetur, omnia ista ad propriam substantiam terreni corporis separati pertinere quod etiam ipsa hujus globi consideratio confirmat; quid enim aliud est terrenum corpus sicut nunc conspicitur quam congregatum aliquid ex istis omnibus? Quicquid enim in ipso detegere possumus sunt lapides vel arenæ vel pinguedines salia &c. vel quoddam exinde commixtum. Idem indicat subtilissimè divinus Moyses inquiens vegetabilia à terra producta esse adsuperficiem ejus vel super terram, ergo quod intra superficiem continetur ad terram ipsam pertinet. Quæritur tamen an in Principio ita creata sit? Resp. quod non, sed tantum simplex pulvis & salinum quoddam corpus omnibus hisce Formis specialibus vacuum & inane, quod postea à Spiritu Dei agente in chaos aquarum Formis suis radicalibus omnium rerum, quas postea ex se produxit, fuit repletum. Vacuitas enim cujuscunque corporis non est nisi vacuitas

ejus ornatus qui à formis dependet. Nullum enim corpus in seipso consideratum vacuum dici potest, siquidem substantia solida existit; ast nuda & inanis: Sic etiam terram ex chao per separationem prodiisse censendum est attamen statim ex propria potentia sibi à Spiritu Dei indita jussu verbi divini pulcherrimè vestitam apparuisse: quæ omnia tertia die acciderunt. 4. *Igitur notatu dignum est, quod ex informi, (quoad apparentiam) corpore terreno pulcherrime formata prodierint individua. Vnde quæso virtus ista formatrix processit, quæ hæc omnia tam admirabilibus speciebus distinxit? Prodeant Naturalista & dicant quando & unde prima forma cujuslibet speciei inceperit? Generatio enim horum quoad præsens tempus fit circulariter & forma radicalis in ipsa stirpe generatur scilicet in semine ex ea in semine latente semper aliud simile individuum producitur & non ex alio. Jam vero videmus quod in omnibus individuis, quæ per generationem, speciem suam in individuis conservant, semen sit ultimum quod prodit ex individuo plantali. Et est primum ad aliud simile individuum constituendum: Et terra tempore præsenti raro aliquid horum*

ex

ex seipsa producit, imo species perfectiores semper tantummodo ex semine, quo carente nihil sub tali forma generare potest, & per consequens vis ejus ad semen limitata est. Cum autem semen seipsum producere non possit, nec forma seminis ex seipsa prodire, nec terra sine semine vel plantam talem vel semen vel formam generare: apparet sane, quod principium horum omnium aliunde processerit, nec circulatio ista fuerit perpetua. Et quod mundi æternitas male ex circulatione generationum concludatur; Ex ratione enim jam allegata planum est: circulationem istam non esse perpetuam, sed aliquando incepisse, & quod principium ejus sit supra naturam atq; divinitus inceptum, dum in omnibus iis, quæ circulationem istam continent, nulla potestas reperiatur, quæ ex seipsa eam aliquando potuerit incepisse, sed causa quadam omni generatione naturali longe excellentiore: cujus operatione primæ dispositiones productæ, generationibus initium præbuerunt, quæ eousq; progredientur, quousq; Deo aliter hæc ordinare iterum placuerit. Prodeant jam & illi qui formas rerum ex cœlo Solisq; ac Lunæ & stellarum influentiis progenerari affirmant.

Ubi

ubi enim tunc erant Sol Luna & Stella cum prima germina vegetabilium producebantur? Nonne adhuc in chao latebant? Qua ratione igitur aliis formas influere poterant ipsis nondum in actum formaliter deductis? Sed isti non tantum à sacris literis refutantur sed etiam ab ipsius naturæ actionibus. Nonne formæ in seminibus generantur, & semina à vita vegetativa terræ in ipsis plantis. Licet enim pro tempore cælum causa talis existat, sine qua nihil quod generatur, generari posit, non tamen inde sequitur, Cælum esse Causam efficientem & genitorem istarum formarum. Sed instrumentum quasi & malleum Archæi terreni seu virtutis stomachalis ejus, quæ semina coquendo resolvit putrefacit & ad exemplar in semine latens similes plantas producit, & in ipsis plantis sic productis nova semina fabricat mediante tamen & cooperante Spiritu cælesti sub assistentia Sydereorum influxuum, quibus adjuvantibus vel contrariantibus pulcriora vel turpiora & pluribus qualitatibus (eidem tamē speciei & exemplari convenientibus) vel exaltatis vel suppressis, immutata evadunt. Causa interim principalis activa in ipsa terra residet & operatur ferme sicut Archæus

ani-

animalium in proprio eorum corpore & præcipuis partibus, Stomacho, Epate, Corde renibus &c. Magnam quidem non tantum in generationibus, verum etiam in aliis actionibus concordantiã inter partes universi nemo prudens negaverit: attamẽ in eo cavendũ, ne vel contra naturam ipsam vel contra sacrarum literarum eloquia aliquid statuatur. Quæ semper vel in minutissimis rebus etiam ubi de rerum naturalium consideratione agitur cum natura concordant. Naturalia quippe sunt opera Dei & S. Literæ verba ejusdem: Qua igitur ratione discordare possent? aut quomodo illud potest esse verum, quod vel in minimis ab istis dissentiat. 5. Tandem sequitur omnium pulcherrima observatio, Qua iterum S. Trinitatem sese patefacientem deprehendimus. Sicut enim supra dictum fuit, quod creatio rerum facta sit per silentium Essentiæ & verbum internum sapientiæ divinæ & per motum ejusdem vitalem: Ita videmus quod separatio rerum creatarum universalior facta sit per egressionem essentiæ & verbum Dei emanans ac circumsonans, una cum activitate Motus majoris: quæ quidem separatio est causa distinctionis & hæc causa omnis pulcritudinis, ordinis, diversitatis, for-

formarum quæ proximè quidem à Sapientiâ divinâ dependent. Nam sicut essentia rerum vel simplex vel confusa vel abscondita & latens à Deo in Abysso latente atq; silente: Sic essentia earum formata à Deo prodeunte atq; loquente resultat. Illud quidem in principio temporis hoc autem cum ipsius temporis progressu. Sed sicut essentia & Forma sine vita existunt defectuosa, sic tertio loco succedit prima ut ita dicam generatio Individuorum, quæ majoribus vitæ donis dotata conspiciuntur. Hæc autem fit per motum vitalem Essentiæ & verbi divini latius jam progredientem qui tamen proximè à Spiritu Dei ejusq; agitatione dependet. Ex hisce igitur patet sensus versiculi 5. c. 2. ubi ait. Quod Deus creasset atq; fecisset omne virgultum agri antequam esset in terra & omnem herbam antequam oriretur. Sicut enim creatio à separatione ita Separatio ab ortu seu generatione quam maximè differt. Creatio enim totum comprehendit confuse: Separatio distinguit totum in partes principales, & generatio vel ortus ornat totum per partes individuales. Ecce igitur S. Trinitatis imaginem in operibus suis atq; Effectibus Patris præcipuè in obscuritatis atq; silen-

tii

tij creatione: Filij in verbo separatione vel formatione: Spiritus S. in generatione vegetativa seu vitali per motum; utpote talis qui à Patre & Filio etiam per motum quendam aeternum procedit: Et quamvis hac omnia juxta differentiam trium personarum apte distinguantur & etiam trium Personarum distinctionem perpulcre indicent, attamen hoc fit cum conservatione unitatis Essentiae. Quicquid enim creatur, separatur, & oritur, id omne non fit à Deo diviso; Sed uno & trino agente diversimode & unice & tali ratione quali & ipse Deus sanctissimus existit. Sicut enim omnia tàm chaos, quàm partes Elementales & individuales ex omnibus participant; ita etiam Deus unus & trinus omnia simul & inseparatè producit; Chaos enim participat bonitatem Essentiae formationem Sapientiae & motum vitalem: Elementis omnibus eadem insunt atq; etiam individuis ita ut nihil horum omnium hujus vel illius beneficij totaliter destituatur: Sic etiam tota sanctissima unitas & Trinitas DEus; hac omnia omnibus tribuit licet hoc vel illud proximius, ab ista vel illa Personarum & ejus beneficiis magis propriis recipere, ipsa divina verba satis aperte testantur.

Agunt

Agunt igitur in ista creatione Deus Pater latens, quem nemo videt & novit nisi in Filio & per Filium: Agit Deus loquens apparetq; in filio seu verbo: Agit Deus vivens & procedit in agitatione Spiritus Divini, producunt autem per creationem in omnibus rebus Materiam & Essentiam Substantialem, Formalem, Vitalem, seu mobilem, atq; hoc per triplicem actionem, creationem confusam, separationem distinctam & Generationem viventem in chao, Elementis & individuis atq; sic S. Trinitas sese demonstrat in propria præsentia in rebus productis in actionibus. S. Vnitas in toto universo in qualibet ejus parte & atomo. Hoc enim totum & Partes ex unitate & multitudine constat, quæ multitudo tandem in omnibus reducitur ad Ternarium Essentiæ, Formæ, Vitæ, quæ tamen semper in unoquoq; subjecto sub Vnitate bonitatis comprehenditur.

Cap. IV. Productio Corporum cœlestium.

Dixit etiam DEus sint luminaria in expansione cœli ut dividant diem a nocte & sint in signa

&

& Tempora & dies & annos.

1. Nobis DEus enarrat quidditatem creaturarum diei quarti, 2. Earum locum, 3. Causam finalem & ad quid sint producta. Creaturas autem istas vocat luminaria in genere licet in versibus sequentibus eas specialiter & individualiter distinguat siquidem & revera maxime distincta hisce nostris temporibus beneficio instrumentorum mirabilium vel ipso sensu deprehendantur. Luminaria autem vocantur ab ipsarum natura pracipua Luminosa sic tam passive quàm distributive considerata. Cum enim terra sit in loco tenebrarum præ cæteris mundi partibus constituta, respectu istius globi, cælestes illi sane luminarium nomen merentur, licet nec ipsi excepto forte Sole tenebrarum natura penitus privati existant quod ab Ecclypsibus Lunæ vel etiam ejus mutationibus præ cæteris satis est cognitum, quamvis & in aliis stellis Astronomis diligentioribus eadem proprietates innotuerint. Hoc quidem in loco audaciã duarum sectarũ satis mirari non possum, quarum alteri Hebræi alteri Copernicistæ, qui contra expressissimũ & clarissimum literarũ S. textum & partim contra ipsius Naturæ proprietates sententias suas introducere nituntur.

E Hebræi

Hebræi enim, ut Vatablus meminit, Solem in primo die fuisse creatum contendunt: Cum tamen Moyses expressissime dicat, hunc fuisse quarto die productū unà cum reliquis. In principio quidem omnia à Deo fuisse creata, facile concedi potest, ut ex v. 5. c. 2. patuit, ast confuse in chao latentia, ex quo primo Elementa generalia, postea verò substantiæ particulares ex Elementis fuere eductæ. Cum autē dico elementa, intelligo omne id, quod causa rerum constituens essentiam esse & vocari potest. Exempl. grat. literæ, quæ sunt Elementa syllabarum, syllabæ dictionum; dictiones propositionum & istæ sermonum. Non solum autem divina Moysis verba hoc ipsum notificant, verum etiam ipsius naturæ ordo, quem Deus in sapientissima sua creatione constituit ac observavit & per verba Moysis satis aptè nobis declaravit. A generalissimo enim & confuso ad generalia distincta, & ab istis progressus est ad specialia distinctissima. Cum autem terrenus globus sit ex præcipuis partibus, licet quoad magnitudinē inferior existat: tamen quatenus vergit ad centrum universi, ipsumq; circumdat, eatenus etiam ut minor sit cæteris partibus, quæ circumferentiæ seu super-

superficiei Abyssi viciniores sunt, vel ipsa loci ratio postularet. Cæterum ille ipse locus, in quo terra constituta est, ipsi hanc prærogativam tribuit, ut sit abbreviatura quædam omnium superiorum. Licet etiam individua specialia vegetabilium sint parvum quiddam in comparatione globorum cœlestium ratione quantitatis, attamen cum partes terræ sint accretæ, vel potius ex ipsa terra, & in ipsa, & de ipsa, & ab ipsa productæ & sic ad globum terræ pertinentes, conveniens sane erat ordini Naturæ, à Deo constituto, ut tota terra cum omnibus iis, quæ ejus sunt propria, perficeretur, siquidem ipsa est una ex partibus mundi universalibus nequaquam autem stellæ, licet ratione quantitatis sint majores; conveniens etiam erat, ut luminaria ex parte eum in finem producta, ut Terram illuminent id ipsum jam factum reperirent quod illuminare debebant, & illuminandum præexisteret.

Vatablus etiam meminit & addit opinionem quorundam, quod nempe luminaria post terram & partes ejus fuerint creatæ, ne homines sibi persuaderent, Solem esse causam lucis generationisq; herbarum & arborum, atq; ita acciperent ansam idololatriæ. Hanc

quidem suis authoribus relinquo: mihi tamen non videtur, Deum & Summam ejus Sapientiā ex tali causa ordinem naturæ in gratiam quorundam sic opinantium pervertere voluisse, sed ipsum secutum ideo, quod Sapientissima ejus divinitas hunc ita bonum esse absolutè non respective & vidisset & voluisset. Licet etiā animalia non ante Luminarium Stellarumq; ortum à terra & aquis fuerint producta, non tamē sequitur, ordinem universi in productione vegetabilium idem postulasse. Animalia namq; non partes terreni globi sed potius ejusdem habitatores existunt. & licet ex ipsa terra virtute imperij divini producta fuerint attamen ab ejus corpore existunt aliquid maxime separatum & quidem ita ut perfectiores & magis præcipuæ eorum species terra non amplius producere possit cum speciali mandato divino & prædispositione non amplius sit instructa. Hinc etiam considerabilis est differentia productionis vegetabiliū terræ & stellarum cæli. Terra enim herbas suas ex seipsa producit, & in seipsa conservat, Luminaria autem à cælo nequaquā fuerunt producta; Sed tantū in ipso à Deo collocata, ita ut nulla ratione partibꝰ cæli constitutivis annumerari possint.

Mira-

Mirabilis enim ordo Dei in istis operationibus existit. Nam sicuti in tribus primis diebus separationem omnium partium Elementaliũ seu universalium Deus perfecerat; ita in tribus ultimis diebus eorum habitatores & incolas educit. Et sicut in primo ex tribus prioribus Lux ipsa separabatur: Sic in primo ex posterioribus ejusdem individua separata evocantur & in locum suum collocantur. Ex quo quidem Hebræi supradicti potentissime refutantur, quod scilicet in primo die luminaria non poterant produci, cum locus, in quo locarentur non nisi secundo die à Deo fuerit præparatus. Locabile enim semper præsupponit locum, aliàs locaretur absq; loco: quod equidem Deus ita ordinans non solum in cælo replendo, verum etiam in cæteris mundi partibus perfecte secutus est, sicut enim cælestia animalia in primo ex tribus ultimis, sic volatilia & Aquatica in secundo ex ultimis scilicet quinto fabricavit. Nam die secundo ex primis Aqua separata & cælum expansum est, in quibus cæte & pisces degunt atq; moventur & volucres in superficie cœli. Cum autem die tertio ex primis terrenus globus separatus atq; perfectus sit, die tertio etiam ex ultimis ejus-

 dem

dem habitatores separati & mobiles bestiæ scilicet fuerunt creatæ, & tandem dominator ejus homo. Praterèa & ordo Sphara atq; mobilitatis hoc ipsum postulat. Quia centrum est stabile, linea recta, & circumferentialis sunt mobiles. Et separatio rerum merito â mobilibus incepta est, quia separatio est effectus motus: & in stabili cum partibus suis stabilibus finem accepit. Sic etiam stellarũ, quibus velocissimus est motus, productio reliqua animalia pracessit: hanc vero secuta est volatilium & piscium: & istam animaliũ terrestrium, & tandem hominis: quia vapores aërei & aquarum fluxus, stabilitatem terræ merito pracedunt. Vnde iterum patet falsitas commentationis Judaicæ, quod nempe in tribus primis diebus nulla creatura specialis seu individualis ex seipsa & quidem localiter mobilis fuerit producta sed solummodo pars mobilis superior & universalis Mundi. Tribus autem diebus ultimis omnia individua mobilia producuntur, quæ in cælo, mari & terra existunt. Nam stellis omnibus est motus proprius, contrarius illi, quo totũ cælum movetur: Non solum enim Planetæ suos circulos cursusq; absolvunt, sed etiam ipsaque alias

fixæ

fixæ dicuntur stellæ, licet tardius movere se-se, jam nimis notum est. Hinc etiam stellarum exercitus non improprie à Platonicis animalia vocata sunt, quia revera animalia cœli existunt propter proprietatem, quam habent seipsas movendi, nam motus talis semper est effectus animæ seu vitæ scilicet vegetabilis. Nequaquam tamen ob id animalia cognoscentia sunt vocanda. Hac enim proprietate dotata esse, neq; per verbum Dei, neq; ex eorum actionibus vel effectibus ullo modo deprehenduntur: Imo contrarium potius colligitur ex motu syderum certo ac regulari, in quo sane vel ipsis bestiis terræ inferiora existunt, cum non pro lubitu sed coacte cursus suos absolvunt, quæ cæcorum potius est proprietas, non autem videntium vel cognoscentium, si autem cognoscendo motum suum instituerent, etiam aliqua ratione vel signo libertatis participationem indicarent.

Tempus jam est, ut & illos alloquamur qui novam sectam sequentes, non solum cœlum stabile & terram mobilem affirmare audent, sed etiam Solem fixum atq; loco terræ in centro universi collocare. His igitur propositionibus verbum divinum aperte reclamat, quacunq; tandem ratione illi audaciam

suam excusare nitantur. Cœlum enim in medio Aquarum fuit collocatum pro firmamento earundem & luminaria atq; stellæ in ipso cœlo, ergo nequaquam in centro universi, sed in ejus medio. Deus igitur ipse mendaces redarguit. Verum etiamsi per verba Dei certi non essemus de hac veritate; ipsa ratio quam pro confirmatione suæ opinionis solent adducere ipsis est contraria. Ajunt enim Soli ob id locum centri convenire, ut omnes universi partes tanquam illuminator & vivificator æqualius attingere atq; actus suos ipsis communicare possit. Sed videant quæso quam malè hinc inde sequatur confirmatio suæ intentionis. Si enim Sol in centro foret constitutus, sequeretur quod tantum viciniora corpora perfectis ejus donis & influentiis gaudere possint, minime autem longius distantia. Sol enim cum sit corpus finitum non habet nisi finitam actionem & ista talis est sicut omnium corporum, ut sic pro distantia & occasione loci plus minusve actus suos emittant atq; distribuant. Hoc etiam confirmat sensus ipse per Solis actiones instructus. Dum enim Sol nobis propinquus est, æstatem producit, cum remotior, hyemem. Cum a centrum mundi sit angustissimus ejus

locus

locus, pauca etiam & non nisi parva corpora soli vicina de ejus Lumine participare possent. Corpora vero illa ingentia in vasto cœli spacio collocata ejus donis omnino quasi carerent, tam quoad calorem vivificum, quam quoad illuminationem, quod omni sensui ac rationi est plane contrarium. Consideremus igitur ejus locum in Medio universi & firmamenti. Vbi Deus posuit tabernaculum suum in quo ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo, exultat ut gigas ad currendum viam suam, Ab extremo enim cœlorum est egressio ejus & revolutio ejus usq; ad extrema eorum & non est qui abscondat se â calore ejus. Consideremus igitur ipsum in hoc loco currentem & ipsa ratio nobis demonstrabit, quod longe perfectius & æqualius omnibus corporibus mundi adesse posit, quam si in infimo universi loco fixus resideret. Profecto qui sanæ mentis est hoc facile capiet, quod medium plus conveniat extremitatibus, quam extremitates inter se & quidem sine medio apto. Cum autem Sol sit talis, qualis existit nempe mediator omnium visibilium atq; viventium & cor totius universi, cur quæso extra medium est collocandus, qui sine loco medio me-

diator esse non potest. Absurdior profecto hac est sententia, quam si aliquis Momus fabricam hominis reprehendens, cor ejus non in medio corporis, sed in pedibus vel umbilico collocandum profiteretur. Ne igitur secedamus â verbo Dei & totius antiquitatis sententia ut male fundatæ, huic opinioni adhæreamus. Hæc quæ jam dicta sunt ordo insuper ipsius creationis confirmat, quod nempe mobiliter viventia, sive localiter mobilia â quarto die creari inceperint, cum antea non nisi immobiles partes aut certe mobiles universales factæ fuissent. Cur igitur solem immobilem & terram mobilem diceremus, cum omnia requisita mobilitatis millesies plus in sole, quàm in terra inveniantur. Imo consideremus textum divinum, qui omnes stellas, tanquã corpora cœli mobilia, seu ejus animalia, vel habitatores die quarto producta & in cœlum collocata fuisse affirmat, alias plus, alias minus, etiamsi non omnium motus propter distantiam & situm ab oculis nostris observari possit. Solum autem corpus terrenum per separationẽ â reliquis universi solidioribus partibus, tanquam maxime solidum, & proinde grave & fixum fuisse separatum, & quidem eo in tempore, dum

cor-

corpora ex seipsis immobilia formarentur. Quicunq; ipsam naturam formæ sphæricæ quam universum possidet considerabit, hic facile inveniet centrum terræ tanquam graviori corpori non autem Soli vel levioribus convenire: Ipsa enim solididatis ratio ex coarctatione dependet, sicut & centrum ipsum. Raritatis autem natura è contra laxationem & distantiam desiderat. Non igitur terram à loco suo vel Archimedes movebit cum in consideratione omnium corporum cœlestiũ si non gravissimum, ad minimum certe omnibus reliquis in ponderositate pro proportione æquale deprehendetur.

Est & alia quædam opinio quæ cœlum aliquid infinitum asserit infinitaq; corpora & soles in eo sibi imaginatur: In hac opinione refutanda non multum immorandum est, cum neq; ratione nec ulla sensibili vel imaginabili veritate vel possibilitate innitatur, imo totaliter super impossibile, utpote rebus contra naturam tribuens id, quod earum naturam potius destrueret, eo ipso enim quo corpora inter infinita collocantur, ex corporea natura removentur, Nobis itaq; sufficiat verbum Moysis universum, nempe in chaos suum, & mox in Mundum per superficiem

Hec opinio plures habet assertores, nec [illegible] ratione [illegible] nititur, [illegible] [illegible] refragatur. Videmus enim stellas quasdam, puta spicam virginis, sirium [illegible] [illegible] ut soles esse negari non possit.

ciem Abyſſi fuiſſe localiter determinatum. Abyſſi autem ipſius infinitudinem cum captum noſtrum excedat inter divina ſecreta dimittamus.

Loco ſtellarum conſiderato, & perfecte jam inveſtigato opus eſt ut de quidditate earum quædam proponamus, ubi quidem major difficultas ſeſe nobis offert, cum divina Sapientia ipſam nobis claris verbis non revelavit. Ad Quidditatem enim rerum perfecte cognoſcendam requiritur omnium cauſarum cognitio præcipue autem Materiæ & formæ. Materiæ quidem à Moyſe nulla ſit mentio, Quantum vero ad Formam externam ſive Figuram ſeu ſui apparentem attinet, petatur ejus natura ex nomine ſcil. quod ſint luminaria & per conſequens lucida & maxime de forma lucis participantia ſecundū unius cujusq; diſpoſitionem vel plus vel minus: Idem etiā patet ex ſenſu, ita ut circa iſtum paſſum ſatis inſtructi ſumus. Attamen id maximè conſiderandum, quod ſolus Sol, tanquam miraculum cœleſtium corporum, propria tantum luce ſplendeat. Luna autem & cæteræ ſtellæ non niſi per reflexionem ab iſto, unde etiam ritè concluditur quod in ſua ſubſtantia ſit maxime diverſus à reliquis. Solis quidem

elogia

elogia ab omni tempore tantum fuerunt celebrata, ut etiam in excessum non parvum excreverint, adeo ut quasi pro Deo quodam visibili sit habitus & adoratus de quo tamen extreme stupesco, homines scilicet anima rationali praeditos in eam amentiā cecidisse, ut creaturam, in qua ne scintilla quidem operationum rationalium vel intelligibilium elucet, sibi ipsis qui tanta gratia (licet pro tempore cum impedimentis) á summo Deo dotati sunt, praeferre potuerint. Nihil enim in sole & ex ipso praeter vitalia seu simpliciter vegetabilia dona vel recipimus vel suspicamur. Etiamsi Anima in hac corrupti corporis mole captivata per Spirituum vitalium administrationem aliquid auxilij praebeat, illud tamen non fieri nisi per accidens certum est, cum Spiritus isti non sint creaturae causa intellectionis nostrae, essentialis vel directa, sed tantummodo instrumentalis, & sine qua non, anima nostra in composito functiones suas exercere possit. His igitur relictis ad alia transeamus. Quaeritur enim non immerito qualia possint esse corpora coelestia num densa vel rara? Ubi quidem sine omni haesitatione pronuncio ea corpora densa existere, quod ex ipso sensu confirmatur, siquidem per

per ipsum nihil percipere possumus, quod non sit densum, ea ad minus densitate, quæ superet instrumentum visus nostri, omnia enim, quæ variora sunt, hæc sensum nostrum effugiunt, quod multa probatione non indiget, Quo igitur aliquod corpus densius fuerit & lucidius eo magis erit visibile. Cum autem corpora cœlestia a nobis ex tam longinqua distantia tam clare percipiantur (modo a luce majore eorũ splendor non supprimatur, cur aliud concludamus, quàm ipsa densa esse & lucida. Cum autẽ corporũ densa sint diversorum graduum, nonnulli in eam sententiam inciderunt, quod corpora cœlestia non sint adeo densa, sicut ipsa Terra; quod equidem facile concedi potest, ex pluribus rationibus superius jam allegatis. Ast à media via ad extremitatem sccedentes insuper affirmant, ea corpora nubilosa tantũ, neq; aliter in Materia disposita, quam quantum ipsis sufficiat pro susceptione, & reflexione Luminis Solaris, verum ultra quod natura corporum nubilosorum infirma & variabilis, haud apta sit ut tantum lumen tot annorum curriculis cum perpetuâ Idenditate signorum à tam longinquo spatio non per lucem propriam, sed mediante reflexionee mittere possit: patet id etiã

sensui

sensui per artificium instrumentorum nuper inventorum, quod corpora cœlestia (præcipue autẽ Lunare, quod nobis est vicinius, & per consequens magis conspicuum à densitate terræ non multum differre possit. Videantur igitur recentiores qui de hac re luculenter scripserunt, ubi pro certissimo fundamento habebis, corpus Lunare pro mutatione sui Luminis certis semper & immutabilibus formis seu signis apparere, quod quidẽ in corpore nubiloso vel simili haud fieri potest. Constantia enim signa in solidis tantum corporibus imo in solidissimis locum habere possunt. Nubilosum autem corpus propter ligaturam partiũ suarum minime solidã mutationibus semper est subjectũ, & proinde non tam validũ ac constans lumen repercutere potest. Objiciunt alij corpus terreno simile propter impedimentũ exhalationũ & nubiũ inde formatarum oculis obviũ fieri non posse. Hoc autẽ ex ratione jam dicta facile refutatur. Si enim certis temporibus certa semper signa & invariabilia conspiciantur, prout moderni cœlorũ scrutatores constanter & unanimiter, affirmant, certum etiã est tunc non videri nubes incertas & incerta vaporũ exhalatione

&

& condensatione progenitas, sed corpus quoddam certa specie & forma æqualitatis indutum. Verum isti contradictores harum observationum ut plurimum ij existunt, qui oculis propriis nil tale conspexerunt, sed speculatione sua fulti judicium faciunt ut cæci de coloribus. Videant prius & postea judicent, nam ipso sensu persuasi fatebuntur, se aliquid solidius quam nubes aut corpora nubilosa conspexisse. Mihi quidem satis persvasum est, corpora cœlestia ex materia, terrenæ non admodum absimili esse formata sicut mox latius videbimus. Interim tamen non negarim, ea ipsa supina corpora minus de soliditatis ratione vel formæ participare, quam nostrum idq; duabus præcipue de causis maxime prægnantibus. Quarum prima est. Quod sint mobilia. Motus enim semper convenientior est levioribus quam gravioribus; quamvis motus corporum ex virtute ipsius motoris præcipue dependeat, omnis tamen actio fit facilius in re magis disposita. Secunda est. Quod non circa centrum sint constituta sicut corpus terrenum. Jam verò ex ipsius centri natura resultat condensatio; ex condensatione soliditas, ex soliditate gravitas. Ergo ea quæ magis

magis distant à centro, magis participant de Natura circumferentiæ & per consequens raritatis levitatis & mobilitatis. Terra igitur respectu universi videtur omnibus solidior, unumquodq; autem Corpus Sphæricum cœleste etiam in suo centro & per ejus naturam consolidatum & pro loco & aliis, dispositionibus forte plus vel minus respectu reliquorum. Attamen cum hæc omnia non nisi conjectura capiamus, merito in suspenso cœlorum relinquuntur.

Vt tamen aliquid specialius de Materiâ cœlestium proferamus, licet illa â Moyse & Deo expressis verbis non nominetur, ex cæteris sane divinis actionibus & verbis de hac creatione nobis benigne traditis sequentiâ licet conjicere. Et primo loco quidem satis patet quod non ex ipsius cœli seu firmamenti substantia fuerint producta. Hujus quippe natura rarior existit & inter aquas & aquas utpote partes densiores firmamenti loco collocata. Verba insuper S. S. indicant stellas quidem factas, Domicilio cœlesti fuisse impositas, non autem ex cœlesti corpore productas. Hoc enim si factum fuisset, sequeretur cœlum ipsum

post sui productionem & perfectionem iterum in substantia fuisse diminutum, quod quidem neq; rationi neq; scripturæ conveniens est. Jam vero, cum ex cœlesti materia stellæ factæ non fuerint, patet etiam ipsas nec ex aquarum sub cœlestium substantia fabricatas fuisse: Hæc enim in totius Terræ Mariumq; corporibus formandis jam erat consumpta. Restat igitur, quod aut ex nihilo sint productæ nova quadam creatione, aut certe ex substantia aquarum super cœlestium, quod quidem omnium videtur esse verisimilius. Deus enim qui in principio omnia principia Mundi in chaos quoddam jam creaverat, in diebus sequentibus non tam creatione ex nihilo, sed separatione ex chao creato usus est, quod satis patuit ex præcedentibus. Cum autē in die secundo Aquæ ab aquis dividerentur, antequam rarum & densum ex ipsis esset distinctum, patet sane, quod densitas etiam, quæ in aquis super cœlestibus latebat, in cœlestium corporum separationem ex parte consumpta sit, sicuti densitas aquarum sub cœlestium in terreni globi constitutionem: Idem etiam cum raro utriusq; partis aquarum in Firmamento constituendo accidisse veritati maxime consentaneum est.

Huic

Huic affirmationi favere videtur Propheta Baruch ubi ait c.3.v.34. Qui emittit lumen, & vidit, & vocavit illud & obedit illi cum tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis & lætatæ sunt, vocatæ sunt & dixerunt, adsumus, & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Idem confirmat dictũ Isaiæ c.40. Levate in excelsum oculos vestros & videte, quis creaverit ista? Educens in numero exercitum illarum: Quis ista omnia vocet nomine præ multitudine fortitudinum & forti potentia ne meum quidem deficit. Neq; igitur circa ista quis objiciat, quod dignitati creationis ex nihilo hisce videatur derogari. Illa enim semper manet intacta, utpote in principio ipso sat exercitata atq; perfecta. Imo potius ordo naturarum, & temporis, & prudentiæ, & sapientiæ, & ipsius naturæ divinæ hæc omnia sic facta fuisse undiq; acclamant.

De Sole jam dictum est, quod omnibus cœli corporibus sit perfectior ac eminentior; quod satis patet ex ipsius lucidissima substantia, & perpetuo luminis vitaliq; calore inde manante. Dicamus jam de ipsius materia; quod ex purissima omnium aquarum super cœlestium substantia solida in com-

bustibiliq; plane & congregatione præcipuarum lucis partium fuerit formatus & constitutus. Quod enim solidum corpus existat, patet ex ejus visibilitate, quæ per ejaculationem tantæ lucis oculis nostris se reddit conspicuum, imo potius molestam, quod nullo modo fieret in materia rara neq; etiam lucis tantæ splendorem effunderet, nisi omnes lucis creatæ potentiæ in ipso essent congregatæ. Excellens quidam Philosophus ita de Sole loquitur: Probabile est, lucem Solis cœlestis esse proprietatis, atq; essentiæ igneæ, quæ ipsi à suo Deo creatore cœli & terræ tributa est, in cœlesti quodam fixo atq; constante Spiritu Sulphureo ad conservationem substantiæ suæ Formæ; at corporis, quæ creatura occasione mobilitatis sui cursus velocitatisq; ab aëre perpetua accensione inflammatur & ardet, quæ quidem ignitio, tamdiu durabit quam cursus ejus, & quamdiu totus mundus visibilis conditus in statu suo conservabitur neq; unquam extinguetur vel in ulla suarum potentiarum deficiet, cum nulla combustibilis materia ipsi præsens & addita sit, cujus consumptione, hæc magna Cœli lampas in detrimentum sui cadere posset. Cæterum cum solidum

lidum Solem superius affirmaverimus, non leve oritur dubium; qualis ejusmodi soliditas corporis solaris existat, cum purum insuper dicamus imo purissimum. Solida namq; duplicis existunt generis, diaphana scilicet & opaca. Si enim diaphanam dixerimus substantiam, tunc illud objicietur, quod minus possit esse visibilis. Ipse enim sensus testatur, diaphana quo magis talia, eo minus videri, & licet mediante lumine in ipsis recepto splendeant non tamen in summo gradu hoc fieri potest. (Quod tamen in sole summopere apparet). Diaphani enim natura cum luce vel lumine mediocriter convenit in natura, & quo plus similitudo in rebus introducitur, eo plus se perdit differentia rerum, & per consequens formalitas, & inde cognitio, quæ maxima dependet à forma, & major est in maxime formalibus quæ sunt maxime differentia. Contraria etiam experientia nobis testatur, Lumen sive lucem magis fortificari, in splendore per reflexionem ab opacis, & quo opaciora sint ejusmodi objecta, eo plus illuminata nobis splendescere: Cujus rei causa quidem sine dubio est contraria quædam vel maxime diversa natura lucis & tenebrarum.

Tenebræ enim, dum á Luce fugantur, circa centrum se colligunt, & contra inimicum ipsas prosequentem ad sui conservationem fortissime dimicant, ipsumq; retro in fugam vertunt, ita ut quasi duplicatis viribus nobis evadat visibilior, & contraria juxta se posita magis elucescant. Tenebræ enim circa centrum se colligentes soliditatem ibidem ex natura centri collectam occupantes opacitatem constituunt, quæ diaphanitati contrariatur sicut tenebræ luci. Quæritur igitur an in ipso sole etiam tenebras ponere audeamus, cum sine tenebris quasi nulla lux fiat sensibilis quæ non nisi per solida tenebrosa repulsa visibiliter splendescit? Superius dictum est, in separatione lucis quod tenebræ centrum occupaverint, Lux vero circumferentiam universi, ita tamen, ut separatio totalis, Non tam quoad locum quam quoad naturas fuerit facta, & quod cum maximis tenebris minimum de luce coincidat. Infima etiam terrarum loca & maxime tenebrosa suis gaudere coloribus propriis, quæ luminalia vel lumina parva existunt, certum est. Harmonia igitur naturæ idem videtur exposcere in lucidis, quod videlicet præcipuam circumferentiæ par-

partem possideant splendentem; centrum enim vel ex natura sua tendit ad obscuritatem. Cum enim globus Solaris necessario suum centrum possideat, sicut & cætera cælestia corpora, sequitur sane, in ipsis etiam non nihil tenebrarum fuisse collectum, quod quidem affirmare haud dubitamus, cum ex nostra sententia tenebræ in sua natura nihil mali existant. Sed potius ad lucis solaris vigorem magis magisq; augmentandum inservire possint. Imo cur negaremus tenebras in sole? Siquidem Isaiæ c. 30. 26. apertè ponantur, dum dicit. Et erit lux lunæ sicut lux Solis: Et Lux Solis erit septupla ut lux septem dierum. Quodsi itaq; Sol septies poterit esse lucidior, sequitur sane, quod eius splendor præsens, participet de natura tenebrarum. Imo cur in Sole tenebras ponere dubitamus? Cum Regius Propheta & S. Dionysius Deum ipsum in tenebris & summa luce simul habitare confirment. Si igitur isti Deum in Tenebris, cur nos in Sole tenebras non collocabimus! Concludamus igitur in corporibus cælestibus globosis formandis id tenebrarum collectum fuisse, quod per separationem aquarum cum supercælestibus secesserit, quo facto cæteræ partes

superiores à tenebris magis libera in puriorem diaphanitatem secesserunt, & corpora lucida eo magis splendentia reddita sunt, quæ beneficio diaphanorum corporum, utpote firmamenti vel cœli atq; Aquarum, lumina sua undiq; diffundere possunt, quæ absq; diaphanitate mediorum transferri non possunt. Corpora igitur cœlestia ex substantia craßiori aquarum supercœlestium & lucis separata tanquam forma fabricata fuisse affirmamus, solem autem ex fortißima lucis densitatis & purißima tenebrositate congregatum. Habemus jam tempus, locum, Materiam & Formam Corporum cœlestium: Efficientem etiam, quam opus non est perstringere, siquidem Deum per verbum suum ea evocasse, satis clarè in S. literis annotatur. Restat ut de finali causa quædam in medium proferantur.

Quinq; in textu Sacro recensentur causæ finales syderum in cœlo locatorum, quarum, 1. ut dividant diem ac noctem. 2. ut sint signa. 3 ut sint in tempora & dies & annos. 4. ut luceant in firmamẽto cœli. 5. ut illuminent terram. De hisce paßim in superioribus actum est, quædam etiam per ipsum sensum tã lucide deprehenduntur, ut non apud viden-

tes

tes sed cæcos inde verba facere opus videatur, quanquam tot secreta naturæ inde oriantur, ut etiam plus quam videntibus satis obscuritatis inde oriatur: Attamen cum nostra intentio non sit, specialiter cuncta pervestigare, cum in textu tantum generalia tractentur, pauca tantum subjiciemus. Per Signa Astrologi intelligunt non tantum stellas per se consideratas & earum Eclypses, verum etiam siderum constellationes & diversos aspectus quod sane est maxime considerabile. Quicquid enim signum esse debet id signum certe erit alicui & alicujus: Et quod in simplici figura consideratum tale existit, id in composito vires suas minime amittet, sed potius augebit ex aliis, varietatem multiplicem tam inducendo quam participando. Si quæratur, cui cœlestia sydera signa existant, respondeo, quod illis, à quibus ut talia considerari observari & intelligi possint. Jam vero ex omnibus creaturis nulla talis invenitur, cui hæc proprietas competat quam homini, qui solus mediante sensu & intellectu hoc exequi potest. Angelicæ enim creaturæ utpote incorporea, vel certe si corpore aliquo dotatæ sint, illud erit insensibile

& per consequens non sentiens sensu tali prout communiter sumitur scil. organico, & inde signorum istorum sensibilium percipiendorum minimè capax, quamvis pro intelligentiæ fortitudine hominem superent. Agens enim & patiens perfecta ratione ejusdem generis sint necesse est. E contra ab altera extremitate, bestiæ quidem existunt homini ratione sensus æquales, & aliquando superiores, carent autem ratione sufficiente & omni intellectu, ac proinde potestate sensibilia ista signa verè considerandi. Restat igitur homo solus, ut dictum est, cui istud conveniat. Experientia sane testatur, quod homines talibus rebus non parum delectentur, atq; scientiis astrologiæ significativæ incumbant, aliquando pro voto, aliquando & quidem sæpissime decepti. Licet enim rerum cœlestium constantia & ordinis firmitas omnia sua nobis pandat cum certitudine, attamen pro conditione status nostri præsentis minus capaces existimus, ut veritates istas in cœlo pictas cum veritate & certitudinis fundamento nobis acquirere possimus: Nimia enim est amplitudo & varius cœlestium corporum motus, natura atq; operationes, pro debilitate rationis nostræ præsentis

quam

quam quidem non ex creatione vel proprietate humanæ naturæ (quæ longe perfectior esse deberet) patimur, sed potius ex accidentali malo nobis acquisito. Hinc enim fit, ut de cognitione etiam leviorum simus admodum incerti; de quidditate autem signorum cœlestium quasi in totum ignorantes adeo, ut non solum pueriliter circa ea ineptiamus, sed etiam sæpissime ad minime cœlestibus convenientia, significationes earum trahamus: neq; super experientias certas, quarum temporis meta brevitati vitæ nostræ minime convenit, sed potius supra somnia & positiones quorundam Astrologorum fundati, vera cum falsis, seria cum ridiculis commisceamus. In cœlo igitur signa existunt stellarum tam simplicia, quàm composita, & quidem vario ornatu depicta, ut amplitudinẽ illius ratio minime posit assequi, sed potius admiratione venerari cogatur. Quoad illuminationem autem dicimus, quod ea non possit esse sine influentiis, & nulla influentia sine effectibus, & nullæ influentiæ lucis & luminis sine Spiritu suo vitali, & quod influentiæ simplices alios producant effectus, alios autem esse dependentes ex varia positione & constellatione syderum,

quod

quod equidem in omni compositione deprehenditur, cum alteratio fiat naturæ simplicis ex compositione. Aliter igitur influenti necesse est in oppositionibus existentia, aliter in conjunctionibus & sic de reliquis: Sub illuminatione igitur Moyses nobis hac omnia declaravit, quorum experientia ipsa natura Magistra est. Hoc autem inde accidit quod solum universum tanquam catena aurea sibi invicem connexum deprehendatur.

Viso jam firmamento & media parte mundi cum suis incolis, parum etiam considerandum venit de superiori parte Aquarum in secundo die divisarum ab inferioribus, & in superiori loco constitutarum. Quid verò de hisce dicendum, cum nihil speciale de iis à Moyse nobis aperiatur. A pluribus vocatur pars illa cœlum empyrium, putatur ipsum tale quid esse ac vitrum vel crystallus condensatus, persvasi ut videtur v. 18. Job. c. 37. Vnde non levis nobis oritur objectio ad ea quæ supra dicta fuerunt: Quod scilicet ex densissima aquarum supercœlestium substantia sydereæ corpora formata sint, qua igitur ratione residuum de aquis supercœlestibus in soliditatem coagulari potuit,

vuit, cum Materia ejus solidior, quæ condensatiois causa semper existit, in fabricatione stellarum fuerit consumpta? Verum ad hoc quidem responderi possit, quod eadem ratione id fieri potuerit, sicut apud nos corpus aqueum, licet á terra sua separatum, per frigus in glaciem seu crystallinam substantiam consolidatur. Item quod licet solidior pars ex aquis supercælestibus in corpora stellarum fuerit conversa, non tamen omne id quod salinum erat & terra pura, inde eductum esse, sed subtiliorem & puriorem tam in sole quam supercælestibus aquis remansisse. Quod equidem & per nostram aquam confirmamus, quæ non solum post amissionem terrenæ partis ingentia balenarum corpora evomuit, sed insuper multum de salina substantia in se retinens nobis eam quotidie ad usum nostrum adhúc pandit, quod notius est, quam ut inde latius verba sint facienda. Cum tamen in hisce rebus non nisi ex conjectura agatur, opinionem dictam suis authoribus relinquens etiam aliquid quod mihi videtur verisimilius enarrabo.

Et primo quidē ut objectioni ex textu Jobi

occur-

occurram, audeo dicere, versum allegatum ab Elihu pronunciatum non esse tantæ auctoritatis, ut meliorem vel veritati magis approximantem sententiam subvertere possit. Licet enim liber Jobi inter canonicos numeretur, non tamẽ omnia ea, quæ in illo habentur, pro veris existimanda sunt, & indubitabilibus: Locutiones enim trium amicorum Jobi ab ipso Deo manifestè reprehenduntur, & quamvis verba Elihu in reprehensione ista comprehendi haud videantur, attamen cum non nisi ab homine & sapiente, qualem se esse, videtur profiteri, effata sint, non sane pro verbis Sp. S. sunt accipienda, sicut ipsa verba divina, præsertim cum Job ipse, qui Elihu longe sapientior æstimandus, non omnia cum veritate locutus sit, sed tantummodo quædam ut patet ex textu, ita ut maxima h. l. distinctio inter pronunciata sint instituenda. Hinc considerandum primo, quod incertum sit an Elihu de cœlo ipso seu firmamento loquatur, aut forte de cœlo Empyrio. Imo verisimilius est ipsum de firmamento loquutum, cùm rebus visibilibus illud comparet, quod fieri non potest absq; prævia ejusdem visione, quæ quidem Elihu nunquam contigerat, sed paucissimis, qui tantùm dignati fuerunt, ut

illa

illa conspicerent, quæ oculus humanus non vidit, & arcana verba in eo audirent. Idem & inde patet, quod Elihu cælos fortes appellet, quod idem est ac firmamentum, alio tantum verbo ast simili enunciatum, eò quod superiora respectu inferiorum sustineat. Quod autem per similitudinem hanc fortitudinem declaret desumptam ex ære vel speculo, id potius spectat ad formam cæli nobis sic apparentem quasi esset speculum vel solidum quoddam corpus. Æri quidem simile, dum tinctum apparet colore rubicundo, speculo autem fuso dum à solis radiis undiq; illuminatum lumen illud ad nos reflectendo demittat, sicut speculum illuminat suas species Scl. imagines.

Consideremus ergo Cælum empyrium potius tanquam substantiam à corporum cælestium formatione residuam, quæ quidem nihil aliud erit, nisi substantia luminosa purissima spiritualis vitalis aquis tenuissimis tanquam humido quodam radicali in calore suavissimo permixtum, & breviter tanquam Q. E. seu Spiritum universi ex igne, aëre, Aqua & terra subtilissimis æqualiter participantem. Cum autem difficilia & incognita per exempla inferiora multum elucidentur

dentur, nulla ſane res aptior occurret, quam Sp. V. vel alius ſumme rectificatus, depuratus ac in eſſentiam quandam quintam incombuſtibilem deductus. Huic aliquid ſimile exiſtere in ſupercœleſtibus locis auguramur, ita tamen ſimile ut excellentia longè majore ſecundum omnes qualitates atq; virtutes illud ſit præditum. Terrena quippe ne quidem cœleſtia ſubtilitate ſua attingere valent; quanto minus ſupercœleſtia, licet & ejuſmodi terrena ex cœleſtibus & ſupercœleſtibus ſubſtantiis primitus forte ad noſtra deſcendant. Ordo in ſuper univerſi, hoc ita eſſe, nobis perſuadet. Convenientius enim eſt ipſi, has ſuperiores partes tales exiſtere ex ipſa natura corporum, quæ denſiora ſunt circa centrum ex natura & neceſſitate centri & ſemper magis rariora verſus circumferentiam ſeu ſuperficiem Abyſſi, quod in ſuperioribus ſat puto fuiſſe demonſtratum: Groſſum igitur univerſi circa centrum, mediam ſubſtantiam in medium, ſpirituale autem prorſus in ſupina circumferentiæ loca merito transferimus. Verum ad magis excellentem utilioremq; obſervationem inde tranſeamus. Imaginem ſcilicet SS. Trinitatis in hac Univerſi ſenſibilis ſeu corporei

Suprema

parte nobis iterum & denuo depictam. In terra enim seu cētro mundi conspicitis Deum Patrem latentē nobis, & tenebrosū, nisi per filiū illuminetur & nobis demonstretur. In firmamento vides imaginem Filij & præcipue solis, Patrem nobis illuminantē & ostendentem: In supercælesti loco vides Spiritum divinū illum subtilissimum in aqua & igne repræsentatum. Hic est rector & gubernator animarum & angelorum, ut ipso mediante lumen intellectus acuatur & operetur, sicut per Spiritum vitalem & phantasticum ex substantia illa supercælesti desumptum sensus nostri interni, ratio cum intellectu corporaliter adjuvantur. In hisce enim duobus spiritibus divino nempe & superessentiali, ac corporeo seu potius medio inter corporeum & incorporeum subtilissimo & supercælesti, habitant animæ nostræ. In illo quidem illuminantur divinitus, in isto autem tanquam vehiculo vel curru cælesti descendunt in corpus, & in ipso commorantur tanquā in domicilio proprio, & agunt tanquā cum instrumento, vivificando corpus, sentiendo, ratiocinando, & intelligendo phantasmata in ipso Spiritu & membro corporeo lucis operationibus dicato tanquā in speculo quodā recepta atq; reflexa.

Tales igitur sunt aquæ illæ supercœlestes, quæ nobis imaginem Spiritus divini repræsentant, atq; in tali substantia habitant animæ tam in corpore quam extra corpus corporaliter, sicuti in Spiritu Dei habitant spiritualiter intelligibiliter atq; divinitus. In hac supercœlesti parte sic constituta optime Angelorum & beatarum animarum imo ipsius Dei habitatio conjecturatur. Imo in S. literis sæpissime apertis verbis declaratur, licet interim Deus summus ne quidem â cœlis cœlorum, ut Salomon inquit, capiatur. H. l. Supersedere non possum, quin Salvatoris nostri sive historiam sive Parabolam adducendo aliquanto latius considerem, hæc enim nobis sive statum præsentem sive futurum animarum â corpore solutarum tam beatorum quam damnatorum luculenter depingit. Sive enim Christus alleget historiam veram Lazari & divitis, sive parabolicè tantum nobis statum illum aliqualiter aperiat, multa sane mysteria ibi nobis deteguntur. Lazarum enim tanquam in corpore, in supercœlesti loco collocatum representat divitem autem in infernis: Ibi refrigerium vitale ponit & aquas supercœlestes, hic autem tormenta ignita mortalia. Quamvis enim

enim animæ in ipsa morte â corpore suo crasso separatæ in locis sibi competentibus degant, neq; illa sua corpora mortua ante resurrectionem universalem rursus ingrediantur: Attamen omni animæ est maximè proprium, corpora amare & uniri cum ipsis & in ipsis vivere vel degere, anima etiam nostra in ipsa morte á corpusculo suo spirituali seu vehiculo minimè separatur sicut â corpore crasso elementari, de quo eleganter tractat Synesius Episcopus Græcus. Cum autem in corpore crasso sensum exerceat crassum & organicum in corpore subtili degens; isto quidem, non tamen omni sensu privata esse potest, sed pro convenientia organi etiam in illo statu sive modo sentire ac pati posse censendum est; quanquam anima ipsa per se sit impassibilis. Patet igitur hinc inde status animarum beatorum & quali Sensu gaudeant in parte supercœlesti translatæ, spirituali, vitali, dulci, luminosa, pura, calida humida, & ut paucis dicam, felicissima, & uno verbo in Paradyso: patet etiam, qualiter degant illa, quæ in igne crasso, obscuro, centrali sulphureo, urente, consumente, inquieto, angustante, ingratissimo degere coguntur, ita ut non immerito refrigerium aquarum licet anima ipsa sit G 3 *impassibilis super-*

Anima rationalis a corpusculo suo spirituali, seu vehiculo (quod ex æthere conflatum est) separatum minime dividitur sed totum a corpore crasso, et elementari; unde sequitur non omni sensu privari etc. Hinc patet quomodo in Paradiso gaudeant, et quo modo in Inferno torqueantur:

supercœlestium vel minimum tantum in hujusmodi tormentis respirent, ast sine omni spe & possibilitate. Est enim inter ipsas ingens chaos hiatus vel vastitas constituta, firmamentum scilicet ipsum & terra inferior, ita ut neq; animæ beatæ ad inferiora & multo minus damnandæ ad superiora ascendere possint, sed etiam ne minimam quidem scintillã influentiarum supercœlestium solatij loco recipere vel sentire, cum omnia ea, quæ â cœlis & supercœlestibus eousq; descendunt grata & vitalia in ipso centro & fecibus terræ in ignem potius Sulphureum & consumentem convertantur. His igitur jam relictis ad nostra iterum regrediamur.

Cap. V. Productio animalium.

DIxit etiam DEus, producant aquæ reptile animæ viventis & votatile super terram sub firmamento cœli, creavitq; DEus cetos maximos & omnem animam viventem atq; motabilem: quam produxerant aquæ in species suas &c. Benedixitq; eis dicens

dicens: Crescite & multiplicamini &c. Die quinto.

Dixit quoq; DEus producat terra animam viventem in genere suo jumenta & reptilia & bestias terræ &c. Et fecit DEus bestias terræ & iumenta & omne reptile &c. Die Sexto,

Cum duo sequentes dies quintus & sextus uno eodemq; opere vel productionis modo sibi omnino assimilentur, ita ut non nisi in speciebus, iis diebus creatis differant, considerationem notabilium in ipsis occurrentium conjunctim instituere placuit.

Et primo quidem causa efficiens sicut in omnibus superioribus in textu specificatur, Deus nempe unâ cum verbo suo & vita, licet in hisce particularibus creaturis producendis immediate operatus non fuerit, sicut in majoribus & universalibus mundi partibus, in præcedentibus descriptis. Usus igitur est opera duarum præcipue mundi partium, vel si exactè consideremus, unius tantum scilicet globi

istius nostri inferioris Aquam & terram in se simul comprehendentis, à quibus tamen reliquarum partium particulæ haud excluduntur, cum nulla pars totius ab aliis omnino separata reperiatur. In hisce autem duabus non solum materia animalium, sed etiam eorum formæ specificæ comprehendebantur primis & antecedentibus operationibus videlicet jam impressæ. Erant ergò partes istæ non tantum patientia in opere, sed etiam agentia secundaria & penus illud, ex quo & typus & instrumenta & omnia necessaria exstabant parata, nil amplius quam Dei imperium & permissionem expectantia, ferme ut mulier gravida partui vicina anhelat, desiderans, ut à sarcina sua liberetur.

Res autem sive animalia producta sextuplicis erant generis, & in unoquoq; genere diversitas specierum, septimus autem fuit homo, ita ut ad numerum & septem dierum tempora hæc ita distributa fuisse videantur.
1. *Primum genus fuit reptile animæ viventis,*
2. *quod aquæ propriè produxerunt: Secundum volatile super terram, quod etiam ex aquis prodiisse textus iste docet, ubi tamen notandum ex c. 2. v. 19. quod etiam ex terra dicatur fuisse productum, ita ut mixtum genus*

sit

sit ex Aqua & terra simul dependens: Tertium in ordine sunt cete grandia maris, subquibus & cæteri pisculi comprehenduntur, nisi forte inter primum genus reptilium aquæ quis ponere voluerit, quod tamen minus proprium foret, cum quilibet pisciculus, & minutissimus, in specie & forma potius congruat cum cete vel maximo, licet in mole diversissimus, quam cum reptilibus, quæ forma in totum differenti gaudent, atq; hoc fuit opus diei quinti. Sextus dies itidem produxit trinum suum genus animalium, 1. Reptile terræ, 2. Bestias seu feras & 3. Jumenta.

Postquam igitur Deus ignita sua animalia animam motabilem possidentia produxisset ex aquis supercœlestibus, & ea in cœlum collocasset, eò ut angelorum catervis & beatorum animis Paradysum illum vacuum relinquerent, creavit mox & animalia aerea ex mixtura terrena & aquarum sub firmamento constantium, eaq; non in firmamentum ipsum collocavit, sed in superficiem cœli concavam scilicet & terrarum globum versus spectantem. Aqua verò sua cete produxit ingentibus corporibus inflata, quæ quidem productio nobis explicat modum per

quem videlicet syderea corpora ex aquis supercœlestibus fuerint protracta. Licet enim aquæ à terra vel arido jam essent separatæ, non tamen terrenâ substantiâ omninò privatæ, sed potius insigniter repletæ remanserant, quod patet ex earum partu, qui licet sit aquaticus præcipue, attamen haud vacuus substantiæ solidioris. Terra etiam ultra vegetabilia sua sibiq; propria & concreta membra & partes, adhuc thesaurum istum animalium in se continebat. Firmamentum enim aliquid planè differens existit, & potius tanquam locus reliquorum, omnia pertransiens & omnium penetrationi obvius: Hoc enim nihil ex se produxit, tanquam rarum, quod si in solidum corpus esset conflandum, minutissimum quid evaderet, ratione comparationis rari & densi: Rarum enim firmamenti sibi ipsi tantum sufficit, ubi è contra densitas aquarum tantùm etiam substantiæ latentis in se continere potest, ut tam raro, quam fluido inde provideri possit. Hujus igitur vices Aër alter supplevit, videlicet vapor, ex aqua & terra spiratus, ex cujus substantia etiam nostris adhuc temporibus quolibet anno mediante calore solis insecta aeria vel

vel etiam aquatica & terrestria aliquando generantur, utpote ranæ in aere nascentes, quæ mox per modum pluviæ in terram decidentes sæpè integra camporum spatia cooperiunt, sicut ipse vidi. In qua quidem generatione non ordinaria typus nobis conservatus est creationis istius divinæ prioris, ut inde non solum possibilitatem, sed etiam veritatem certam augurare valeamus. Licet enim jam temporis nec volatilia nec pisces nec animalia perfectiora ab Elementis immediate producantur, sed tantum per viam generationis & multiplicationis benedictæ, quibus Deus, ut illius vicem gerãt, imperavit, satis tamen patet, quomodo & qua via prima illa individua Deo jubente prodierint. Illud tamen bene notandum est, quod aquæ supercælestes non nisi unicum fructum dederint, ast maxima corpora, in quibus vel cum quibus præterea quid Deus egerit, id sane haud placuit Divinæ ejus sapientiæ pro tempore nobis revelare. Aquæ subcælestes autem binum tantum per se fructum ediderunt, reptile videlicet & pisces: Volatilia enim non per se, sed ex speciali conjunctione cum terreno corpore. Terra vero ipsa ter parturiit, ultra propria vegetabilia

producens reptile Bestiam & Jumentum. Homo enim, tanquam abbreviatura totius, mirabili quodam modo & novo productus in speciali suo tractatu considerabitur.

Ecce igitur, hinc iterum nobis repræsentatur Imago SS. Trinitatis, Ex trinuna enim substantia aquarum tres partes secretæ, Aquæ scilicet superiores spirituales, Aquæ inferiores, & Terra. Aquæ supercœlestes, in suo partu unitatem referunt, aquæ inferiores dualitatem, Terra ternarium, ubi iterum advertendum, quod aquæ supercœlestes per se & in sua substantia consideratæ Spiritum divinum propriè repræsentent, ast in suorum fructuum numero ac specie potius Dei patris. Terra rursus, quæ in substantia Deum patrem retulit, nunc iterum quoad fructus Spiritus sancti numerum proprium nobis depingit, ita ut nihil in hisce omnibus penitus sit unum, nihilq; totaliter differens, sed omne & unum & differens, neq; tamen ternarium sanctum excedens mirabili modo sese ostendat. Sic etiam lucis tanquam mediæ substantiæ & aquarum subcœlestium typus hoc in loco appropriatus, secundæ Personæ in numero creationis dierum primo & quarto, qui reiteratus est primarius, sibi

primæ

prima naturæ numerum vendicant, eo ut communitas & differentia ſacra ubiq; eluceſcat. Aer autem qua ratione aptius repræſentare poſſet abyſſum illam, in qua ſancta divina Trinitas quieſcit vel abſconditur, in qua poſuit latibulum ſuum. In hoc autem aëre continentur tres illæ partes unius ſubſtantiæ aqueæ prioribus creatæ & mox diſtinctæ, & in eo tanquam abyſſo ſua ſeu vaſtitate & loco continentur. Et ſicuti aër iſte creatur propter ſuam raritatem quaſi ad nihilum vergere videtur reſpectu corporum in eo habitantium, ita profectò abyſſus ipſa reſpectu perfectiſſimæ Eſſentiæ divinæ nihil aliud eſſe poterit quam nihilum ipſum, in quo S. Trinitas iſta habitat atq; abſconditur, nobis quidem incomprehenſibile atq; profundum, Deo autem ſummo, penitus inane & nullum. Quid enim præter Deum eſſe poteſt quam creaturæ? Quid præter creaturas quam ipſe Deus? nihil profectò: Inde enim creator tanquam ex abyſſo pluſquam profunde omnia eduxit & adhuc multo plura educere valet omnipotens operator.

Cap. VI. De Vita univerſi & animabus animalium.

Quod

QVid igitur superest dignum, ut pro consideratione primæ creationis perquiramus? Innumera sane & immensa quæ nullus unquam homo in isto mundo vivens pro dignitate atq. sufficienter perquirere, multo minus comprehendere poterit. Nobis itaq. etiam sufficiat cursum nostrum huc usq. perduxisse, cum ea tamen conditione, ut quædam de vita vel animabus animalium brutorum in medium afferamus. Quæ quidem perscrutatio mihi semper ex difficilioribus totius naturæ visa est propter similitudinem & differentiam, quàm habent cum homine, ut igitur in istum passum divina auxiliante gratia transcendamus, sequentia obstruentur.

Ante omnia igitur optime notandum est verbum Incubando, quo utitur divinus Moyses in eo versu, ubi tractat de Spiritus divini opera in creatione præstita. Hoc enim in lingua Hebræorum est maxime significativũ pro nostra intentione enucleanda. Est enim similitudo, petita ab avibus præcipue gallinis aut columbis, quæ incubando ova fovent & vitã in eo latentem per calorem vivum quasi fortificant, ita ut inde fiat animal vivens. Sic etiam se Deus comparat Gallinæ in sacris literis

literis & Spiritus sanctus in baptismate Christi apparuit in forma columbæ visibilis, unde non immerito conjicitur, haud spiritum aliquem creatum sed divinum illum paracletum intelligi, melius tamen hoc omne ex opere ipso seu effectu producto. Patet etiam inde, quod ejus sit quasi proprium vitam & motum largiri rebus, licet non sine motore primo Patre & Filio id efficiat. Incubando igitur introduxit vitam in chaos, vel etiam incubando & ex ipso chao simul extrahendo, non quidem vitam per se in chao existentem & ex seipso, sed divinitus creando introducendoq; tam ex centro quam circumferentia. Vbiq; enim latet Deus infinitus tam in centro profundissimo quam in circumferentia perpetua atq; etiam ipso medio loco creato semper præsens. Ex hujus spiramine vita ista vegetativa, de qua nunc sermo existit, in mundum processit, fovendo chaos, & introducendo vitam dictam in illud Spiritu Dei sancto. Cur igitur mundus non posset vocari Animal, siquidem animali in sua vivificatione comparatur; Imò etiam animalium animæ à terrena mundi parte & aquatica in prima creatione individuorum jubente Deo fuerunt productæ.

& nunc etiam forte adhuc semper producuntur tanquam ex penu suo, atq; in illo etiam extra sua corpora recepta & tradita atq; retenta. Animal sane ab anima dicitur praecipue autem ab illa, quae vivens est atq; motabilis, ut ex textu nostro praesente apparet, perfecte autem à sentiente & cognoscente. Mundus quidem per se consideratus prout nunc est & globus terrenus cum caeteris coelestibus nullius cognoscentis animae signa ex se produnt sed vegetantis & simpliciter viventis. Tunc autem & antequam chaos in partes suas distingueretur & in individua sentientia, animal sane vocari potuisset, vel propter animas animalium sibi inclusas, non tamen ratione sui, sed ratione dictorum. Terra igitur ratione sui ipsius potius vegetabile quiddam nominari possit, siquidem revera tale quid per totum suum corpus existit. Stellae enim propter motum localem, licet absq; cognitione, etiam animalia sunt mobilia non sentientia. Quicquid tandem sit, omnis vita mundana tam universalis quam particularium sive maximorum corporum ex chao prodiit, & proinde etiam ex mundo dependet & pars mundi existit. Ex illo in varias partes distribuitur, & in seipsum

ipsum

ipsum iterum rediens, corruptione peractâ rursus exinde egreditur Deo Ter opt. Max. sic ordinante. Licet autem in isto genere vitarum animæ hominum haud contineantur, utpote in ipsa creatione & nunc immediate productæ, ex uno tamen fonte omnes prodeunt, Spiritu Dei scilicet. Unde etiam, Genes. 6. v. 11. & 7. v. 15. Animæ animalium absq; differentia cum animabus hominum vocantur Spiritus vitæ & c. 7. v. 7. & 22. Spiraculum vitæ. Quæ verba dictis nostris certissimam confirmationem largiuntur: Quod omnis videlicet vita spirata ab ipsa vita seu Spiritu Dei sancto spiretur, & quod ipse sit causa efficiens omnis vitæ, sive ipsam mediate vel immediate corporibus introducat. Licet autem omne genus vitæ ex isto fonte procedat, maxima tamen differentia in genere vitarum conspicitur non minus quàm in genere formarum & essentiarum, quæ partim corporeæ, partim incorporeæ existunt: alia enim vita est simpliciter vegetabilis, alia vegetabilis & mobilis localiter, alia vegetabilis, mobilis & sentiens, perfectè & minus perfectè: alia insuper & rationalis: alià merè intelligibilis & intelligens. Omnes istæ vitæ ex dicto fonte procedunt, sp

non tamen ita ut aliquid de divini Spiritus Essentia in ipso actu cum ipsis realiter permisceatur, sed effluunt ipso nil de suo interim amittente, & tamen per ejusmodi actum creaturæ istæ viventes per se in actu apparent. Sicut enim verbo Dei loquente omnes formæ prodeunt & fiunt, & per formas res ipsæ: Sic Deo spirante omnes vitæ & totus mundus vivit. Ast sicut non omnes formæ in æquali gradu dignitatis & excellentiæ sunt constitutæ (alias tollerentur differentiæ rerum & pulcritudo mundi) Sic nec omnes vitæ, prout jam dictum est. Patet enim differentia inter spiraculū vitæ, quæ est in homine, & quæ in animalibus, ex variis considerationibus præcipue autem per modum inspirationis. Homo enim immediate recepit Spiritum: Animalia vero mediante Terra & aqua seu globo isto inferiori, in cujus gremio vita illa statim introducta fuit, antequam individua animalium ab ipsa terra producebantur. Quod si itaq; animæ brutorum per creationem ex terra provenerint, & per resolutionem iterum ad loca sua priora revertantur, consequens sanè erit, in præsentis generationis continuatione brutorum animas ex eodem loco in corpore sua

ſua venire, & ad eundẽ etiam locum iterũ reverti, licet nobis inſciis & inſenſibiliter talia peragãtur. Cur igitur audaces homines aliũ modum inpoſſibilẽ ſane & ignorantiæ plenũ ſibi effingunt in traditione iſtarum rerũ, cũ Deus ipſis per propria creationis relationẽ modũ ſuũ, quo uſus eſt in producendis & componẽdis animalibꝰ, planiſſimè explicaverit? Tutius igitur duco Deum ſequi, quã omnem iſtã turbam, quæ quidẽ de animarũ natura multa balbutit, cũ tamen, quid anima ſit aut eſſe poſſit, vel omniũ minima, nunquã bene conſideravit quod quidẽ ex ipſorũ doctrinis facile percipitur cũ vel ex male lectis ſacris literis vel ex propria & immatura ſpeculatione tales animabus proprietates attribuunt, quales potiꝰ corporibus quã animabꝰ cõvenire poſſũt. concludamꝰ ergò, quod ſecuti res per creationẽ producebãtur in eſſe; ita etiã ſine dubio conſervãtur cum ex iisdem cauſis ijdem effectus etiã neceſſario ſequãtur. Maximè profecto circa originẽ animarũ congnoſcendã omnis laboravit antiquitas, & in omnibꝰ fere ſpeceibꝰ rite deſignãdis fefellit. Pro anima enim & vita univerſi ipſũ tertiũ regẽ, ut Platonici loquũtur cõſtituerũt: quẽ quidẽ pro uno ex principiis haud tamẽ ſecundo & primo æquale putãtes, atq; ab iſto omnia genera vi-

nia genera vi-

vitarum dependere, ita ut tam brutalium quam humanarum animarum Auctor immediate haberetur. Item ut quaſi univerſi gubernator mediante intellectu ſuo, qui ſecundus erat à primo, totum mundum regeret, atq; hac ratione Deum ipsum in tres partes diviſêre, quam doctrinam quidem Origenis & Arrius hinc inde deſumpsere, cui tamen ipſarum rerum verba atq; loquelæ contradicunt. Licet enim univerſum totum vita quâdam ſit omnino & ubiq; repletum, ita ut univerſalia vitæ dona ſe poſſidere oſtendat, nullum tamen indicium in vita illa intellectualium vel ſaltem ſimpliciter aut ſenſibiliter cognoſcentium poteſtatum ſigna ſpectantur. Quæcunq; enim agit, vel format, vel in eſſe producit, hac omnia non ex intellectu aut voluntate, ſed ex præcepto & regula præſcripta tam in ſuis propriis operationibus quam in rebus ab ipsa productis efficit, cæca quadam, aſt maxime certa operatione per practicam perfectam absq; omni theoria aut ſpeculatione prævia; Sicut aranea telas ſuas diſtinguit dimenſurat & fabricat absq; omni dimenſione ſeu cognitione circuli & absq; omni adaptatione cognoſcente alicujus inſtrumenti artificioſi. Quis quæſo tam in ſanus

anus foret ut huic animali intellectum aut cognitionem circuli attribuere velit? & nihilominus absq; omni cognitione intelligibili omnes homines intellectu circa cognitionem circuli versantes operibus suis practicis solùm & cæcis superat ac vincit. Eadem plane ratione vita mundana producit quæcunq; producit; Productisq; juxta speciem à Deo sibi præscriptam imprimit quæ facere debent, nec limites suos egredi nec voluntate propria impellente, necq; cuiq; suorum, ut id faciat, permittere potest. Aliter autem cum ijs comparatum est, qui regulam istam excedere vel diminuere possũt, utpote inprimis Legislator supremus & Regulæ auctor: Homo etiam, cui potestas data, ut regulam naturæ aliquando per gratiam DEI superare, sæpius autem ex propria voluntate infringere & deteriorare posit: quod patet in coriis, qui appetitum naturæ & regulam ab ista præscriptam negligunt & supprimunt studio & voluntate, qud nullum ex animalibus unquam perpetravit aut perpetrare posset. Cum igitur vita mundana præcipue quantum ex globo nostro obseruare possumus nil agat præter meram vegetationem, nequaquã ipsam intelligentem, multo minus divi-

num quid aut Deum ipsum existimare poterimus. Maximè igitur errarunt illi, qui Naturam istam vegetativam divino honore prosequuti sunt, gloriam summi Dei in honorem creaturæ commutantes, famulamq; cum Domino honorantes. Mundus quippe totus creatura est, & proinde nonnisi per creaturam sibi sociam vivere potest. Nimium igitur ipsi tribuebant & nimis parum: Nimium, quod aliquid divinum ipsum existimarent, cui sententiæ opera naturæ minus respondent: nimis autem parum, si revera aliquid divinum existeret: tunc enim nec vita, nec anima, nec pars universi esse posset, sed creator ipse atq; Dominus & gubernator separatus, minimè alligatus creaturæ, sed maximè ipsam supereminens, & plusquam intelligibili sapientia atq; motu vitali ipsum gubernans. Vita enim divina æterna est infinita super omnia, omnibus quidem rebus præsens, ast suo modo transcendente, nequaquam autem tanquam vita partem compositi constituens atq; conjuncta. Dato igitur primo errore sequebantur & cæteri, omnes enim vitas ab ista vita universali deducebant, tanquam ramos ex arbore. Sic animas humanas sic brutales ex eodem fonte pendere

dere existimabant, in hoc quidem non admodum male judicantes: nequaquam tamen verum fontem, nec modum ex ipso prodeuntium animarum revera cognoscentes: Fons enim ipsorum creatura erat, nec verus Deus, & animæ ex ipso omnes immediate prodibant, quod equidem textus noster haud concedit, sicuti jam ex dictis, de differentia animarum humanarum & brutalium apparuit, de quo quidem ea quæ dicta sunt impræsentiarum sufficiant, cum præsens nostra intentio hominem non tangat, nisi in quantum ad reliqua elucidanda necessitas efflagitat.

Cum autem de brutalibus animarum radicibus præcipuus noster sermo instituatur; de hisce etiam diligentius considerare opus est, istarum enim originem designare verum, & rationi dubitanti satisfacientem nullus certe eorum præstitit pro dignitate. Ij quippe, qui omnia putabant esse corporea, animas istas partem corporeæ substantiæ subtilissimæ existimabant, modo Spiritum modo lucem aut aliquid tale existimantes, nimium videlicet circa ea occupati, quod oculis vident, & manibus palpare possunt. Verùm cum à multis viris doctissimis argumentis invincibilibus ex rerum natura

desumptis refutentur, ad aliorum sententias accedamus. Erant autem alij ut Pytagorici & Platonici, qui sæpius ad transmigrationem animarum humanarum in hac vita peccantium in bestias inclinarunt, ita tamen ut tantum pro tempore talibus corporibus ipsis minus appropriatis adessent, & quidem iterum separabiles ac tanquam in purgatorio quodam: non tamen brutorum fieri proprias, sed quod vita brutorum ab istis animabus sensuum rationalium lumina vel splendores tanquam simulacra reciperet, sicut speculum formas vel species suas ab objectis oppositis. Verùm cum nec istam deductionem sufficientem deprehendebant, ad ipsam totius animam insuper confugiebant, universam scilicet vitam, quam tamen intelligibilem & divinam faciebant, pro penu & radice animarum brutalium constituentes. Prior quidem sententia de transmigratione maximas absurditates involvit, ex quibus si modo sequens consideretur, pro chymæra ejusmodi evertenda, nimis quantum sufficeret. Consideremus enim numerum hominum, simul & numerum sagacium animalium, quæ ratiocinationis cujusdam lumine pollent, & primo intuitu apparebit, huma-

na-

narum animarum individua minus sufficere pro tot bestiarum corporibus illustrandis, nisi quis forste ipsas animas dividere, aut unicam quandam totis gregibus praesse velit: ultra hoc etiam ex numero isto segregantur illa, quas vita benè & moraliter peracta in patriam redire affirmabant. Miror sane, homines aliàs sine dubio in naturalibus maxime prudentes, ut Plotinus Porphyrius & alij fuerunt, in ejusmodi absurditates cecidisse. Sunt qui ipsos excusare nituntur, & verba sententiasq; moderari, utpote tantum ad plebem exhortandum, ut virtutibus sese applicarent, vitiis relictis, conficta dicentes. Vellem equidem, rem ipsam se ita habere prout tradunt, sed verba ipsa talium autorum effugia ejusmodi haud admittunt. Secunda igitur sententia verior est, si modo juxta textum nostrum moderetur, animas scilicet brutorum una cum vita communi toti chao in ipsa creatione à Spiritu Dei fuisse introductas, atq; ab ipsa quidem vita nunc provenire, & ad illam reverti, hominum autem nequaquam, quorum animae & post animalium animas fuerunt producta à Deo ipso & producuntur, atq; proinde animalium corporibus minime poterant adesse,

antequam existerent ipsæ, neq; postquam extiterunt, utpote talibus corporibus minus aptæ vel convenientes.

Optime igitur divinus Dyonysius hæc omnia distinxit. Hic enim Platonicæ sectæ addictus, antequam Christum, sequeretur à S. Timotheo interrogatus, quid per universam vitam seu ipsam vitam intelligeret? eam apte distinguit. Primo quidem vitam ipsam, quæ causa est omnium vitarum & ex se ipsa ab omni æternitate talis existit: ex qua quidem omnia vitarum genera, quas participantes atq; etiam divinas traditiones appellat, dependent, ex quibus quidem vitam universalem vitam ipsam vocat, sed participatam; non autem ex seipsa existentem sicut causam ipsam. Participantes autem istas vitas iterum distinguit ita: ut quædam sint participantes immediatè ex ipsa vita causa, utpote Angelicæ atq; humanæ rationibus præditæ, istæ autem non sunt universaliter participantes, sed particulariter, licet immediate: Ipsa autem vita universalis participans, quæ aliàs natura solet appellari, universaliter quidem à spiritu Dei participat donum vitæ, non autem omnis vitæ, sed vegetativæ tantum

tum & mobilis simpliciter una cum quibusdam donis cognoscentibus pro animabus particularium providendis: Sed ista etiam vita universalis rursus in particularibus creaturis participatur vel universaliter vel particulariter; Universaliter quidem à globis mundi, ita scilicet, ut isti ex omnibus ejus proprietatibus, quas possidet, participent, non tamen omnem & totam vitam, quæ per totum mundum viget: Particulariter vero à corporibus particularibus præcipue brutis, juxta ordinem Dei & specierum in creatione distinctarum, à qua quidem participatione nec homo ipse excluditur, quatenus videlicet ut pars corporis mundani ex parte sua corporea vitæ universali necessario adhæret. Hæc ut clarius pateant, ipsa S. Dionysij verba audiamus: *Plures, inquit, principales conditrices (eorum quæ sunt) essentias atq; substantias & rerum Deos atq; conditores sibi pro arbitrio fingentes prædicare non dubitarunt: quos, ut verè proprieque dixerim, ipsi non noverunt, quippe qui non sunt neq; patris ipsorum (Deos Ethnicorum intelligit) & suam sententiam mox subjungit. 1. Sed ipsum esse, ipsamq;*

vitam ipsamq; Deitatem asserimus principaliter quidem & divine & secundum causam, unum illud principium causamq; omnium, super omnem Principij & Essentiæ rationem. 2. participabiliter autem virtutes illas provisorias ex Deo imparticipabili procedentes: Ipsam inquam ipsius essentiæ, vitæ, divinitatis traditionem (Nota, in genere loquitur de omnibus generibus creaturarum generaliter â Deo procreatarum, quas traditiones ipsas apellat non autem largitores.) *3. Quorum, dum omnia pro suo modo participativa sunt, nimirum & entia & viventia & divina sunt* (i. e. quæcunq; unum vel alterum donum pro suæ speciei ordine â DEo participarunt) *atq; dicuntur, cæteraq;* (scilicet dona) *similiter. Quamobrem 1. DEus ipse bonus. 2. Ipsorum quoque primorum auctor prædicatur. 3. Deinde ipsorum universorum. 4. Subinde particularium. 5. Post hæc eorũ, quæ universaliter illa,* (scil. primaria & universalia) *participant. 6. Postremo & quæ particulari quadam conditione participant. Quid autem de his plura me dicere opus?* (Nota, quæ in præcedentibus verbis generaliter tractavit, in sequentibus tangit juxta differentias.) *Quandoquidem non-*

nonnulli ex divinis praeceptoribus nostris, ipsius quoq; per se bonitatis (scil. creatae vel participatae) Deitatisq; auctorem, Deum dicunt, qui supra bonitatem Deitatemq; existit, (nota, quam excellenter, dum Deitatem & bonitatem creaturis tribuit, Deum ipsum supra bonitatē Deitatemq; extollat) dicentes: bonitatem ipsam (scilicet istam participatam (esse beneficum Dei ~~sicumq;~~ donum ex Deo profectum, Ipsam quoq; pulcritudinem appellant effusionem, pulcritudinis effectricem, quae quidem (scilicet pulcritudo divina effusa) & pulcritudinem ipsam (scilicet creatam) efficiat, & universalem pulcritudinem particularemq;: Vniversaliter quoq; pulcra, & pulcra particulariter, & quaecunq; alia eodem modo dicta sunt atq; dicentur, declarantia vel providentias atq; bonitates à rebus participatas, ex Imparticipabili DEO abundanti profusione procedentes ac largiter emanantes, ut qui est omnium causa, exactissima ratione sit super omnia, & quod super Essentiam est atq; naturam, quaecunq; (scil. Natura) in aliqua essentiarum numero est, penitus antecellat. Ex his S. Dionysij verbis patet primo generaliter, qua ratione omnes creaturae divina dona participent,

dein-

deinde & specialiter, quomodo bonitatem & pulcritudinem inde hauriant, Tuum itaq; erit eandem regulam, prout ipse jubet, etiam ad vitam applicare, sicuti à nobis in præcedentibus jam est factum, atq; etiam pro conclusione summaria brevi repetitione repræsentabitur.

Anacephalæosis antedictorum. *Omnis sane vita est substantia quædam incorporea, seipsam movens & suum corpus vitaliter ex voluntate divina & ejus spiramine, unde etiam speciales animæ tam brutorum quam hominum vocantur spiracula vitæ & Spiritus vitæ, quod autem totus mundus vivat, vita quadam vegetabili & mobili, ipsa generatio & interitus rerum & omnium rerum mobilitas visibiliter ostendit, præcipue in nostro isto globo: In cœlesti autem regione motus ipse localis corporum & Spirituum ac influentiarum: Supercœlestem autem locum, licet non nisi revelatione & ratione percipiamus, vita carere quis quæso dixerit? cum ibi vigeat Lux & Ignis Æthereus vitali tantum calore & motu refertus, sedes beatarum animarum & angelorum! Totus igitur mundus vivit, cum omnes ejus tres partes sint vita prædita. Sed sicut forma omnis*

tam

tam cognita quàm cognoscens dependet proximè & propriè à Sapientia divina & pulcritudine ejus: Sic vita omnis à vita aterna per spirationem, sicut illa per elocutionem seu verbum formatum: ad quorum nutum res qualibet prodierunt. Differentia igitur istarum rerum procedit à differenti dispositione divina. Sed sicuti forma per verbum non prodierunt in esse absq; spiratione, cum verbum nullum sine Spiritu eloqui possit, quod etiam testatur salvator dicens verba mea Spiritus sunt: Sic etiam vita per Spiritum Dei non differrent, nisi esset adjutorium forma seu verbi seu Sapientia Dei: ab ista enim procedit omnis differentia. Vita omnis igitur est spiraculum seu Spiritus, sed differunt prout sunt aliis vel aliis formis à Sapientiâ Dei dotata. Alia enim non nisi formas recepit vegetabiles, per quas etiã omnes res corporea producuntur in esse, ex quibus est pracipua ipsa vita universi, qua omnem vegetativã formam possidet, & juxta illam in operibus suis movetur, totumq; universum & partes ejus vitaliter uniendo connectit: Huic succedit vita globorum, quarum qualibet globum suum vitaliter gubernat, nequaquam autem per cognitionẽ, si modo vita

vita globorum ab universali vita differre dicenda est. Ex ista autem dependent vitæ particulares, mixtorum vegetabilium, animalium brutorum, & illa etiam, quam homo ex parte corporea, tum ex nutrimentis terrenis, tum per respirationem ex firmamento, tum per influentiam ex astris vel cælo ipso sibi & vitæ suæ propriæ sociam acquirit. Quicquid igitur animalia de vita participant atq; de formis in illa vita existentibus, sive vegetativæ sint, sive sensibiliter cognoscentes, sive radio rationis refertæ, id omne ex vita terrena habent, quæ ipsis pro ordine largitur, quæcunq; Deus ipsi tradidit, ut largiretur, neq; ea plus habet, quam dare potest, neq; plus dare, quam habet. Homo autem, qui partim ex globo, partim autem á DEO immediatè creatus est atq; compositus, ratione animæ multum differt à bruto. Animæ enim brutorum generalius quid quoad substantiam vel esse & ortum existunt, & particularius multum quod potentiam cognoscendi. Nostra è contra specialius quid quoad esse. ast multò generalius quoad potentias cognitionum, utpote tales, quibus etiam ipsius infiniti indagatio & perscrutatio & desiderium sit concreditum: Illæ igitur minoris cognitionis sunt,

sunt, quia minus specificæ quoad formas receptas & hinc minus formales & formosæ, & hinc minus de Sapientiæ natura participantes, & proinde minus cognoscentes, quia omnis cognitio procedit à forma. sicut omnis motus à vita, & quo plus formæ fuerit tam in cognoscibili quam in cognoscente & nobilior etiam & altior cognitio, & quo major propinquitas ad ipsum vitæ fontem, eo nobilior & excellentior vita, quæ excellentiam suam à forma sumit non autem simpliciter â duratione: sapiens quippe per brevem temporis durationem multum vitæ peragere potest, cum e contrario ignorantia longa sit, bestiis & mixtis similior: talesq; existimandi sunt illi homines, qui ex quodam defectu generositatis seipsos ultra bruta haud attollere audent, sed nihil aut parum differentiæ tam in vita quam in interitu sibi spondent: male naturam rerum & pejus Ecclesiastes verba considerantes, quæ plures in magnos errores attraxerunt, cujus tamen causa non verba sapientis, sed legentium existit. Sapiens enim hæc omnia rite pertractat, & maximum lumen circa ista profert rite videntibus, cum partim ipsius hominis animam vel spiritum ab anima-

libus

libus brutorum non distinguit, & rursus iterum evidentissima distinctione segregat. Ait enim c. 3. v. 19. Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusq; conditio: Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur, & spiritus idem omnibus & amplius homini quam jumento non est, cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum, de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & Spiritus jumentorum descendat subter terram. Cap. autem 12. v. 5. ait: Ibit homo in domum æternitatis suæ, & v. 7. revertetur pulvis in terram suam, unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Quatenus igitur homo ex terra vivente est, eatenus etiam de vita terræ participat, sicut & animalia cætera: & quicquid ex terra habet, in terram redit, quatenus verò Spiritum suum à Deo recipit, particulari inspiratione, cognoscentem & intelligentē, eatenus etiā post mortem ipsi Deo reddere potest, si, prout decet, vixerit, quod quidē DEUS benignus per gratiam suam mihi & omnibus bonis concedere dignetur. Amen!

118

PARS SECUNDA.

INDAGATIO CREATURÆ.

Fœlix qui potuit rerum cognoſce-
re Cauſas.

Poſt-

Præfatio.

POſtquam Divina favente gratiâ conſideratio noſtra prioris partis eousq; proceſſit, ut compoſitio mundi corporei & ejus partium, per regulam verbi divini nobis illuxerit, conſentaneum viſum eſt, reſolutionem earundem ex obſervationibus, tam in natura quotidie apparentibus, quàm artificio humano exercitatis indagare. Explicandum autem eſt paucis, qua ratione vocabulum reſolutionis h. l. intelligamus; Non enim tam ſtrictè hic accipimus, ut tantummodo exercitium corporale & practicum deſignet, ſed inſuper etiam ratiocinium illud, quod à pluralitate ad unum, ab effectibus ad cauſas, & à ſenſibilibus ad conjecturas ſolidas intellectus, procedit. Ut autem certam ſemitam nobis eligeremus operiq; huic congruentem: Nullam ſanè meliorem reperire potuimus, quam ut per eandem viam retrocederemus, quâ venimus. Quæ enim melior eſſe poſſet quam Dei veſtigia?

Antequam autem ſcalæ iſtius aſcenſum moliamur, monendus eſt lector, ne particularem Naturæ partium picturam à nobis expectet, ſed generalem ſolum: In qua non tam res ipſas & ſpecies rerum in ſtatu ſuo perſiſtentes, quam partes earum conſtitutivas & Elementa formarum atq; materierum cum aliis cauſis & requiſitis deſcribemus. Gratum ſane eſt ingeniis ſcientiarũ amantibus, certitudinem veritatis ſibi acquirere, in qua ſolâ acquieſcunt, cujus tamen poſſeſſio eſt maximè laborioſa, non quidem ex defectu naturæ rationalis ſed lapsu & depravatione compoſiti humani, quod ſi in ſua perfectione manſiſſet, totius divinæ Sapientiæ theſaurus in ſui operis mundani creatione univerſo concreditus, animæ noſtræ excellentiſſimam naturã fortaſſis haud latuiſſet, intelligibili ſiquidem virtute & lumine hæc omnia ſubito perluſtraſſet, cum inpræſentiarum non niſi per tenebras ſensuum palpando, atq; ab externis & corticibus, ad ſecretam medullam ratiocinando penetrare nitatur. Quicquid autem ſit quod nobis acqui-

rat

rat rationis noſtræ circulatio, attamen etiam pro iſto dono & gratia à Deo nobis conſervata ſimus grati. Magna enim eſt etiam in parvo, modo pro ejus gloria, opera ejus humili ratione inveſtigemus. Splendidius enim multo nitet anima generosa per iſta vel in tenebris vagando, quã vilis illa & abjecta, quæ circa vanitatẽ rerum humanarum occupata clareſcẽs obumbratur. Certior quin etiam erit aſpectꝰ divinæ ſapientiæ ex ſpeculo tantũ reflexæ ſub pulcritudine ſua perpetua, quam ille, qui Tragœdiam iſtius vitæ fluxu continuo circum vagantem proſequendo, ſimul & cum ſuo Objecto peribit. Ad cujus fœlicitatis victoriam obtinendam melior via non datur quam reſolutionis prædictæ Certum enim eſt, quod omne compoſitum in id reſolvitur, ex quo compoſitum eſt: Sic igitur usq; ad ipſum principium iterum nobis dabitur regreſſus, ita ut duplici iſto itinere abſoluto, ſi non ad rerum naturalium intelligentiam perfectam ad minus ejusdem imaginem non degenerem perveniamus.

Cap. I.

De Animalibus.

PRiusquam ad partium separatarum inspectionem pergamus, compositum animale juxta sensuum apparitionem paulisper contemplemur: Vbi quidem primo statim occurrunt conditiones quædam vel proprietates ejus, ex parte videlicet incorporea compositi dependentes, utpote in nobilioribus ratiocinij quædam species, sensus hujus vel illius summus sæpe vigor, internarum etiam specierum seu phantasmatum quorundam penus, & motus vitalis pernicies, una cum augmento & decremento corporis naturalis, & aliæ observationes similes de quibus in isto tractatu specialius considerare non est intentio. Ex corporea autem parte percipimus beneficio sensuum sensibiles formas, materiam suam cooperientes sub qualitatum, quantitatumq; nomine, à viris doctis semper præfiguratas. Illæ, quæ ad visum spectant, sunt lumina quædam sic vel sic affecta, vel igniculi colorati diversi modè, soni verò sunt flatus quidam aerei: odores, vapores: gustibilia varij generis & præcipue liquores: tangibilia solida, &

tamen

tamen qualibet horum ex quolibet aliorum nonnihil participantia: hæc sunt objecta sensuum generalius enumerata: In specie autem lumen & tenebræ, diaphanum & opacum colorumq; diversitas sextuplex radicalis, quoad visum: Soni autē sunt acuti, obtusi, æquales & mixti: odorabilium & gustus species plurimæ, præcipuè tamen fragrans & fœtidum, amarum, dulce, acidum, acre: Tangentibus vero occurrunt calidum, humidum, frigidum, siccum, durum, molle, pungens & lene, grave & leve, & omnia ista sub densitate perfectè, minus autem sensibiliter sub raritate, respectu soliditatis; Licet etiam ista sensibilitatis species cum sua svavitate & modo perfecte percipiatur. Omnia prædicta qualitatum nomine describuntur, quæ tamen subsistere minime possunt sine quantitatibus, & licet subsisterent, sensibus tamen nostris sine istis forent imperceptibiles: qua enim ratione perciperentur absq; extensione? Simili modo quantitatis perceptio sine præsentia qualitatum esset impossibilis. Vnde concludimus, duas istas formarum species tam arctè sibi connexas, ut una quasi ex altera ortum ducere videatur. Qua etiam vicinitate moti quidam ex Mathematicis

cuncta ex suis punctis, quorum naturam forte non intelligunt, inepte dijudicantes, qualitates omnes rejiciunt, omnem sensibilem apparentiam solis quantitatibus adscribentes: quas quidem speculationes ipsis in scholis suis tractandis relinquimus, certi existentes per ipsius sensus testimonium, quod linea sine albedine non percipiatur, nec albedo sine linea, & quod linea ab albedine in sua natura considerata plus differat, quàm ab albedine nigredo, cum linea etiam sub nigredine, albedo autem nequaquam apparere possit, cujus contrarium accideret, si albedo à linea non differret, tunc enim albedo sub nigredine, eadem ratione ac linea conspiceretur. Idem de sono & aliis judicandum: Interim tamen fatemur ut supra, quod quantitas quidem sine qualitate sit insensibilis. Qualitas verò sine quantitate, insensibilis pariter atq; informis, cum sine quantitate non detur ejus extensio, quâ sublatâ evanescit & qualitatis sensus. Formalitas etiam qualitatis ex ejus figura patescit, & ista à termino quantitatis, quo termino absente, qualitas ut figurata non potest apparere. Extensio autem ista, quâ indiget qualitas, continua est vel discreta: Determinatio autem harum ex natura status

pro-

progreditur, & ista naturæ seu virtutes ex voluntate Dei. Mediante ista enim illas sub regulis certis materiebus rerum impressit, de quibus forte plura in sequentibus & suo loco. Hic autem interea notandum, quod si mediante sensu ferè & exactè sint consideranda prædicta, tum planum fore nullam dari extensionem verè continuam in corporibus, neq; etiam ullam verè discretam. Continua enim extensio in se considerata nullum habere potest finem, si modo hoc nomen ei cum veritate convenire debeat; Sic nec vera discretio quæ divisionem patitur in infinitum. Licet enim sensus nobis continuitatem quandam in corporibus repræsentare videatur, etiamq; discretionem seu divisionem (ratione praxeos) finalem: Huic tamen ratio, hæc in abstracto considerans, & supra sensum sese elevans, contrarium dicit. Vnde etiam concludimus, quod omne, quod per extensionem sensibus apparet in corporibus, non sit continuum nisi per congregationem divisibilium i.e. atomorum: Extensum autem solummodo quoad magis vel minus. Finis vero cujuslibet extensionis constituit numerum, & numerus individuum (prout communiter vocari consuevit scilicet ratione suæ formæ

ab ipso creatore, dum species constituebat, dimensæ, & in unitatem quandam redactæ, licet ratione substantiæ omnia sint divisibilia.) Finis autem iste extensionis est ipsa determinatio qualitatis in materia, ex qua conjunctione resultat forma sensibilis qualiscunq;, quæ â quibusdam, pro meliori distinctione â forma interius latente, figura solet appellari.

Hæc igitur figura nobis etiam apparet ad sensum in animalibus, sicuti de omnibus corporibus jam est dictum: atq; simul circa istam diversitas & pulcritudo talium specierum. Vnde ratio admirabunda de hac varietate statim inquirit, num forte ex casuali prædictarum quantitatum & qualitatum universalium permistione tot formæ specificæ, & tanta pulcritudine ac proportione oriantur? Verùm cum ipsa etiam rationalis anima non solum existat aliquid maximè formatum, sed insuper & regularum ordine dotatum, mediante quo omnia, quæ cognoscit, comensurat: Hinc fit, ut statim ex sui ipsius cognitione & æquiparatione cum rebus similiter tam pulcre formatis concludat, hæc omnia non casu aut forte, sed potius ex regula necessaria

saria à summa pulcritudine & sapientia mensurata atq; præscripta, ortum suum primum ducere: Secus quippe si accideret, nec formæ, nec pulcræ i. e. bene ordinatæ, (quales sunt) esse possent, sed confusio. Cum autem, ut dictum, ingens specierum diversitas occurrat, concludit similiter, turbam istam Formarũ non ex unica tantum regula seu exemplari prodijsse, sed ex pluribus. Si enim non nisi unica præsupponeretur, tunc omnes sibi similes evasissent, nec ulla inde diversitas generaretur. Cum verò rursus plures individuorum formas observet sub similitudine depictas, concludit etiam figuras sibi similes ex uno eodemq; exemplari dependere, quæ unica species pluribus individuis pro regula inservit. Rectè itaq; formas individuales sub Ideis specierum, & Species istas sub genericis collocamus, cum talis ordo vel sensibus ipsis sit perceptibilis.

Sed formis individualibus adhuc diligentius adhærens consideratio, observat iterum has formas, licet in specie similes, dissimiles tamen in suis subjectis existere, non quidem differentia specifica sed individuali, & si qua ratione generalius consideretur, differentia stirpis

seu

seu familia, aut certe nationali atq; id præcipue in animalibus majori & pulcriori varietate formatis. Quo enim plus Formæ datur, eò plus de distinctione, & quo plus distinctionis, eò plus differentiæ, & quo exquisitior differẽtia, eo facilior & familiarior existit sensui-opori cognitio, unde etiã in humana specie, quæ omnibus in formæ præstantia præcellit, ejusmodi differentias individuales plus & facilius observamus, adeo ut inter tot millena hominum rarißimè duo subjecta sibi per totum & exactè similia præcipue quoad vultum, vel certe si accuratius inquiratur, penitus nulla reperiantur.

Verum nec in hoc quiescit consideratio, sed observat insuper, nullam ex istis formis animalibus sibi similem permanere, sed in perpetuo fluxu fieri simul atq; perire, primo quidem augmentando, post decrescendo & tandem totaliter evanescendo. Eadem fermè ratione sicut in nubibus cœli perpetua datur mutatio, exceptò quod illa fiat sine regula, ista verò sub Forma ipsa, formam amittat.

Hoc igitur maximè miratur animus, quomodo ex tam parva & informi seminis materia, in parvi temporis spatio animal tantâ varie-

varietate decoratum prodire possit, & plus adhuc miraretur, nisi quotidiana historia rem maxima admiratione dignam ex consuetudine negligentia tradidisset. Multo autem mirabilior existit ejus interitus, per quem tanta corporis moles adeò dissipatur, ut tandem nil nisi pauculus pulvis aridus atq; terrestris residuus relinquatur.

Inquirit ergò, quid illud erat, & jam non est? an totum in nihilum redactum, an adhuc aliquid supersit? inquirit etiam, unde factum erat, & quomodo atq; quo illa materia recesserit? hanc quidem materiam ipse sensus facilè sibi proponit & concipit, videl. illam, quam nutrimentum ab ejus effectu nominare solemus. Qua autem ratione hoc ipsum ex sua forma iterum in aliam convertatur, id rursus existit admodum mirabile: & multo plus, quod ea ipsa anima, quæ hæc nosse desiderat, eandem conversionem in proprio corpore exercens atq; perficiens hoc ipsum, quod agit, non cognoscat, neq; sciat, sed sub cæcitate suæ ignorantiæ conclusa plus interim operando efficiat, quam sua curiositate cognitio inquirendo unquam detegere possit. Magnum sane & deplorandum imperfectionis humanæ signum, quod sentiendo & ratiocinando simus

ex

excæcari, & in cæca illa vegetativa (nisi mortis sententia data fuisset) penè lyncei. Interim tamen hic iterum se offert miraculum magnum summa consideratione dignum. Quod nempe in una eademq; corruptibilis nutrimenti materia duæ resultent formæ in uno eodemq; subjecto, ex quibus altera quasi perpetua, altera vero quasi penitus non existens existit, & quod multo mirabilius, illa, quæ revera est, & semper manet, nempe specifica, sit ita, quasi non sit, id est, ut sensibus non appareat: Ista verò, quæ non est penitus, sed in suo esse semper perit, sit quasi existat, id est, appareat nobis per sensum. Sed quæres forte, de qua forma specifica sensum latente hic loquar, quam in eadem nutrimenti materia cum forma sensibili progenerari assero? num f. rte de illa, quæ dicitur anima, & incorporeum quid existit, & quæ communiter forma animalis specifica solet appellari? nequaquam. Sed de alia quadam exemplari specie in materia seminis, ab eadem, de qua tu cogitas, anima fabricata inclusa atq; latente, quæ quidem substantialis suo modo dici meretur, ast corporea, non incorporea: cujus vestigia non quidem sensu sed ratione indagare potes, quod

quod per exemplum manifestum fiet. Canis *postquam ad finem vel certum terminum sui incrementi pervenit, virtute vegetativa suæ animæ ex nutrimentis sibi similem Speciem efformat, quæ materiæ seminali inclusa, non quidem ipsa sensui apparet, sed ejus progenies, neq; etiam cito, sed tum cum sperma illud in matricem catulæ injectum, & cum semine illius fæmellæ unitum, per formativas potentias præcipuè, in materiam per nutrimentum catulæ affluentem educitur & extenditur juxta omnes proprietates & mensuras qualitatũ & quantitatum, huic speciei convenientium, ita ut rursus ad visum apparere possit, id quod antea in patre apparebat, quod & in parva illa seminali materia â patris anima erat absconditum & involutum.* Hoc igitur *certissimum signum existit rationi, ejusmodi scilicet formam Exemplarem substantialem corpoream in semine latuisse: hoc inquam, quod iterum appareat post perfectionem fœtus per ejus effectus seu radios in figura exteriore, & quidem in omnibus generibus animalium, idq; non unicâ tantum vice, sed pluribus generationum circulis in sequentibus subjectis iterum renovatur:*

etiam

etiam illud notandum, quod non tantum unius simulacri seu individui vestigia reperiantur, sed plurium, quæ in illa stirpe vixerunt, nam semper observamus in partibus filiorum similitudines patris, matris, avorum, imò etiam parentum ex latere, quod certe non caret miraculo, nisi rite consideretur, atq; istas omnes permixtas in uno eodemq; subjecto & nova quadam resurrectione reviviscentes atq; perpetuandas. Quod quidem aliunde provenire est impossibile, nisi ex mixtura seminum & ideis à pluribus temporum curriculis in illa continuatis, quæ sensibus nostris non facile apparent in actu, sed tantum per effectus earum, uti dictum est, sunt tamen qui affirmant ejusmodi figuras latentes per artificium posse educi atq; ad oculum demonstrari.

vide infra pag. 42.

His examinibus absolutis cognoscimus plures animalium partes & causas: Novimus enim figuram externam & formam internam exemplarem, novimus etiam triplicem causam efficientem, parentum scilicet, quæ semina fabricat, & formas specificas corporeas ipsis inducit, ac in matrice format & auget: Animam præteria fœtus propriam, quæ centro seminis inclusa & quasi captivata seipsâ

pau-

paulatim liberat, atq; per partes materiæ evolvit, easdem formando, occupando, fovendo, perficiendo, & conservando pro posse: quæ etiam anima tunc ipsa substantialis forma totius animalis compositi existit, à forma substantiali corporea differens, & ipsi prædominans atq; imperans, eadem ratione sicut & ipsa totius corporis per se considerati forma, dominatur suis particularibus, ex quibus figura externa componitur, id est, omnibus quantitatibus & qualitatibus sub una totaq; figura sensibili comprehensis. Novimus præterea & materias corporis animalis, seminalem videlicet, & nutrimenti proximam scilicet sanguinem & materiam sanguinis Chylum in ventriculo, & materiam Chyli nutrimentum animale vel vegetabile. Et licet hæc omnia cognoscamus aliqualiter, adhuc tamen valdè confuse & tantum ex parte. Variantur enim & desunt plurimæ cognitiones, quæ in considerationem animalium veniunt, cum plurimæ sint animalium species, eæq; magis minusvè perfectæ; In perfectis enim terrestribus ea ferè, quæ dicta sunt, inveniuntur. In aquaticis autem & aëreis insectis & vermibus multum est differentia, si non apparentia sensibili, attamē in ipsis

partibus & causis. Multum enim differt qualibet Species in materia ipsa & per consequens in materia nutrimenti differunt etiam in causa efficiente & loco productionis. Nam aliter excluduntur aquatica & perficiuntur, aliter ovipera & volatilia, ex quibus nullum in utero matris ad perfectionem formatur, sed per externum tantum calorem ejusdem fovetur et adjuvatur, quousq; seipsum ex carcere liberare & in aëra effugere possit. Alia autem semina ne quidem in utero concipiuntur, sed per coitum tantum emissa atq; conjuncta à Solis calore vivifico, & vita mundi vegetativa proliciuntur ad extra. Alia cum vaporibus elevata in ipso aëre formam perfectam recipiunt, sicut in prima parte de ranis est narratum. Alia in instanti & unica die apparent in maxima quantitate per eundem solis calorem vivificum evocata, quod muscularum illarum & culicum caterva satis testantur. Alia ab ipsa vita terra vegetante per putrefactionem ex aliis materiis transmutatis sub vermium vestitu in lucem veniunt: In quo quidem opere stomachus terra cum suo archæo nostrum imitatur, qui ex animali vel vegetabili efficit hominem; sic ille ex hominis reliquiis vermem

quod quidem potius transmutationis corporeæ, quam generativæ productionis nomen meretur.

In his itaq; omnibus datur diversitas: In eo tamen omnia conveniunt, quod nulla producatur figura externa sensibus apparens, nisi ad imitationem interni exemplaris specifici ab ipso creatore in principio producti, & in ipsis specierum individuis perfectioribus collocati, vel imperfectioribus, & quæ ex putredine prodeunt per vitam vegetativam terrenam, cui talis vis à creatore concredita sit, ut per putrefactionis viã reiteratas plurium rerum formas specificas sibi ipsa effingere possit, quæ tamen voluntatem primam creatoris & numerum ab ipso definitum non excedunt. Nihil enim novi à natura producitur, quod antea non fuerit, licet ab hominibus nondum omnia pervisum fuerint investigata, & tali modo credibile est, vitam terræ seu naturam vegetabilem vermes etiam & insecta producere posse.

In his igitur quatuor causis efficientibus, excepta causa causarum omnia creante (quam ut Dominum & gubernatorem omnium semper & ubiq; cum debita summa reverentia præponimus) consistit omnis vis gene-

tativa corporum animalium specificorum, videlicet Patris, matris, fœtus, & Terræ, seu forte universi vita vegetativa, quæ sola facultas perfectè & essentialiter hoc in opere occupatur, licet in animalibus perfectioribus sæpe etiam sensibilium facultatum præcipue internarum, Imaginationis videlicet, adjutoria conspiciantur. Quod tamen ex accidente sic fieri effectus ipsi testantur.

In duabus autem formis corporeis (quia hic de formis causæ efficientis non proprie loquimur) In interna videlicet substantiali, & externa figurata in quantitatibus & qualitatibus, omnes animalis differentiæ corporeæ limites comprehendũtur, quæ partim sensus, partim ratiocinationis cognitione certificantur, ita tamẽ, ut semper ambæ duæ facultates concurrant. Vegetativa enim cœcã tantũ exercet practicam, ut supra est monitum.

Et licet etiam materiales causæ ex supra dictis nos jam non lateant omnino, imperfectè tamen eas saltem cognoscimus. Considerando enim animal perfectum in suo esse & apparentia externa, valde certè miramur, unde tanta moles ex tantillo semine pullulaverit cum pilis, cute, musculis, fibris, membranis, cartilaginibus, venis, ner-

nervis, liquoribus, humoribus, viscositatibus, pinguedinibus, salibus, arenulis, lapidibus & ossibus, cæterisq; partibus, quæ non occurrunt, repleta. Si enim omnes materias nutrimentales unâ cum seminali examines, nihil ferè in ijs horum omnium sic præparatum atq; formatum invenies: Vnde igitur ista transmutatio formæ in materia quasi simplici? unde consolidatio partium durarum in materijs tam liquidis concrevit? Sed forte aliquis objiciet, quod in ijs animalibus, quæ ossibus cæterarum animalium nutriantur, non sit mirandum: huic & ego è contra obijcio animalia eaq; ingentia, quæ solis herbis & vegetabilibus in tantas moles excrescunt, ut Equi, boves, & quæ durissima ossa pro basi suæ molis possident, ita ut hoc totũ quasi ex novo fabricatum & informatum existat.

Hoc in loco quidem statim ad materias & qualitates remotas confugiunt, calidum, humidum, frigidum, siccum, & ad Elementa communiter sumpta, cum interim nec Elementa propinqua cognoscant, neq; remotorum Elementorum naturam unquam rite examinarint: Stupesco considerans, Studiosos Philosophiæ ejusmodi fumis per tantum temporis spatium fuisse saturatos. Alij

verò non tam procul recedentes humores suos arripiunt, unde etiam à quibusdam eorum persecutioribus Humoristæ appellantur, eo quod nihil in ore habeant, exceptis humorib⁹. Verum sicut isti in altera extremitatum peccantes, omnia sub humore concludunt: Ita eorum antagonistæ ex altero termino hoc vocabulum adeo oderunt, ut illud penitus exterminatum velint, cum tamen rite applicatum, ritè etiam suis rebus conveniat. Quis enim substantiam phlegmaticam commodius definire posset, quam sub generico humoris vocabulo? Quis sanguinem aliter appellaret; nonne sub specie humida prævalente apparet? Quis illud quod oleosum aliter nuncuparet? Quis acetosos liquores? Interim tamen nec illi credant, se ab ignorantiæ crimine fore liberos, nisi didicerint per sensibile experimentum perfecte cognoscere id, quod in humoribus suis contineatur occultum, quot & qualibus constet partibus, & hoc eo usq; qu altius sensibile hoc objectum suo & vero modo discernere poßint. Vt igitur ad perfectam agnitionem istarum naturarum perveniamus, conveniens erit examen analyticum an tequam ulterius progrediamur: hoc enim vi am nostram maxime facilitabit.

Exa

Examinemus igitur materias nostras, nutrimentum scilicet animale & vegetabile, & reperiemus Elementa vera simplicia, & ulterius neq; per artem neq; per naturam divisibilia, sed semper subsistentia in suo esse, quod ab ipso Creatore receperunt, tamdiu quantum ipsi placuerit. Hisce autẽ addamus & examẽ sanguinis, Chylum enim, qui Medicus est inter ista ab extremorũ notitia cognoscemus. Seminalis autẽ materiarũ propter paucitatẽ, tum propter simplicitatem in animalibus hoc non indiget, neq; conveniens existit, nec necessarium, siquidem illud parvum magnum, quod in ea continetur, & quod præcipuum est, plus per rationem quam per Sensum (antequam in actu appareat) cognosci potest: Attamen siquis in vegetabilium seminibus, quæ aptiora existunt, experiri voluerit, reperiet forte miraculum illud, de quo loquuntur periti, & Forma illa in umbratili sua gratia ad visum ipsi apparebit. Nos autem antequam opus prædictũ aggrediamur, inquiramus prius, quot modis anatomiam nostram instituere debeamus, & qualis sit optimus modus, per quem ad finem intentum pervenire possimus.

medius

Primo quidem occurrit ipsa naturalis divisio corporum, quæ etiam in ipso momento

compositionis eorundem principium sumit. Ubi illud Seneca verificatur: Primus dies dedit extremum. Nullum enim corpus animale tanta subsistentia existit, quin semper etiam destruatur, & fiat, quod in descriptione figura externa superius jam tetigimus. Et ita hunc corporum fluxum & refluxum, Euripo maris non ineptè compara verimus, qui semper paulatim recedit & redit: & talis est resolutio corporum istorum dum semper dissolvuntur sub conservatione, ubi verò conservator eorum atq; gubernator recesserit penitus, tunc vera atq; totalis incipit dissolutio, & partium separatio, quæ paulatim eo usq; progreditur, quo nihil amplius de ijs supersit, quam cinis quidam pulverulentus, terrestris, ac siccus, sub forma quantitativa ossium conservatus, ut videmus in ijs corporibus, quæ in aëre posita corrumpuntur, & à vi calefacti va radiorum solarium dissipantur quæ tamen segregatio partium ad cognitionem nostram augendam parvi est momenti, cum partes omnes ejusmodi corporis insensibiliter nobis evanescant, ita ut ignoremus, quales fuerint, & penè quo secesserint. Attamen hoc interim notamus, quod omnia ea fuerint volatilia excepto pau-

pauculo illo pulvere, qui non potuit moveri, nisi forte tandem per flatum fortioris venti, quæ tamen commotio ipsi potius accidentaliter & violente obvenit, quam naturaliter & juxta proprietatem competentem. Observamus insuper & ea, quod quædam ex istis partibus facilioris & citioris fuerint separationis, quam alia, & inde plus vel minus de natura volatili participantes, sed ista cognitio nobis non est nisi valde generalis.

Huic succedit anatomia Medicorum, quæ cultro fit, equidem maxime utilis & optima, præcipue ad diversitatem partium adhuc integrarum, & earum formam & proprietates sensibiles, sub ista forma subsistentes, ad varietatem earum & loca, situm etiam, & concentum, & meatus hinc inde deductos pervestigandos, & quamvis ista operatio magnam & pulcram pariat scientiam circa partes corporis & praxin medicam, nondum tamen neq; Philosopho neq; Medico sufficientem: mutila enim est & tantum superficialis, neq; ad perfectam Elementorum seu partium simplicium omnibus corporibus convenientium notitiam deducit, quæ tamen Elementa vera existunt materia atq; subjectum formarũ illarum, juxta quarũ legem & ductum &

dominium & regulam & terminum vario modo componuntur & diversificantur.

Ea igitur, quæ tertia est, & per ignem exercetur, Spagyrorum & Chimistarum anatomia præcedentibus succurrit & eas perficit, adeoq; nobilis est, ut sine illius exercitio non minus aliquod corpus perfectè cognosci possit, quam sine cognitione literarum compositio syllabarum atq; dictionum. Nam sicut anatomia medica optimè comparari posset tabulis Geographicis, quæ nobis totius orbis situm & regiones, civitates, flumina & similia ante oculos ponunt. Sic Chimica praxis non jam picturas, sed in ista versamur velut peregrinantes, & ipso visu reali non solum prædicta sed etiam ipsorum inhabitatores & mores & proprietates & quævis particularia pervestigantes, quæ multo excellentiorem nobis pariunt scientiam, quamvis & illa maximam suam habeant jucunditatem & usum. Hanc itaq; exerceant diligenter naturalis scientiæ & veritatis amatores, & plus in unici subjecti vera examinatione invenient, quam si per mille annos libris nude speculativis & vanis tantum somnis repletis occuparentur. Hic enim certi esse possunt de veritate illa, quam oculis vident, & manibus suis palpant

Ele-

Elementis & partibus ultra inseparabilibus separatim conspectis, tunc enim ipsis apparebit, quid siccum, quid humidum, quid acreum phlegmaticum, calidum, frigidum, luminosum, tenebrosum, diaphanum, opacum, & multo plura existunt revera, quæ in corporibus ex diversa compositione sub formis suis in unum concentum conveniunt, & quomodo talia inde progenerari possint, de quibus supra mirabundi existebamus. Hanc autem cautelam observent Philosophiæ discipuli, ut antequam tales operationes aggrediantur, verus procedendi modus ipsis sit cognitus. Non enim quævis dissipatio per ignem ad hoc inservit: Ordinaria illa sophistarum destillatio, & Elementorum, ut ipsi eam vocant, separatio, confusionem potius eorundem introducunt, quam secretionem, quia omnia Elementa permixtim expelluntur, si autem rite instituatur, has partes Elementales reperient pro certo: In quibusdam illam spirituosam substantiam, quæ inflammatur, & satis est nota, quæ tamen nondum simplex existit, sed adhuc composita, etiamsi centies fuerit rectificata, deinde aquam puram simplicem ulterius non divisibilem, excepto quod in atomos possit dissipari, & in naturam quandam aëream simi-

ſimilem, converti per calorem, non tamen ut ſub ea forma ſubſiſtere poſſit, ſed frigiditatis ſibi amicæ auxilio roborata iterum in ſuam antiquam atq; primavam naturam convertatatur: Reperient inſuper & ſubſtantiam pinguem, oleoſam, calidam, multo lumine refertam, impuram tamen, atq; ob id maximè inflammabilem & fœtidam; quæ omnia ſigna exiſtunt non Elementaris ſubſtantiæ, ſed compoſitæ: apparebit tandem ſubſtantia ſicca, arida & pulverulenta terra, atq; his omnibus concredita atq; incluſa jacet humiditas radicalis, pulcra, duplicis naturæ, cum ſuo calore itidem radicali, & lumine puriſſimo, ſub pulcherrimis coloribus incredibiliter ſplendente, atq; hoc totum ſub duplici proprietate, aſtrali, (ut ita dicere liceat per ſynonymiam quandam) atq; terreſtri, quamvis reverâ neq; unius neq; alterius generis ſit penitus (nam fixum votatile & votatile fixum reddi poteſt,) ſed potius natura ex omnibus elementorum qualitatibus æqualiter participans, quam proportionem etiam neq; per motus naturales multo minus autem artificiales nacta eſt, ſed ex ipſa creatione ſummi opificis.

Cognitis igitur hiſce partibus vere elementari-

taribus & proprietatibus earum, tunc facilis atq; omnino possibilis imò necessaria maxime apparebit supradicta diversitas partium compositarum in corpore animali, tam in genere, quam in specie; Et si ulterius inquisiverit, cognitio etiam membrorũ particularium & natura ac proprietates earum totaliter eum non latebunt, observabit enim elementa sic vel sic proportionata, vel composita, in tali vel tali membro sub suis formis particularibus variata, & eorum proprietates & effectus & eorum infirmitates melius cognoscet, & causæ intemperierum & reductionis ad temperiem antiquam vera scientia ei innotescent, Sciet enim causas resolutionum & coagulationum, dissipationum & condensationum, obstructionum & deoppilationum, inflammationis & refrigerationis, puritatis & feculentiæ, fortificantia & debilitantia ordinis atq; confusionis.

Eodem etiam examine curiosus inquisitor observabit instrumentum totius naturæ, quo omnia agit & perficit, quod quidem in ore plurimorum circum agitur, ast in cognitionem paucorum pervenit, Spiritum mundi ipsum solent appellare, in quo quidem bene loquuntur, modo etiam eum benè cognoscant.

Re-

Reperitur autem tanquam collocatus habitator in domicilio substantiæ corporeæ puræ à Deo ipso sibi fabricato, in quo etiam apparet sensibus sub luminosa sua ac vera forma, quæ per se sic non perciperetur, si corporeo isti subjecto non foret applicata, de hac autem substantia subtilissima in prima parte jam est actum, & plura adhuc fortasse dicentur suo loco & ordine nobis præscripto. Hoc tamen obiter moneo, ut cognitionem istius Spiritus sibi acquirant verarum scientiarum amatores, sine hac enim in tenebris tantū palpitare contingit: unde tanta censenda est, ut vix verbis declarari posit.

Materijs igitur his conspectis formas etiam melius jam cognosces & exquisitius, simul cum locis earum, quam antea; In corpore enim animalis ipso sensu percipis, Figuram ejus pulchram completam, variam, proportionatam ex suis quantitatibus & qualitatibus constantem, in semine verò formam internam per rationem ex ejus effectibus totam, vere subsistentem quoad esse quantitativum & dimensuratum, attamen contractam & in centrum quoddam redactam, adeo ut oculis & cæteris sensibus apparere non possit: eadem ratione ac modo, ac si pictor aliquis

ma-

magnæ picturæ simulacrum in tantum coarctaret sub eadem proportione, ut tandem oculorum aciem effugiat. In materia sanguinis verò jam habes omnes qualitatum ad corpus perfectè formandum dispositiones, proprietates, & partes requisitas, & ad specificam novam formam recipiendam jam adaptatas, ex quibus corpus perficitur, augetur & sustentatur, atq; subsistit, & istæ partes in dicta materia reverà jam existunt & actu, generaliori tamen sub forma atq; confusæ, ad specialem interim differentiam nonnihil approximantes. In materia chyli conjicies formam antiquam corporis destructam, atq; sub corruptione constitutam, & in generalia quædam Elementa dissolutam non tamen divisam. Hic ergo est chaos novæ generationis, ex quo omnia ad futurum ejusmodi parvum mundum constituendum necessaria per causas supradictas efficientes separantur, ad imitationem creatoris mundũ majorẽ fabricantis, & ad legẽ internam secretã certam & immutabilẽ ipsis à summa causa causarũ præfiguratã, præscriptam, atq; impressã, quam etiam tam exacta practica observant sine omni cognitione vel sensibili vel rationali, sicut aviculæ mensuras & dispositiones artificio-

ficiosas sui nidi absq; omni instrumento mathematico & quidem longe perfectius sibi disponunt. In tribus igitur gradibus atq; materiis animalium fit corruptio atq; generatio, dum animal in animal transmutatur, vel vegetabile in animal, sub animæ sensitivæ & vegetativæ dominio atq; opera, quamvis præcipuum onus vegetativæ facultati incumbat. Sub vegetativa autem in generalissima mundana, corrumpitur alio modo, & in alias formas transmutatur, sicut patet ex supradictis.

Habemus igitur inquisitione nostra causas efficientes, Formas, Materias, Instrumenta, ad animalis constitutionem pertinentia, sed super est, ut etiam coadjuvantia paulisper examinemus & modum generationis. Indagandum etiam, quæ causarum efficientium sit potissimum agens in opere, cujus quidem determinatio non levis difficultatis existit. Certum interim est atq; indubitatum observatione circa hoc nostrum institutum, quod forma corporea materialis interna, licet substantialis sit corporis, per se tamē non sufficiat ad sui ipsius evolutionem per suas materias. Sed aliud agens seu Formam agentem insuper requiri. Deinde etiam absq; dubio

dubio pronunciamus, causam efficientem cujuscunq; generationis necessario aliquid vivum existere. cum sine motu vitali nulla perfici possit, quod etiam patet ex mortuis corporibus, in quibus non solum cessat omnis formarum productio ad esse antiquum, sed potius earũ oritur destructio ex absentia causæ vitalis. An igitur vis quedã generalis ipsis seminibus inclusa, an vero ipsa matris anima, aut potius ipsius animalis anima propria per suam facultatem vitalem corpus suum sibi fabricet, atq; seipsam cum illo in unum animal componat, certe non caret dubio. Interim tamen ferè sine dubio videntur omnia prædicta & adhuc plura coagentia requiri. Semina enim, nisi viva fuerint, non fructificant, fatua vel ab ægrotis & male sanis parentibus orta nullam producunt genituram. Quod si etiam Matris dispositio durante formationis tempore in utero alterata fuerit, nullum est dubium, quin & fœtus idem patiatur, cum non tantum in propria vegetativa propter defectum instrumentorum corporeorum, quæ nondum sunt in esse suo, sed tantum in fieri, matris auxilio egeat, sed etiam, quod omnibus est notum, ipsius matris imaginativa multa fœtui de suis passio-

 nibus

nibus, & quidem fortius vel debilius, pro tempore dispositionis fœtus communicare soleat, quod tamen ex accidente saltem contingit, cum ejusmodi impressiones ad speciem substantialem fœtus non pertineant. Itidem & illud existit certum, propriam fœtus animam etiam in utero suæ præsentiæ & operationis signa emittere, atq; quod eadem ad fœtum in specie sua perficiendum adjuvet, vel inde conjicitur, dum extra uterum figuram jam completam & adhuc incompletam per nutrimentorum immutationem & applicationem ad debitam formam ipsa ferè sola perducat. Vnde concludimus, eam in seipsa corporis formandi rationem & normam & potestatem optime possidere & exercere, quod etiam vel inde maxime confirmatur, dum post perfectionem sui proprij corporis, ad nova in materia seminali formanda sese statim accingit. Neq; etiam excludimus virtutẽ vitalem Vniversi, ex cœlo in globum nostrũ perpetuò agentem per radios vivificos Luminarium atq; stellarum: Cum non solum certissimum sit, totum mundum esse in suis partibus aliquid connexum & coagens eadẽ ratione, sicut animal totum in suis: Sed & insuper ipsa experientia Astrologorum cre-

crebra atq; certa constat; animal humanum (de quo quidem nunc sermo expresse non fit) Ecclypsium tempore natum vel statim mori, vel paulo post e vita discedere: Imo in praecedentibus jam apparuit, tot animalcula virtute solari appropinquante in vitam prodire. Cum autem hoc loco de perfectioribus praecipue agatur animalibus, dico, quod ex omnibus enarratis causis et agentibus, Anima foetus propria principaliores sibi partes vindicare videatur. Quam veritatem ab ipsa experientia in ovo considerabimus: Videmus enim, ovum in se habere vitam & animam pulli, quae in corticibus cum albumine & vitello inclusa leni calore vel gallinae incubantis vel etiam artificioso tantum externo adjuta, ex materia sua educit non tantum formam internam illam, quam postea sensu percipimus in figura sua exteriore, sed etiam totum animal vivens tempore putrefactionis peracto ex testa sua erumpit, quod quidem impossibile foret calori externo, & praecipue artificioso & accidentali, cujus virtus & proprietas nequaquam est formare, sed formas destruere, quamvis adjuvet animam laborantem tanquam instrumentũ. Ejusmodi autem ovum adhuc in ventre gallinae existens

absq; corticibus & albumine sub solius vitelli forma conclusum sese ex centro suo pene invisibili paulatim educit ad circumferentiam majorem atq; in dies crescentem per attractionem & applicationem dispositivam in magnitudine, quousq; in ovum perfectum deductum excludatur, & tandem extra uterum in pullum vivificat. Quod autem ovum ex centro & minutissima parte, ut dictum formetur, patet in gallinis scissis, ubi sæpe plusquam triginta ova in magnitudine differentia, & quædam adeò parva, ut vix visui pateant, radici affixa conspiciantur, quæ tamen omnia suo tempore in ova perfectæ magnitudinis efformantur per modum descriptum. Insuper etiam videtur quod totius figuræ formatio fiat quoad partes suas non successivè sed omnes simul (de principalibus intelligo) licet in parva materia distantia & quantitate extendantur. Exemplo loco nobis erit ovum nostrum, quod quidem in se jam continet totam figuram pulli, licet ipsam non possideat in actu sensibili propter liquiditatem materiæ, quæ inepta est, ut termino proprio describatur. Hæc autem tota figura in proxima dispositione ad apparentiam latet in quolibet ovo, sive parvum illud

a

adhuc, sive magnum, & sese sine dubio sensibilem reddit, modo materia apta non desit, in quam forma inhabitans suo tempore sese extendere poßit. Nam centrum non est, nisi eadem quantitas sphærica, quæ in extensione apparet major, & eadem forma, quæ in centro arctè sibi jungitur in extensione sub proportione sua dilatatur, & paulatim ex sphærica figura evadit organica in materia apta, cui hæc forma imprimatur: quæ cum ex centro egreditur ad dilatationem, certum sanè erit, hanc evolutionem ab agente extrinseco fieri non posse, sed necessario ab illo, quod intrinsecus residet, & activitate sua seipsum sub forma præscripta movet ad superficiem & terminum suæ materiæ subjectæ. Econtra quod per solam appositionem casualem ab extra augetur, illud etiam necessario esse suum & incrementum sumit ab agente exteriore. Ex his etiam patet causa, cur omnia corpora à centro formata ultra terminum quantitatis debitum non poßint in figura sua extendi, utpote talia, quæ dependent à definitione exemplaris interni præscripta, & à virtute agente certa & definita sibi insita, quæ cum dent esse materiæ tanquam forma & efficiens, non utiq; possunt

excedere legem & potestatem, quam habent: & quoniam hæc definitio ipso sensu teste tendit à parvo ad magnũ, sequitur etiam ipsam à minimo i.e. centro & propria virtute originẽ & motum ducere. Contrarium autem accidit iis corporibus, quæ tantum per appositionem exteriorẽ augentur & concrescunt, sine quod adsit vis interior mensurans atq; disponẽs ordinate: hâc enim deficiente nullã habere possunt definitionem certam quantitativam, sed tantum pro appositione pluris vel minoris materiæ crescunt, unde etiam talia corpora non consistunt sub certá & figurata proportione, sed tantũ per molem extensam pro quantitate materiæ ab extra accedentis, nisi forte per matricẽ, cui includuntur, ad certam quantitatem coerceantur. Sic igitur generatio animalium perficitur, sic forma in materias suas educitur, sic causæ efficientes operantur & cooperantur quousq; tandem animal compositam appareat, & subsistat simul & pereat in perpetuo fluxu atq; mutatione, sub certis tamen gradibus crescens atq; decrescens tam in substantia corporea, quàm in figura externa, patiendo alterationem in quantitatibus & qualitatibus, atq; in his quidem diversi mode, cum plurimorum sint generum, in quantitate

tate

tate verò secundum majorem vel minorem extensionem & variationem linearum circularium curvarum & rectarũ, & hoc omne aliquando in toto, aliquando verò non nisi in partibus, ut cum aliquod membrum plus æquo vel minus crescit atq; decrescit: quæ quidem variabilis mutatio summæ est admirationis. Quæ enim differentia à forma sensibili seminis ad illam, quæ intus latet, & non conspicitur? Quæ differentia inter pullum & animal perfectum, inter vigorosum atq; decrepitum? quæ etiam in humana specie observatur. Quã jucunda enim est teneræ illius ætatis ad statũ suum tendentis pulcritudo? Quam horrenda rursus vetularum & mortis appropinquantis imago? Memini me in Anglia in domo Ducis de Bukingam vidisse duas imagines ejusdem fœminæ, alteram juvenilis, alterã verò decrepitæ ætatis, quæ adeo differentis erant aspectus, ut pene diversarum specierũ imagines repræsentarent. Valeat igitur desiderium inconstantis istius pulcritudinis corporeæ, quod sapiens in anima sua immortali perficienda & adornanda multo melius applicabit.

Verum cum Figura ista externa sic evanescat, quæritur non immerito, num etiã-

formæ incorporeæ interna dispositio & esse eadem ratione corrumpantur? Observamus quippe in semine, Figuram externam ejusdem corrumpi, internam verò atq; inclusam conservari atq; magisque perfici. Diligenter itaq; est inquirendum, an forma interna in exteriorem sensibilem transmutetur penitus, an verò forma sensibilis externa in materiam educatur, non tantum cum corruptione & immutatione figuræ externæ seminalis, sed etiam cum destructione totali internæ & radicalis, & tandem an potius & ipsa interna subsistentia sua invisibili salva & integra remaneat? Quod ultimum quidem ex duplici ratione videtur posse confirmari. Quarum prima desumitur ab observatione in generationibus. Videmus enim quod proles non semper assimilentur parentibus suis omnino, nec semper immeditatè, sed sæpissimè Avis & proavis in pluribus suis partibus, quod ipsi perfectissimè norunt, qui in propagationibus animalium non tantum diligentiam practicam, sed etiam theoricam observationem adhibent, utpote in canibus & Equis, in quibus hæc omnia sunt magis conspicua tum ob pluralitatem fœtuum, tum ob minorem formalitatem seu pulcritudinis diffe-

magis

differentiam, quam in hominibus. Hinc autem concluditur pro certo, quod si forma semini à patre impressa in evolutione & formatione sui filij fuisset totaliter consumpta atq; corrupta, quod inquam in nepote denuo prodire non potuisset, qui tamen sub forma Avi sui conspicitur, non autē propriè sub forma Patris. Quod si verò forma Avi ingeneratione Patris fuisset consumpta, tunc utiq; Pater necessario non Avi sui formam nepoti & filio impressisset, sed potius vis vegetativa patris proprij sui corporis exemplar & non alienum imitata fuisset, & ad hujus exemplaris normam omnia sua semina fabricaret, & sic omnes homines vel animalia quantum ad hanc operationem sibi similia existerent. Neq; etiam id casu fieri potest, quod proavis filij assimilentur: id enim, quod sæpissime fit, ex regula fit necessaria atq; inevitabili, unde etiam prò certo conceditur, quod vis formativa seminis tale quid in corpore patris invenerit, ad cujus normam semen suum formavit, ita ut non solum formam patris sed etiam aliorum insuper exemplarium fructus semini imprimat, unde etiam varietas facierum in hominibus maxima ex parte resultat, cui accedit compositio & va-

varietas conjugiorum, ita ut tandem ex confusione plurium formarum antiquiores, ut obsoleta & obliterata, non autem per integram dissipationem, & quasi jam omnino deperdita, oblivioni tradantur, ita ut in pluralitate ista non possint apparere, cum interea omnino non perierint, sed tantum, ut dictum, in varia compositione & mixtura sub integra sua specie apparere non possint. Ad cujus varietatis productionem juvant & aliæ causæ, aliquando ab anima propria tanquam vero Agente, aliquando à cælestium dispositione dependentes, quæ ad proportionis & pulcritudinis augmentum & ejus contraria promovenda quàm maximè sæpe videntur posse conferre: nequaquam autem ut tota animalis forma corporea ab illis vel solis vel principaliter dependeat: quam quidem potentiam neq; animæ propriæ concedere possumus, ab ipsa experientiâ inde retracti, & multo minus cælestium dispositioni, quæ non nisi generalis existit. Plotinus præcipuam corporeæ pulcritudinis causam, animæ propriæ, tanquam causæ efficienti tribuere consuevit, nec quidem sine causa: attamen nisi activa & passiva forma cum proportione conveniant, sententia ista reperitur fal-

falsissima: cum per ipsam experientiam notum sit, corpora pulcherrima sæpe turpissimas animas inhabitare, & contra: Quæ à pluribus exemplis illustribus, ex quibus Neronis vel Heliogabali cum Socrate & AEsopo comparatis, confirmantur. Licet enim anima nulla turpis dici possit, attamen talis potest fieri in corpore, ubi ipsa quamvis omniū pulcherrima, semina tamen ex difformi stirpe oriuntia vix aut nunquā immutare possit. Pulchritudo enim animæ in superioribus facultatibus locū dignitatis sibi vindicat, quibus hoc in opere non datur accessus, sed soli vegetativa, quæ ut principalis directrix operatur, & cæteris instrumenta sua perficit, sine quibus ipsæ operari non possunt: hæc autem cæca existit, neq; vim electionis possidet, sed potius ab ipsa seminali materia magnetica quadam vi ad sua peragenda trahitur, unde etiam pictor quidam excellens interrogatus, cur tam pulcros puerulos pingeret, & filios tam deformes generaret, optimè sane respondit, illos se in die, hos autem in tenebris nocturnis fabricare. Atq; ex dictis concludimus priorem rationem persuasivam, quod formæ seminales internæ non pereant in evolutione corporeæ figuræ exterioris;

Cui

Cui secundam addimus, quam quidam ab experientia sensibili nituntur elicere, affirmantes, quod in salsa corporum substantia, præratione artificiali, tota & integra forma specifica, etiam ipso corpore destructo, salva conservari, & sub figura quadam umbratili possit ad sensum conspicienda præberi: quod equidem non solum in vegetabilibus se fecisse sed etiam in passerculo se vidisse, pro certo quidam mihi narravit, & sunt qui publico scripto hoc confirmarunt, quod scilicet hoc ipsum Claveus Gallus quasi publice pluribus demonstraverit. Ego quidem propria experientia novi, hoc ex parte verum esse, cum (non quidem præparatione integra sed particulari) mihi pulcherrimæ formæ vegetabilium apparuerint, & tales, quas pictor secure imitari possit: novi etiam in tali substantia colores pulcherrimos & odorem gratum latere, & post omne experimentum ignis salvum conservari: Vnde etiam nullus dubito, hoc ipsum esse verum subjectum & locum formæ substantialis, & facile mihi persuadeo, etiam totam formam conservari posse, modo artificiose integra substantia huic competens conservetur, siquidem quoad partē penè impossibile est, ut ea per violentam ignis operatio-

tio-

tionem exstirpetur. Interim tamen licet forte impossibile sit, & esse concedatur, formam dictam sic integram conservari, non tamen proinde sequitur, necessarium esse & certum, quod semper & quovis destructionis modo conservetur, & quod nulla talis forma totaliter perire & immutari possit, & multo minus, quod corporũ resurrectio ex tali fundamento quasi necessaria demonstrari possit. Hoc enim salvo ipsorum honore, qui hoc statuunt, mihi minus videtur sufficere, cum ex alijs etiam supra scriptis observationibus clarissime appareat, Formas corporum non tantum externas, sed etiam ipsas internas & conservari posse pro ratione circumstantiarum & conditionum ad tempus, & etiam perire, destrui & immutari totaliter. Qua enim ratione hujus vel illius animalis vel vegetatilis nutrimentum in animalis substantiam & formam transmutaretur, si antiquo in esse suo subsisteret. Certum quippe est, unicam eandemq; materiam plures ejusdem formas integras atq; specificas imo individuales simul & eodem tempore capere non posse, sed necesse est, ut altera alteri cedat, præcipuè ubi talis destructio subjectorum evenit, ut fiat cum summa corruptione per

agentia viva, sicut in stomacho animalis vel globi terreni. Vnde quæso Comœdia atq; Tragædia istius nostri centri mundani, quæ in perpetua transmutatione individuorum variarum specierum consistit, materiam suæ continuationis caperet, nisi eadem materialia principia iterum à formis suis specificis & individualibus liberarentur & transformarentur. Perit ergo corpus specificum vel individuale una cum illa forma sua quæ ipsi hoc esse largita est. Nullum tamen entium penitus perire potest, sed tantum ex specifico in generalius esse resolvi: Elementa siquidem prima (quod suo loco demonstrabimus) voluntate Dei per motus naturales sunt indissolubilia, & non nisi ab ipsius creatoris potestate & voluntate suo tempore annihilanda, vel inmutanda, vel purificanda, vel renovanda, quod quomodo fiet, cognitioni nostræ adhuc latet absconditũ. Cæterum quod ad illam objectionem de formis seminalibus per plura individua latentibus attinet, respondeo; quod in generatione fœtus nõ fiat transumtatio siminalis subjecti eodẽ modo, sicut in destructione stomachali nutrimẽtorum, quæ totum corrumpit, & hoc quidem ideò, quia ad effectus totaliter sibi contrarios

ista

istæ operationes tendunt, unde etiam in stomacho corrumpitur forma, & conservatur materia utilis: In matrice verò corrumpitur Materia, & forma conservatur principalis atq; præcipua, aliàs enim causa agens nō consequeretur suum finem & intentionem. Ne autem tam facile victoriam nobis persuadeamus, audiamus & istam rationem, quæ nobis objicit virtutem medicamentorum mirabilē, quæ sane ab Elementorum generalium formis procedere non potest; Sed à specificis in medicaminibus formis latentibus: In fabulam enim jam videtur abisse illud calidum, frigidū, humidum, siccū, quæ formæ nimis sunt debiles, ut effectus stupendos producere possint, præcipue autem ubi quæstio est de medicinis vero artificio præparatis, ubi ne mica quidē omniū illorum reperitur. sed quintum aliquid adeo sibi æquale, ut ejusmodi distinctiones neq; admittat, neq; per tales operetur. Hæc tamen etiā quinta essentia, licet in ipsâ, forma substantialis summo studio fuerit conservata, in stomacho vivo hanc formā amittat oportet, quā in ignis mortui torminibus conservaverat, hac igitur sublata ejus etiam auffertur effectus: Et huic tamē contraria est experientia. Respondeo, quod licet formā specifica

Virtus medicamentorum non a formis elementorum generalium procedit, sed a specificis in medicaminibus latentibus

me

medicaminis sic destruatur, Spiritus tamen quintæ essentiæ salvus conservetur, qui dum à fecibus suis & heterogeneis per diligentẽ præparationẽ liber factus sit, tam subitaneas atq; miraculosas operationes exercet, non tamen ipse solus, sed anima vivens, quæ tanquam superspirituale quid & Spiritui proximum, ejusmodi socio & instrumento roborata & gaudens, corpori suo male affecto, quanto citius potest, succurrit, quod sine istius auxilio nunquam perfecisset: atq; hisce satisfactum puto objectioni.

Pro conclusione capituli monendum est, quod ex prædictis sequatur animam animalis non esse formam corporis immediate, sed totius compositi, non corpoream sed incorpoream. Hæc enim est ea, quæ animali dat esse pariter atq; nomen; qua abeunte vel in momento compositum perdit utrumq;: Ex animali enim cadaver efficitur, & hoc ipsum etiam esse suum perdit proprium, nisi forte per artificium conservetur. Ex quo etiam patet, quod corpus formam propriam corpoream, propter solam absentiam animæ non amittat; Sed tantùm animal suam per dissolutionem compositi: quod si verò & formam corpoream & ejus esse amittere debeat, necesse

cesse est, ut hoc fiat non tantum per mortem animalis simplicem, sed per putrefactionem & destructionem corporis residui, quam patitur ab agente vivo, mediante calore digerente. Atq; sic manifeste destruitur sententia Aristotelis & eorum, qui statuunt, Animam esse formam corporis immediate, non tamen propter hanc victoriam glorietur Judæus insanus, quia ipsi ad suas absurditates introducendas parum proderit: Facilius est aliena destruere, quam sua construere, præsertim cum absurdiora sint iis, quæ destruuntur. Hanc enim veritatem non facilè destruet, quod animal sit compositum ex corporea substantia & anima bestiali, quæ necessario talis esse debet, tanquam ei propria & conveniens ex ordine creationis, juxta speciem formæ corporeæ à Deo in creatione fabricatam. Nam simile simili gaudet, & sociabilia sese invicem conjungunt, quare etiam ipse faciliùs in Asinum transmutabitur, totus quantus est, quam sana mente præditis transmigrationem animarum humanarum in bestias, somnia jamdudum obliterata, persuadebit.

Cap II.
De Stellis.

Cum ista scriberem, oculi caligine circumducti cœperunt in munere suo exequendo debilitari, & anima ipsorum adjutorio destituta in proprium mundum sese sensim recipiebat.

Apollo hatte schon
Den Weg nach seiner Thetis zu genommen/
Der swachen Stralen-glanz von seinem krausen
Erlaubete der Sternen Schaar/ (Haar/
Mit bleichem Angesicht hervor zukommen:
Man sah' und sahe nicht/
Dieweil die Nacht der andern Sternen Licht
Nicht gänzlich überwand/
Und doch mit grosser Macht nahm überhand:
Der Tag fing an zu leiden/
Die Thier und Menschen giengen albereit
Nach ihrer Wohnung zu/
Die ganze Welt begabe sich zur Ruh/
Und kurtz/ es war die angenehme Zeit/
Wañ Tag und Nacht sich võ einander scheidẽ/
Und wann die Seele sitzt auf ihren eignen
Thron.

Cum autem animus scientiarum desiderosus, ne quidem in somno penitus acquiescere possit, ad minus ea recolere solet, quæ didicit, si ad nova percipienda vel defatigatus, vel me-

medijs convenientibus fuerit destitutus. Post sensum enim externum rite per actum species istæ magna ex parte intus apparent, præbentq; animæ copiam, rerum simulacra separatim considerandi. Cogitavi itaq; mecũ, quod non solum nobis hoc sit largitum, sed quod animalia etiam hoc cum hominibus habeant commune, ut Phantasmata rerum visibilium intus ipsis appareant, suo tamen modo. Hæc facultas autem Phantasia vocatur, à nomine Lucis, ut vult Themistius, & bene quidem: Videtur enim illuminare pariter atq; perspicere. Verum cum non solum circa visibilia interna versetur, sed etiam circa reliquorum sensibilium imagines, unica quidem potentia omnes attingit, à nobilioribus tamen speciebus solum denominatur. A plurimis Doctorum cum imaginatione confunditur; re pariter atq; nominibus permixtis: Aliud tamen est imprimere, aliud impressa observare. Si enim ad idem pertineret utraq; actio, tunc sane & species, & impressio ejusdem, & visio ipsius simul perciperentur. Jam verò species & ejus observatio interno sensui claræ sunt, impressionis verò actus absconditur, fit enim sine perceptione, & neq; Phantasia neq; Imaginatio ipsa, seipsam im-

primentem cognoscit, sed specierum apparitio diligentiam & operatorem ex post facto declarat. Hæc quidem ignorantia naturali protegitur ab objectione criminis istius, cum practica sit non cognitiva, illius vero differens conditio nil agere potest nisi cognoscendo, & hinc nota differentiæ: Cui accedit velocitas illa admirabilis, quâ phantasia ad omnia flectitur. Multa enim, quæ ita producit, non retinentur, videlicet non impressa. Imaginationis opus est imaginum firmatio, quæ impar viribus est, & tardior Phantasiâ, nec hujus agilitatem assequitur: Ista per motum: Illa verò ad statum, eiq; constantia sensus usui est & auxilio. In compositionibus musicis Phantasia cohærentium tonorum & intervalla dulcia supervolare tantum consuevit, præsertim ubi vigore insolito inventionibus abundat quæcunq; statim non scribis prætereunt, quasi nunquam producta apparuissent: Si notas, interrũpitur calamo, mutatur, debilitatur. Plura verba velociter dicta præterfluunt, aliquoties attente repetita hærent ad momentum, percipiuntur à Phantasia, & rursus hâc ipsâ manum ducente sensui oculorum opponuntur, cujus tandem beneficio & crebriori reflexione impressionis effectus insensibili-

biles producuntur. Tarda igitur imaginatio est ad sensum: Tardior ad Phantasiam: Hujus divitiæ diutius breviusq; ostenduntur, illius vel vitio vel opera. Hæc ex seipsa movetur, illa non nisi ad sensum, ad istam nihil. Ambæ sine sensu externo, ambæ cum ipso, nulla sine sensu communi, nisi imperfectè. Phantasia miram meretur laudem ex constantia motus, semper enim in actione motus versatur: toti animæ adest, omnẽ sequitur appetitum, omne desiderium, nec hominem deserit nisi in deliquio, vacuitatem à cibo ducit ad prandium, modo habeat, saturitatẽ ad requiẽ & gaudiũ, modo sit libera à curis, amorem ad pulcritudinem, iræ vehementiam adauget, neq; tamen timentibus media ad salutẽ occultat, antequã vires deficiant, quæ vel ex bestiarum actibus certificantur: Cognoscimus enim per signa velocitatem ejus, ubi fugientem leporem canes aspexerint, & hic inimicos insequentes. In vulpe subtilior etiam, qui technis & artificiis salutem quærit, neq; tamen in humorum temperamento terminatur varietas ejus, nobilissimis enim animæ potentiis adesse consuevit, & quidem necessitatis lege indissolubili, dum sine hujus auxilio nihil in toto homine peragatur.

Ipsa tamen & sola esse potest & operari, & nunquam magis impedita, quam ubi sola. Non enim requie aut somno ingravescit, sicut alij operarij, sed particulare imperium suscipit, quando reliqua cuncta silentio involvuntur. Dormientes gubernat suo modo, nonnunquam verò tali regula & ordine, ut rationis consilio imperare videatur: Quod quidem Heraclitum ingeniosè denotasse tradit Plutarchus: dicebat enim, vigilantibus unum communem esse mundum, sopitos in suum quemq; discedere. Hujus rei testes sunt somniorum Historia, quæ sua diversitate acta mirabilium recensent, nequaquam cum vigilantium dictis factisq; convenientia. Et mihi quidem videtur anima festa agere, à laboribus diurnis quiescens, ubi cum rationi secedere injungat, ne scilicet rigore suo Catonico ejus desipientias notet, tunc non nisi jocosa & ludicra à Phantasia instituuntur, & cuncta bacchanalia sapiunt, aliquando tamen sibi ipsi terrores movet, sed hæc in somno, sæpè etiã in vigilias semper autem potestatẽ habet componẽdi, dividendi, augmentãdi, diminuẽdi, phantasmata sua: Circa hæc sola enim ejus actio volvitur, essentias rerum non penetrat, sed simulacra accidentium producit ad numerum usq; infi-

infinitum, hac tamen non nisi ad respectum sensibilium. Omni autem prærogativa major est, quod depravationis legem non subeat. Quicquid enim hoc in casu ipsi affingatur, id fit injuria atq; aliarum potentiarum delicta huic imponendo. Quæcunq; producit Phantasmata, hujus opus sunt, sive sint cum ratione, sive sine. Ordo ad alia pertinet ad istam continua perfectio, unde etiam immortalis existere posset, nisi ad dissolubilium imagines flecteretur. Est autem ex parte corporis locus phantasmatum in cranio atq; posteriore parte capitis, cujus formam bonamq; dispositionem Medici adeo necessariam experti sunt, ut absq; illa memoriæ facultates non nisi imperfecte exerceantur. Cerebri etiam Temperamentum atq; copia requiritur, quantum sufficit ad capacitatem, calor insuper atq; humiditas, & ut tenue magis sit quam crassum, ne frequens oblivio obrepat, aut sensus ibidem residentes vel hebetiores vel liquidiores reddantur. Est autem miraculosa facies facultatis in memoria habitantis. A principio enim nuda ipsi pulcritudo & minus elaborata, quam Aristoteles tabulam rasam animæ vocabat; attamen infans hæc puella illecebras suas velut ex longinquo statim

ostendit. Habet enim suos attractus, tam ad acquisitionem, quàm ad benignam largamq; dispensationem, viget in ipsa magnetica virtus, ubi adultior fuerit, tunc enim nos gratia sua ita demulcet, ut totum vitæ tempus non injuria quis ipsius amoribus impenderet. Verum injuriam facere videmur Memoriæ comparatione fœminili. Mascula enim est atq; fortissima. Quis novus nobis Hercules ex orco progreditur? Video enim totum mundum non humeris quidem ejus impositū, verum in parva quadam rotunditate Capitis quiescere, Deumq; ex alto prementem. Quanquam autem omnium capax sit, nō semper tamen liberalitate est prædita. Aliquando placidissima, ita ut quæcunq; ab illa requisiveris, pro voto obtineas, si verò contrarius humor sceptro potiatur, tunc ambitiosa altos movens Spiritus, re inaudita te spretum remittet. Avaritia etiam quandoq; possessa paupertatem simulando omnia denegabit, mox partem dabit, parte retentâ. Primum egena, postea dives, nunc abscondita, subitoq; apparens, aliquando tardius & sæpius nunquam. Non autem ex toto perit, nisi violentia quasi mortali supprimatur, semper autem ex ætate in juventutem, aut ex morte in resurre-

re-

rectionem quandam sibi naturalem propria virtute in vitam redit: Hujus celeritas Phantasia cursum adaquat nobilissima virtus, nunc in oriente, nunc in occasu versatur, nunc in profundissima maris ad centrum terra proficiscitur, atq; subitaneo reditu cælum radio citius secat, & caput inter nubila condit. Totum circulorum gyrum, per quem cæli viginti quatuor horis mira velocitate rapiuntur, in momento mensurat. His S. Augustinus compulsus variis verborum laudibus ipsam exaltat: nunc Campos & lata prætoria, nunc magnos recessus, secretos & ineffabiles sinus, ejusq; Phantasmata thesauros appellando; tandem in hac verba erumpit: Magna ista vis est memoria, magna nimis Deus meus penetrale amplum & infinitum, quis ad fundum ejus pervenit? Hac igitur nescio qua opportunitate me extravagantē in viam reducit, quâ erat pergendum. Hâc igitur duce Romam usq; peregrinatus sum ad Monachum quendam, habitantem in monasterio ad Tyberim sito, qua civitatis illius pars al Ripetto vocatur. Hic enim erat Astronomus peritissimus & magnus Amicus Galilai Florentini, qui ocularium, visum nostrū tam egregiè acuentiū, si non primus inventor summus tamen exal-

 tator

tator meritò nominandus. Licet enim hoc artificium hodie magis magisq; excolatur, manet tamen veritas illa, quod inventis facile sit aliquid addere. Erat autem ferè tempus crepusculi, cùm illuc appellebam, monachus dictus jam præparabat instrumenta sua, quibus pro cœlestium insidiatione utebatur, hæc autem non parvæ erant molis, sed talia, ut sine cruce lignea altisq; requisitis, quibus imponebantur, regi non potuissent. Eodem die receperat literas ab Amico suo Galilæo, tum temporis adhuc in vivis existente, in quibus continebatur aliquid summopere notabile, Querebatur enim Galilæus de cæcitate oculorum, quæ ipsi non multum ab eo tempore acciderat, addens, forte se ista pati cam ob causam, quod nimium antea viderit. Tempus adventus mei erat ferè illud, de quo supra memini, scilicet dum Phœbus nos lumine suo aliquot horis privare solet, cujus tamen radij aurei nonnihil splendoris adhuc post se emittebant. Nos interim, ne tempus perderetur, instrumenta nostra versus civitatis partem oppositam dirigebamus, in qua situm est castellum Pontificis S. Angelo, vocatum ab imagine Angeli, summitatibus ejus imposita, Quam quidem contemplabamur perfectè ad-

adhuc nobis apparentem, adeo ut etiam funes desuper pendentes visu distinguere possemus. Quod quidem mihi tanquam novum quid summopere placebat. Intentio autem nostra præcipua erat, ut Lunam plenam serenissimi cœli beneficio unacum Jove & Marte, qui tum temporis supra nostrum hemisphærium gradiebantur, conspiceremus, quod etiã gratia Dei nobis ita permissum est, antequam enim luna oriretur, jam dicti Planetæ nobis fere in medio cœli apparebant. Jovem quidem cum quatuor suis satellitibus ea fere conspexi magnitudine, ut Luna in eo loco exaltata visu ordinario, non artificioso, videri solet: ubi quidem Monachus me deceperat cum enim de satellitibus Jovis tunc temporis nihil scirem, neq; etiam ipse mihi de iis quicquam aperuerat. Specillis igitur ad oculum applicatis, duo ex illis planetulis tunc admodum patrono suo vicini mihi occurrebant, ita ut quasi ex ejus visceribus prognati viderentur. Ego itaq; semoto oculo ab instrumento, & sine eo jovem conspiciendo nihil tale percepi: Videor mihi, inquam, videre simul & cæcus existere, ille itaq; subridens inquit: Verum est, siquidem ea vides, quæ non vides, explicavitq; mihi breviter historiam dictarum

rum ſtellarũm, quæ ante inventum iſtorum inſtrumentorũ nunquam ab ullo oculo humano erant perceptæ. Quæſivi ergo & ſocios duos reſiduos qui ſeſe ſat amplo ſpatio à corpore Jovis tunc elongaverant. Hiſce itaq; perſpectis Martem etiam quærebamus, qui paulo minor apparuit quam Jupiter, ſed rubicundus, & ex parte ſupina ad dextram verſus quaſi defectuoſus, ſicuti luna ſolet apparere, dum ferè tres quartas luce completas poſſidet. Figura autem Martis, ſicuti moderni per ſua inſtrumenta (perfectiora ſine dubio) illam perceperunt, nobis occultabatur. Interim lunare corpus ſeſe paulatim ſupra Horizontem elevabat, & quidem tanta magnitudine, ut ſtupeſcens ſumme illud admirarer. Neq; enim totam una vice per inſtrumenta conſpicere licebat, ſed tantum per partes.

Apparebat autem mihi pene ut charta quædam Geographica dimidiam terreni globi partem repræſentans, obſervavi etiam figuras varias in ea per beneficium plus minus ve lucidarum partium diſtinctas, quas tamen non niſi irregulariter percepi, forte ob rei novitatẽ, quæ non permittebat, unico aſpectu totam formæ ſuæ perfectionem familiarius contemplari. Quicquid tamen ſit, globoſum

eſſe

esse corpus judicavi ex peripheria, ubi lucis atq; umbrarum alterationes velut in monticulos quosdam sese elevabant, quid vero colles isti sint, ignoro: cum distantia nimia rationi persuadeat, colles vel montes minime conspici posse; Hoc interim certissimum est, umbras nunquam nisi ex reflexione lucis à corpore solido & opaco resultare & apparere. Aderat ibi tum temporis & pictor quidam Gallus, qui nobis diversa schemata istius corporis monstrabat, quæ ipse per trium annorum observationem cuidam nobili in Provincia habitanti ejusmodi instrumenti beneficio exaraverat. Cum itaq; de hisce miracalis tractaremus: Ecce Aliger ille planetarum nuncius inopinate adstitit, in alba sua veste splendens atq; coruscans, inquirens quid nobis de hisce rebus videretur. Omnibus autem obmutescentibus ego tandem in hæc verba erupi.

Gleich wie die Seelen sich den Sinnen nicht vergönnen
Und kundbar wollen seyn: Wie wir nicht wissen können/
Durch unsrer Ohren Klang und durch der Augen Liecht
Ihr Wesen und Gestalt: Also sehn wir auch nicht
Die wunderbare Kraft der unsichtbaren Werke/

Der

Der Seelen stilles Thun und der Gedankē stärke/
Wir sehn und sehen nicht/und alles was mā sihet/
Das sieht man nur wie diß / das schlaffende Ge-
schieht.
Wir dürffen selber nicht den klaren Augen traue/
Ob sie gleich offen seind/weil inen/was sie schaue
Nicht in der Warheit Glanz/und wie es sich ver-
hält /
Als nur durch einen Rauch und halb wird fürge-
stelt /
Und wie den jenigen sonst pfleget zugeschehen/
Die in der schwarzen Luft bald grosse Trachen
sehen/
Bald eine ganze Stadt/ bald Schlösser / Berge
Stein/
Und endlich sehen sie/ daß es nur Wolken seyn/
Also geschicht uns auch/ woferne uns aus Gnad
Und von den Göttern nicht der Irrthum wir
entladen/
So bleiben wir darin/ und nehmen nicht in acht
Diß was man nicht kan sehn/und dennoch ist ge-
macht.

Tunc ille: Quid igitur ô homunculi audace, oculos vestros in cælum attollitis, putantes ea curiosius pervestigare, quæ ob nimiam distantiam vobis semper erunt abscondita. Cur non potius circa terrena vobisq; vicin occupamini? Hæc enim sola Deus & Domin vester vobis subjecit, cujus tamen pervestigationem adeo negligenter tractatis, ut pau re-

reperiantur, qui vel unius herbulæ naturam, prout conveniens foret, cognoverint: Et integrarum stellarum globos oculis vestris emissitiis deglutire desideratis, quid quæso vobis proderit impertinens ista curiositas, cum somnia vestra certiora sint, quam ea, quæ vobis de istis persuadetis. Vestra curate pulveres terreni, & nobis spiritibus sublimatis nostra relinquite. Cui respondens Monachus utpote præ omnibus hisce verbis magis notatus: *Bona verba, quæso, inquit; Duo cum dicunt idem, non est idem: Jamdudum nobis sapientia Dei tam per prophetas quam per filium Dei, moderationem curiositatis circa ista injunxit, ita tamen, ut non tam desideriū nostræ scientiæ taxet, quam incredulitatem. Ait enim, si terrena dixi vobis, & non creditis. Nequaquam autem istorum cognitionem, qualiscunq; tandem esse posit, creator nobis invidit; Sed Solem in lucem de die, & Lunam de nocte cæterasq; stellas in signa dedit. Quare si tibi aliquid certius de hisce rebus cognitum est, tuum esset, ex charitate potius nos docere, quàm reprehendere: Dic ergo si potes, quod scimus loquimur, & quod videmus testamur: Et si testimonium tuum laude dignum erit & rationale, ipsum recipiemus.*

Nos

Nos enim per ista omnia, non tam curiositati nostræ satisfacere, quam excellentia Dei opera ad ejus gloriam cum debita humilitate venerari satagimus. Licet alia nobis scientia inde non accederet, quam illa, ut phanaticis Philosophorum opinionibus non amplius alligemur, qui nobis substantiam stellarum modo pellucidam seu diaphanam tradiderunt, modo ex corpore quodam quinto, quod ipsi sibi in capite suo fabricarunt, modo solem esse lapidem ardentem, modò globi lunaris unam partem proprio lumine esse luci fluam, aliam verò obscuram, & ita paulatim se vertendo diversas formas efficere. Et nescio quas chymaras sibi nobisq; affingere non erubuerint, ne forte silentes ex philosophorum cathedra ejicerentur. Hisce verbis ille quasi emollitus: Scitote ergo, inquit, omnes istos globos tam bene quam vestrum habitatoribus suis esse refertos: Et insuper totum universum unum aliquid harmonicum existere atq; connexum, ita ut quidam concentus pulcherrimus ex suarum partium Materia dispositione & cursu conficiatur. Sicut enim proportio soni unius ab altero distat, ita etiā soliditas globi Lunaris differt à vestro. Meo autem globo tertiæ proportio est tradita:

Vide infra fol. 283. ubi author serio loquitur.

qua

Quæ elegantissimum quorundam vestrum auribus & gratum concentum solet emittere: Quartam venus possidet, Sol verò quintam, & sic ulterius, donec tandem Saturnus octavam constituat, quem ideo eo relegavimus, ne tetra sua & terribili figura & colore vobis horrorem injiceret, neq; nobis invidia sua omnem gloriam & honorem præriperet. Scitote etiam, quod mea inspiratione Astrologi pulcram illam comparationem instituerunt cum animalibus aliisq; signis similibus, tam in Zodiaco, quàm sphæra octava, quæ vobis memoriæ localis inventionem præbuerunt. Nullum enim signum sine gravi causa ita vocatum, utpote Arietis, eo quod animal istud tota æstate in dextro, & tota hyeme in sinistro latere cubat, sic solis cursus. Taurus autem quia sol sub illo positus, radiorum suorum cornua fortius erexit, & terram arabilem reddit. Gemini autem sic vocantur, ob id, quod Sol sub illo duobus diebus amplius quam sub aliis moretur. Cancer autem an non aptè sic vocari meretur? Nonne Sol ad signum istud veniens cursum suum retroflectit, sicuti cancer retrocedit & ambulat? Sic ex contrario capricornus, cum Sol tunc temporis ad astra conscẽdat, sicut capra alta petere solet.

Cum autem sermone suo ulterius procedere vellet, ego nauseabundus ipsum interrupi, inquiens: Quid novi hic nobis annuncias? Nonne eadem Philosophus quidam Alexandro Magno proposuit, ut ipsum à vanitate sua, quam conceperat, totius terræ dominium possidendi deterreret? Nonne Pythagoras & alij nobis de Harmonia ista & sono sine reflexione & auditu jam sunt locuti? Pictor verò, ne sui officij oblivisceretur, ait: Commune proverbium dicit de nobis: Pictoribus atq; Poetis, quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Licet autem nobis hac prærogativa concedatur, nequaquam tamen adeo inverecundam exercemus audaciam, ut ubi de rebus seriis agimus, tam pinguia & enormia fingamus mendacia, sicut iste orator, neq; etiam tam gravi labimur ignorantia. Quid tibi imaginaris nasutule? An credis nos esse simpliciores rusticis, qui te statim de mendacio Arietis redarguent? Nunquam audivi majorem stultitiã quàm illam, quam tu nobis tradis de retrogradatione cancri: Cancer nonne sicut alia omniũ reptilia eo graditur, uti oculi, caput, os, barba, & alia quacunq; sese vertunt? Nonne caudã & partes, illas, ubi membra genitalia & sexus differentia sese patefaciunt,

post

post se trahit. Tu itaq; collum ejus proculo accipis? Ego quando ipsum penicillo imitor, tunc eum ita depingo, sicuti Natura ipsum producit: Nequaquam autem sicuti tu ipsum præfiguras, forte aliquando te imitatur in cursu retrogrado, scilicet eo, ut melius procedere possit, videris mihi per aliquod tempus sub radiis solis ambulasse, dum solem ut cancrum retrogradi tradis. Tunc ille: Quoniam ista vobis non placent, audite sequentia. Cælum infinitum quid existit, & stellas & soles infinitos in se continet, quos vos nequaquam pervestigabitis: Quibus dictis totus furibundus, alas suas quatiens, per aerem sensim aufugit. Nos autem ipsum irridentes, tanquam fabularum plasmatorem, & mendaciorum figmentorumq; inventorem, ac deceptorem stultorum vociferationibus prosequebamur. Atq; sic nox illa, quæ tum temporis per se brevior existit, jucundis istis occupationibus ad motum Mercurij evanescebat.

Vidimus itaq; Luciferum Phœbi præcursorem appropinquantem, & simul auroram lucidissimis suis & variegatis vestibus circumdatam. Phœbum ergo appropinquantem hymno quodã vernacula mihi lingua salutavi. Hoc enim elocutionis genus cum aliquid

extraordinarij existat, non tam secundum voluntatem, quam juxta instinctum & raptum enarrari solet.

In dem ich also sang/ward ich durch die gedankē
In lauterm Liecht enzükt/ biß in des Himmels-
schranken:
Mein' Augen wurden blind und wurden wieder
klar/
So bald die Sterbligkeit jhn abgenomēn war.
Ich sah' jhn/ wie er ist/auf seinen güldnē Wagen
Mit Majestät und Kunst die Feuerbläser jagen/
Den Zügel führt er gleich/und zeichnete die Zeit/
Er rennet jmmer fort ohn alle Müdigkeit/
Denn weil der Lebensgeist / der überall regiret
Auß seinem Hertzen quillt/so wird auch nichts ge-
spüret/
Von Hunger oder Durst: Und nichts nimbt ab
noch zu/
Ob in bewegung gleich besteht des Liechtes Ruh.
Er sprach; Sitz' auf mein Kind emphfahe neue
Kräfte
Umb wissende zu seyn der weltlichen Geschäfte/
Und als er dieses sprach/empfand' ich alsobald/
Daß Leib und Geist empfing ein andere Gestalt.
Wer hat jemals gehört das dieses sey geschehen/
Daß mit dem ganzem Leib ein Mensch hat kön-
nen sehen?
Und daß des Liechtes Kraft durch aller Glieder
weg
Umb in die Welt zu gehn/gefunden einen steg/

Biß in der Erden Punct / kom' ich mit meinen Händen
Das scharffe Sonnen-Licht nach meinen Willen senden /
Ich könt auch über mich ins hohe Himmels-Hauß
Der Heimligkeiten sehn/und alles suchen auß/
Die Ohren voller Glantz/das Hertz und alle Sinnen
Die kondten durch das Liecht ihr' eigen Lust gewinnen /
Ich hette nicht gedacht daß man in dieser Zeit
Und Menschlicher Gestalt in die Glückseligkeit/
Der unbekandten Lust versetzet köndte werden/
Wir fuhren immer fort im Circul umb die Erdē/
Nichts blieb uns unverdeckt/und Phoebus zeigte mir
Den umbbegrif der Welt mit jrer gantzen Zier/
Und aller Eitelkeit/damit sie sich bemühet/
Damit sie in den Todt und ins Verderben ziehet/
Diß ward mir alles kund. Doch hat des Lichtes Gott /
Mir neben seiner Gunst gegeben diß Gebot /
Daß ich nicht alles solt in aller Ohren tragen/
Er hat mir aber auch erlaubet diß zu sagen/
Was itz und folgen wird. Die schwartzgefärbte Nacht
Hat ihr nach uns die Lufft ins Eigenthum gebracht.
Als ich ꝛc.

Tunc utiq; rem mirabilem & omni rationi humanæ incredibilem experiebar, solem

videlicet esse frigidum in sua substantia, non autem calidum, ut ignarum vulgus sibi imaginatur: quam veritatem solus ille doctus philosophus Phantasia suæ perspicacia invenit, & secretum istud toti mundo propalavit. Sed vide, quæso, quid nobis accidit, dum hac ratione cursum nostrum ab oriente versus medium cœli prosequebamur, circa undecimā circiter horam, signum arietis pertranseuntibus, incœpit paulatim terrenus globus obscurari, quem antea satis lucentem conspexeramus, non tamen tam valida luce præditum, ut Lunam, quæ nobis erat vicinior, cujus semiglobus è contrario totus undiq; illuminabatur. Tunc in memoriam venit, hoc esse ecclepsin illam, de qua Calendaria nostra mentionem faciunt, quod accidat hoc anno 1652. 29. Martij vel Aprilis, quam solarem appellant, ideo quod Sol terricolis quoad visum tunc obscuretur, licet nulla ecclypsis solaris unquam fieri possit: Quid enim solem obscurare, cui tanta lux et quidem propria, non mutuata à Creatore est concredita? Ego igitur veram Ecclipsin & verum subjectum eam patiens conspiciebam, scilicet ea ratione, qua corpus aliquod ecclipsatum conspici potest, quo

qui-

quidem aspectu permotus Phœbum ita alloquor. An, inquam, ô Apollo tot mala eveniunt habitatoribus nostri globi ex ejusmodi defectu tuorum radiorum, quod Astrologi nostris semper minitantur? An non solummodo res naturales debilitatę, sed etiam affectus hominum tot furoribus atq; insaniis hinc inde concitantur? Verum est, inquit, quod globi omnes, quotquot creator condidit, auxilio meo summopere indigent, unde etiam in hoc loco medio cursum meũ mihi designavit, pra omnibus tamen globus vester, qui plus tenebrarum in se continet, quarum natura torporem vita inimicum solet inducere nisi diligentia mea ac virtute lucis impediantur. Hinc facile ex teipso concludere potes, quod sublata causa tollatur effectus: Et licet unica vel dua horula parũ temporis complecti videantur, multum tamen virtutis vitalis, quam undiq; spiro, vobis eripiunt, luminis mei accessu deficiente. Quod quidẽ & historia vestra confirmãt, si curiosius eas recolaris. Ad illud autem, quod scire desideras, de turbatione affectuum humanorum, ex ista causa respondeo, te ipsum satis nosse, qua ratione animarum vestrarum substantia tam nobiles, lucis mea passionibus haud subjiciantur, cum multò sint altioris na-

tura, quam ut ab inferiore aliquid pati possint, corporea autem pars ex prævia dispositione movetur: Sic enim creator mihi injunxit, ut oriar tam supra malum quam supra bonum; & sicuti calor meus lutum indurat & ceram mollificat; Sic & vobiscum agitur. Vides ergo, quod homines isti sæpius admodùm stultas foveant sententias sine omni rationis fundamento, quo si homines, prout convenit, uterentur, non mihi quidem cæterisq; globis proprias ipsorum insanias falsò affingerent. Cur quæso defectui lucis meæ affectuum turbationes tribuunt, cum illa tunc non agat in ipsos, sed per lunare corpus reflectatur? Nonne vides, quod ego sim ordinis boni studiosissimus observator, & prosequutor exactissimus, adeò ut ne pili latitudinem à legibus creatoris deflectam? Cur ergo me confusionum auctorem proclamant, cum totus quantus, non sim sollicitus, nisi qua ratione vobis benefacere possim? O ingrati! Hoc tamen concedo, cum humana ratio admunus suum ritè exsequendum spiritibus vitalibus necessariò indigeat, debilitatem quandam ex istorum defectu vos persentire, siquidem ego eos maximè & roborare & decorare soleo, quod ipsâ experientiâ patescit.

Quod

Quod si igitur tale quid patimini, cur non ad remedia lucida & pura, terreno vestro globo satis concredita, ex spinis suis eruenda; acceditis? Alia sanè causa harum rerum existunt: Superbia vestra & Ira Avaritiaq; viles, quibus alter alterum supprimere, spernere, lacessere soletis, non concedentes, ut pauper cum divite, rex cum rege, subditi cum Principe ordines suos divinitus dispositos possideant, necessitates convincant, & vitæ dono cum requie & pace amicitia & charitate fruantur. Cursus meus ordinarius est; Ecclipses atq; aspectus itidem certis momentis redeunt, vestra autem insania & ebrietates nullum observant ordinem, qua ergo ratione ordo confusionis vel causa vel signum esse potest? Opus ergo est, ut vos cum ordine pondere, mensura, vel regula & tempore certo passiones istas exerceatis: aut nos ab istorum commercio omninò absolvatis. His dictis subticuit: Quæsivi ergò de ipso particularia quædam, meipsum tangentia, ratione istius Ecclipsis, cum ea incedat in eodem fere puncto Arietis, quod Anno 1611. Sol ipse in secunda occupabat die, tamen 9. Aprilis juxta stilum novum, ita ut unicus tantum dies interstitium faciat, atque quidem mihi paucis

respondit: Noli timere, Nosti enim Dominum & gubernatorem mundi: Hujus laudes & gloriam cum veritate pro posse tuo extollas. Ipse est, in cujus manu stat regimen: Ego & Tu ejus servi sumus ad solam ejus gloriam magnificandam creati: Ipse nobis gratia sua aderit, quamdiu ei placebit. Tibi salus æterna parata, mihi verò aliquando intereũdum est, sub ea tamen spe, quod etiam ex cineribus meis adhuc aliquid excellentius creaturus sit. Hisce aliisq; sermonibus peractis pene ad medium cœli perveneramus, cum me ita alloqueretur; Age Amice, jam tibi iterum ad tua est descendendũ: hæc enim gratia tibi sufficiat, vide igitur, ut caute ad terram te demittas, & observa diligenter omnia ea, quæ tibi in itinere isto apparuerunt, & adhuc apparebunt. Multum enim tibi ad cognitionẽ naturæ proderunt. Quo dicto alas mibi duas adaptabat, ut sensim corpore ingravescente, me à subitaneo casu conservarem. Ego igitur ei: Vale, inquam, ò Apollo: Creator quidẽ in nostro erit auxilio, atq; simul septentrionẽ & occasum versus declinans, perpendicularẽ civitatis Hamburgensis inquirebam, qua reperta paulatim memet ipsum demitto, non tamẽ sine maximo horrore & timore percitus.

Cum

Cum enim Sphæram ignis elementaris ab Aristotele tàm decantatam ingrederer, tunc subitò Alæ meæ liquescere incipientes, auxilio suo me destituebant, adeo ut in momento per totam illam sphæram præcipitarer, tam citò certè, quod revera scire non possim, an talis Sphæra seu Elementum ignis eo in loco existat vel non, cum illud non senserim nisi ab ipso effectu, liquefactione scilicet alarum & conturbatione mei ipsius. Sed ecce miraculum subitaneum & stupendum, mediam regionem aeris intrantem iterum confirmans: Alæ quippe meæ tam citò rursus sese firmabant, quam citò antea defecissent. Nam quicquid liquatur calido, id frigore coagulatur, quam quidem regulam tum percepi esse verissimam. Unde novis iterum viribus & auxilio earum roboratus, iter meum feliciter absolvi, ita ut paulatim ante solis occasum placidissimo volatu penes Hamburgum in terram descenderem: cujus reflexio tunc minus valida grato quodam spiramine me afficiebat. Omnia enim sibi complacent in propriis magis quam in alienis degere Elementis. Locus ille, quo appellebam, erat amœnus, paulo altior, non multum ab ipsa civitate distans. Hac igitur opportunitate

ar-

arrepta, in terram prostratus membra ab itinere lassa paulatim quiescendo reficiebam, recolens interim memoriâ omnia ea, quæ in regione Aëris observassem. Phœbus autem quo gratiam suam mihi specialius adhuc demonstraret pulcherrimo sane spectaculo, cum propter distantiam locorum me alloqui non posset, mihi valedixit. Ipse enim similiter ad Thetydem suam descendens, pulcherrimis sese circum circa nubium vestibus ornabat, tot varijs coloribus decoratus, quod vix dici possit. Nubes etiã ex opposita parte ejus splendoris participes, Albim fluvium ijsdem reflexionibus depingebant, quibus Sol ipse partes terreas elevatiores summopere splendentes reddebat: Adeo ut omnia elementa, Cœlum, Terra, & mar[e] mihi de reditu gratulari viderentur, quæ o[-] mnia in unico velut speculo concentrata vi[-] debam. Erat tamen ex opposito solis nube[s] concava inimicæ solaris habitu amicta, qu[ae] ipsum continuè prosequitur & ipse illam. Hæc igitur de nocte super veniente nigred[i-] nem & humiditatem evaporatam ex terr[a] in pluviam conversam solis radijs oppon[e-] bat, unde pulcherrima iris cum suis radi[is] splendidissimis oriebatur, quod equidem d[e-]

vi[...]

vinæ gratiæ signum, ego tanquam optimum omen suscipiens surgendo perrexi ad civitatem, eremumq; meum ingressus, Dominum meum humiliter adorans, ipsi gratias cum gaudio ex totis animæ viribus in secreto reddebam, eo quod me hominem ratione præditum, ejus opera amantem, & futuræ salutis infinitæ capacem, sub sua imagine condidisset.

Sed quæres fortasse, cur stilo, tantum à reliquo sermone diverso, præcedentia descripserim? Cur falsa veris, cur rebus figmenta, allegorica apertis, poetica philosophicis, phantastica rationalibus miscuerim? Scias ergo, me hoc fecisse, ut tibi per exemplum quoddam proponerem motus cogitationum humanarum, & differentias facultatum animæ, & confusiones earum & ordines, potentias quoq; magnas tam in natura sua, quam in oppressione, & qua ratione iis uti & non uti debeamus. Utq; ex parte compertum habeas, quanta audacia homines circa vanitates suas & incertas impossibilesq; pervestigationes occupentur. Non utiq; condemno desiderium scientiarum sublimium in homine, sed potius summopere amo & laudo, utpote tale, quod ferè solum nos à bestiis distinguat, cum anima nostra rationalis atq; divina sit

cona-

conamen: vanitatem excessus tantum improbo & rationabiliter sperno, audaciamq; imaginationis & phantasiæ, ratione & intellectu destitutam irrideo; pro certo concludens, omnia circa impossibilia sese volventia, esse penitus fatua, tanquam ea quæ finem aliquem certum adipisci nunquam possint. Nam sine fundamento stabili ratiocinantibus accidit sicut ijs, qui in labyrintho versantur, & pejus: Hi enim artificio & sedulitate tandem emergere: illi verò augmentis errorum magis magisq; & in perpetuum involvuntur. Melior sane atq; utilior est ocularium inventio, quæ in generalibus nobis multa pulcra patefecit, unde plures antiquorum errores corrigere possumus, ut autem specialia nobis innotescant totaliter, est impossibile propter nimiam distantiam, quam nulla radiorum concentratio, quamvis ad summum deducta, superare potest. Quod si autem observationes, istius artificij beneficio nobis comparatas, cum iis, quæ ab effectibus cælestium naturalibus, & ex traditionibus sacris obtigerunt, conjungamus, certitudo quædam nobis inde generatur. His enim omnibus rite contemplatis concludimus præcipuè de corpore solari (cætera ut obscuriora non tangi-

gimus) quod sit substantia quadam purissima, per maximam lucis creata congregationem informata, solida tamen neq; diaphana, sed & de opacitate & tenebris aliqualiter participans, quod ipse sensus per instrumentum dictum nobis patefacit, observando in eo quasdam partes obscuriores: vita insuper quadam vegetabili, qua motum & lumen nunquam deserit, (excepto igneum violentum) sustentata, ita ut neq; à proprio igne neq; ab alijs natura agentibus, sed à solo Natura Domino pro voluntate sua destrui possit. Pradictorum enim beneficio fulget, lucet, illuminat, calefacit, vivificat, accendit etiam atq; comburit pro dispositione subjectorum, in qua actionem suam extendit. Propter densitatem sui corporis & congregationem lucis visibiliter splendet, quod in natura rara vel diaphana minimè fieret; Illuminat autem beneficio radiorum & luminis sui quod emittit & circumfundit. Sic enim sui ipsius imaginē de se spirat, sicut & omnia visibilia species suas, qua species in lumine per aërem seu firmamētum diaphanum deportātur invisibiliter, quousq; corpus quoddam opacum & nitidum offendant, à quo reflecti possint. Eadē planè ratione imaginē suam undi-

undiquaq; effusam omnibus corporibus circumstantibus sol communicat, à quibus etiam suscipitur tanquam in speculo, atq; sic etiam rursus reflectitur. Solaris enim lucidissima imago in nitidis nimium splendet, in obscurioribus autem propter superabundantiam suæ lucıditatis ad justam visionis proportionem dirigitur. Et quatenus est subtilissima species, & multo subtilior, quam corporea aliqua imago, eatenus per omnia diaphana, licet solidissima, cum maxima virtute penetrat: neq; etiam per suæ formæ impositionem formas opacorum corporum supprimit, sicut facit nostra Imago speculum occupando, sed tantum illuminat eas, & potius adjuvat atq; exaltat, formam suam propriam, tanquam origine cognatam & affinem, cum ipsis commiscens & per reflexionem unitam corporeis istis formis totum firmamentum diaphanum decorat atq; depingit: quod si visibilibus spectaculis (sicuti certissima ratione) aliquis cernere & discernere posset, mirabilem sanè pulcritudinem atq; varietatem offenderet, si modò possibile esset, ex varijs distantijs atq; positionibus hac omnia considerare. Aliter enim globus terrenus in vicinia appareret, aliter in distantia remotiore, in qua imagines

gines reflexæ aliqualiter confusæ conspicerentur, in distantia autem remotissima, forte non aliter nisi quidam ex cæteris globis cælestibus lumine quodam reflexo æquali, suo tamen colore, pro corporis opacitate præditus. Tunc enim non amplius tam imago ejus propria discerneretur, quam Solis Imago reflexa, quæ aliud nihil est, quam lucida forma leniter splendens, cum in corpore suo maximo vigore luceat. Vt autem jam dicta clarius appareant, confirmemus ea paulo specialius per sequentia, considerando actum illuminationis & ejus effectus. Hic quidem dependet partim ex luce ipsa corporis lucentis, & lumine circumfuso, a luce emanante, præcipuè ex sole, qui non solum radiis suis illuminat totum mundum; sed etiam luce circumfusa, qua licet debilius illuminat, attamen illuminat, etiam tunc, cum radij solares impediuntur, ut objecta nudè tangere non possint. Huic autem pro medio inservit raritas firmamenti & ejus distantia, vel firmamentũ diaphanum, seu verus Aër perpetuus & immutabilis in suo esse vel substantia ratione naturæ, omnibus tamen luminibus atq; formis hujus generis, loco habitaculi vel domicilii inserviens, unde fit maximè varius atq; mutabi-

De illuminationeque eiusque effectibus

lis, sed tantum ratione suarum vestium, quibus mirabiliter ornatur. Quo autem firmamentum magis est serenum, & á vaporibus liberum, eò aptius est ad munus istud exequendum. Lumen illuminans à suo fonte purum egreditur & immaculatū, atq; simplici & propria tantum forma indutū: Postquam autem objecta solida attigerit, evadit varium, & omnibus formis visibilibus induitur, dum reflectitur. Sol oriens diffundit lumen suum purum per distantiam firmamenti aerei diaphani eousq;, quo globum nostrum terrenum attingat, cujus soliditate & opacitate sistitur. Cum autem magna sit virtutis, non potest sisti in totum, ita ut non amplius agere possit, sed quoniam spirituale est quiddam & agile, tunc statim regreditur, non autem purum & solum, sed propter similitudinem in natura luminibus objectorum sociatum & tinctum: Ita tamen, ut ab objectis lumina sua non auferantur, sed ibi totaliter & integra permaneant, quod quidem videtur mirabile, obviū tamen per cognitionem luminum tàm illuminantis quam illuminati & eorum proprietatum. Sicut enim de natura lucis est, sese diffundere & egrediēdū, fortitudine & libertate gaudet, ita omne illud de hac natura participat, quod

est

est de natura & partibus lucis. Jam verò colores sunt luminalia vel lumina parva, sed captivata & suppressa per prædominium tenebrarum in eadem materia, possident tamen proportione sua proprietatem lucis, quæ, ut dictum, est egressio ex seipsa & sui diffusio ad certam usq; distantiã, secundum quod fuerit majoris vel minoris virtutis. Vt Sol Lux luminum per magnam mundi totius distantiam virtutem suam emittit, ast candela accensa non nisi per parvam distantiam splendet propter debilitatem naturæ lucidæ. Sic etiã colores & luminalia parva potestatem quidem habent lucendi, & actus suos vel virtutes ex seipsis emittendi, sed admodum debilem, ita ut auxilio lucis externæ illuminantis indigeant: aliàs enim naturam suam vel difficulter, vel imperfectè, vel minimè explicare possunt, attamen & ista luminalia differunt, secundum magis & minus, quædam enim vel nocte lucẽ quandam emittunt, quædam verò, non oppressa videlicet tenebris & opacitate, in corporibus solidis ipsis admixtis & prædominantibus. Quod equidem artifices possunt ad oculum demonstrare, dum lumina ista ex carcere liberant, atq; in corpore suo puro in actum deducunt: Vnde quidem patet quod omnibus

corporibus visibilibus lumina ejusmodi sint admixta, sine quibus nullo modo viderentur. Quod autem naturam lucis supradictam possideant, alio patet artificio. Tabulis enim in loco obscuro positis, objecta extra conclave existentia Luminalia sua sub coloribus latentia lumini illuminanti concredunt, mediante reflexione, & per vitrum ad id aptum trajiciunt unâ cum lumine, quod tum in tabulis albis ad justam distantiam oppositis per opacitatem tabularum formas sibi inhaerentes manifestat. Hoc autem minime accidit in corpore transparente vel raro. Similiter à lumine nimium illuminante fit impedimentum, hoc enim sua claritate formas istas supprimit, sicut Solis claritas sydernum lucem de die. E contra autem ubi objecta non satis fuerint illuminata, tunc luminalia sua non possunt emittere pro sufficientia reflexionis, hoc patet ex supradictis. In hoc enim artificio non reflectitur vel repraesentatur tua figura, qui intus conclave obscuratum existis, sed tantum illae, quae extra conclave illuminantur & emanant, non autem videntur, nisi à corpore nitido & resplendenti reflectantur, dum autem per vitrum diaphanum penetrant in conclave obscurius una

cum

cum suo duce, tunc etiam à corpore non nitido sed simplici albedine tincto visibiliter recipiuntur. Ex dictis igitur puto jam satis patere, omnia visibilia esse lumina, & non videri nisi juxta naturam luminis, scilicet per emissionem & reflexionem ab opaco: ubi quidem obiter notandum, quod opacitas & tenebræ licet impediant lucem, si hæc ab illis supprimatur, ita ut debilis & invalida non tam in sua natura, (quæ constans est & immutabilis) sed in suis operationibus tantum reddatur: quod interim, inquam, maximè conferant ad apparentiam objectorum visibilium una cum soliditate & coarctatione materiæ corporeæ. Sine istis enim nec lumina emitterentur, nec reflecterentur, nec formæ ullæ apparerent visibili dispositione, & per consequens nulla foret visio. Hinc etiam patet ortus luminis temperati seu luminalium atq; colorum, ex quo temperamento oritur proportio, & ex proportione ordo mundanus, & pulcritudo differentiarum. Si enim omnia æqualiter splenderent, nulla daretur diversitas, quæ mundum decorat; Hac autem existente etiam in ista natura parte luminosa, necessario sequitur fortitudo & debilitas proportionata luminum emanantium,

& proinde etiam diversitas visionis & possibilitas vel impossibilitas. Luminalia enim licet à lumine illuminante fortiori fuerint adjuta atq; perfecta, nequaquam tamen species suas vel virtutes lucentes emittere possunt, nisi ad certam distantiã: quâ adepta deficiunt, quoniam corpora sunt composita ex diversis partibus plus vel minus ex natura sua de luce possidentibus juxta colorum ordinem & puritatem: hinc sequitur necessario, quod deficientibus aliquibus luminalibus in figura reflexa, oriatur confusio, licet enim reliqua, utpote validiores, ulterius provehantur, figura tamen truncatur, & postea penitus deficit. Nulla res mundi plus agere vel dare potest, quam ipsi à creatore Mundi & omnium rerum dispositore fuerit datum atq; concessum. Objecta ergò majora majorem visibilitatem emittunt, & magis composita, variam: Et in compositis talis est visibililitas, qualis natura partium: & particulares visibilitates non extenduntur nisi pro natura partium: & particulares differentiæ tandem in confusam unius globi formam perducuntur, & ista sic videri potest ad talem distantiam, qualem vel ex seipsa lucem potest emittere, vel cum auxilio alterius cujusdã illu-

mi-

minantis. Hinc etiam concludimus vanitatem & mendacium illorum, qui circa astra per instrumenta illa specularia particularia conjecturando concludunt, cum in re non possit videri, quod in illa non potest apparere. Distantia globi nostri à reliquis impedit visionem particularem formarum in illis existentium: ista enim ob imbecillitatem propriam ad tantam distantiam neq; egredi, neq; per artem ullam extrahi possunt. Quâ ergò ratione viderentur? Quacunq; igitur beneficio instrumentorum detegimus, extra distantiam naturæ visibili convenientem, generalia sunt, & per consequens deficientia, & hinc confusa, & inde incerta. Et quoniam solis particularia nobis absconduntur, quantò magis cæterarum stellarum? Ordo jam requireret, ut alia quædam, tum ad naturam lucis illuminantis spectantia, tum etiã ad vitales ejus operationes detegendas proferremus Verum cum in priori parte de iis jam tractatum sit, & fortè sub finem istius ad huc tractabitur, concludamus hoc capitulum: Quod, hæc omnia visibilia cum sint, illud tum ex opacitate, tum ex lumine habeant: quod verò mobilia & calida, ex lucis effectu scilicet calore & motu prole vitæ. Hunc calorẽ cum per sensum

tactus insuper ex radiis solis tam certissimè experiamur, in actu utiq; in ipso Sole existere concludimus, & simile à simili procedere, id est à calido sole. Quis unquam vidit vitam ex morte, calorem ex frigore, purum ex impuro, Sapientiam ex stultitia generari? Concludo igitur, rationem illorum in cerebro fuisse congelatam in glaciem, qui Solem frigidum statuerunt, dicens eum Guilielmo de conchis: Qui hanc sententiam, imò dementiam tenere voluerit, si potest, sigat.

Ego interim ad altiora me converto, & ex Salvatoris nostri illuminatione diviniore vultum Patris sui conspicientis, opera istius Solis mundani considero; Sicut enim tunc Christi facies (imo & ipsius vestes) maximâ claritate conspicua fulgebat ut Sol, ex receptione luminis etiam per se sensibiter invisibilis in corporea Christi substantia: Discipuli verò tantum in umbra & sub nube non per radios ipsos, sed per lucem circumfusam, & reflexionem istius, á corpore Christi, non solum illuminabantur, sed insuper & maxima quiete ac beatitudinis summa sensu afficiebantur: Sic etiam solares radij mundani, Lumine calore & vita sua cuncta objecta pro istius temporis, loci & corporum conditione

fa-

fovent atq; pro posse suo conservant: Vnde etiam Sole, tempore verno, adventante omnia jubilant, & sensum quendam beatitudinis temporaneæ percipiunt, sicut rursus ipso abeunte omnia languent atq; moriuntur. Ex utroq; autem typo beatitudinis futuræ & imminentis gaudio jam rationabiliter fruor. Nonne enim eadem nobis promittuntur, quæ Christo acciderunt? Audiamus Esaiam c. 60. v. 19. Non erit tibi amplius sol in lucem per diem, & splendor Lunæ non illuminabit te, sed erit tibi Jehova in lucem seculi, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, & luna tua non deficiet, quia Jehova erit tibi in Lucem sempiternam, & completi erunt dies luctus tui. Populus quoq; tuus, omnes justi in seculum hæreditate accipient terram, eritq; surculus plantarum mearum, opus manuum mearum ad glorificandum. Dum parvus erit in chiliadem, & exiguus in gentem fortem, ego Jehovah in tempore suo accelerare faciam illud. Tunc utiq; conspiciemus faciem ejus sicuti est, quam nunc sub ænigmate tantum auguramur, istius solis præsentis levioris quidem & nihili in comparatione illius, qui tamen existit fax mundi & splendor firmamenti.

Cap. III.
De Globo Terræ.

HOc nostrum domicilium & habitaculum à summo Deo in Dominium, disquisitionem, & utilitatem nobis benigniter concessum, in præcedenti capite elevatis rationis oculis quasi ex longinquo conspeximus. Congruum ergo esset, hoc corpus ab externâ suâ specie usq; ad internam pervestigare, eadem ratione, sicut de animalibus ejus incolis factum. Et hoc modo sese primo offerrent evaporationes ejus, quas spirat in firmamentũ seu aërẽ mundanum, eadem planè ratione, sicut solare corpus suam lucem in eundẽ emittit. Sed quoniã institutum nostrum divinum hunc ordinẽ hic observare non permittit, ideo sensus judicia hoc loco relinquimus, Deum sequẽtes, quousq; hujus ordo nos ad prædictorum contemplationem alliciat. O quam excellens est, Deum ducẽ venerari! quá enim ratione nos spiramina ista & eorum naturas verè cognoscere possemꝰ, antequam terreni globi natura, unde illa prodeunt, nobis aperiatur? His igitur omissis ad tempus, globũ ipsum consideremus, & primo quidẽ in ejus ornamẽtis exterioribus, scilicet arboribus & vegetabilibus, quæ quidẽ consideratio sine mora perficie-

ietur, siquidem ferè ex iisdē fiunt, atq; intere-
unt, ex quib⁹ animalia. In materiis quippe ele-
mētalibus, sub capite animalium allegatis, to-
taliter conveniunt: quod quidē vel inde patet
certissimè, dum animalia ex vegetabilib⁹, &
vegetabilia ex animaliū reliquiis fieri videm⁹:
hoc sane fieri nō posset in natura elementorum
differenti. In forma differunt necessariò, ra-
tione mensuræ, proportionis quāntitativæ, &
similiter in qualitativis dispositionibus; & per
cōsequens differunt in figuris externis, tam se-
minum, ex quibus fiunt, quā materiæ seu indi-
vidui inde producti. Sublatis enim differētiis
formarum tolleretur & ipsa distinctio vege-
tabilium ab animalib⁹, quā sola formarum di-
versitas in eadē materia potest producere. For-
ma tamē seminum vegetabilium animalē imi-
tatur, non omnem, sed illorum, quæ semina sua
corticib⁹ includunt i.e. oviparorū. Eadē quip-
pe ratione nucleos suos conservat natura ter-
rena sub putaminib⁹. In eo autem, quod nuclei
solidioris sunt substātiæ, quā humiditates in o-
vis contentæ, rursus differunt, non tamē nimis,
cum nucleorum succ⁹ similiter sit liquid⁹, an-
tequā induretur. Hinc autem maximæ illi⁹ sa-
pientiæ ordo pulcherrimus observatur, qui o-
mnia per gradus subtilissimos deducēdo diversi-
tatem i-

istam pulchritudinis regulavit. Notandum autem, quod forma interna vel seminalis in vegetabilibus non existat mixtione composita, sicut in animalibus, ubi ex duorum coitu semper miscetur atque esse suum recipit compositum, postquam in quolibet illorum, tam mare quàm fœmina, simpliciter erat formatum. Vnde etiam accidit, quod tanta varietas observetur in generationibus plantarum sed ferè semper eadem & perfecta similitudo in parentibus & filiis: Quòdsi autem forma non tàm diversitas quàm copia aliquando multiplicetur, illud potius accidit ex bonitate loci, & superfluitate nutrimenti, vel naturaliter sic dispositi, vel per artem habilitati. Hoc Dominus noster benè nobis demonstrat in parabola sua de semine Divino, quod receptum in agro bono quantitatem suæ formæ valde multiplicet, identitatem interim speciei suæ non immutando. Forma vegetabilium etiam ab animalibus differt in eo, quòd seminalis illa figura dum evoluitur, nequaquam in centro aliquo subsistens resideat, sed per totum corpus arborum sese extendat & dissipet, sicuti manifestè patet ex insertione surculorum: Vbi non tantum partes diversarum arborum sese recipiunt, atque

unum

unum corpus coalescunt, sed etiam quod multo magis est mirandum, fructus non trunci sed surculi refert formam; quod sanè signum est certissimum suæ causæ, nempe virtutis seminalis integræ per totum corpus arboris extensæ: Nam fructus productus non tantum partem quandam formatam suæ speciei ostendit, sed totam formam. In animalibus sanè hæc non conspiciuntur. Scribunt quidem aliqui vel nimis creduli vel irrisores simplicitatis, nasos abscissos ex carne alterius homininis sic posse aliqualiter restitui, & caro nova aliunde inseri in modum surculi. Credat quis velit: Mihi nulla possibilitatis ratio in hisce apparet. Dum enim considero substantiam nasi, quæ ferè tota est os & cartilago, cute simplici tecta, non video, qua ratione diversissima substantia carnis ossi possit accrescere vel applicari: Cartilago enim summitatem nasi constituens, non multum degenerat à substantia ossium, & tanquam mollior pars materiæ proximæ ossium, ex ipso osse sese protendit. Verum ad nostra.

Causa efficiens seu virtus formativa in istis, tam ea, quæ leniora & eorum formas excudit, quàm illa, quæ postea semina corrumpit, & formam antea fabricatam ad novum

esse

esse sensibile educit, est vita seu anima terræ. Vita inquam ejus vegetabilis, quæ in ista quidem vegetabilium specie est totum & omne quod agit. Licet enim semina jam à suis fructibus seu plantis separata, vitalẽ illum spiritum habeant inclusa, quasi propriam quandã vitam vel animam traductam: nequaquã tamen, spiritus iste seu potius vita istius spiritus ab anima sphæræ seu globi terreni, nisi in quãtum jam sibi habet adjunctas formas specificas, à vita generali acceptas, existens specificata & ligata in isto carcere, in quo etiam totius otiosus jacet & dormiens, quia seipsum excitare non potest, donec in locum suum seu matricem, quæ terra vivens existit, iterum projiciatur, & per corruptionem vinculorum suorum liber factus, nova nutritione in novum germen excrescat. Illud etiam hic paulo diligentius monendum censui, quod supra in capite de animalibus extremis tantum labris delibavi, quodq́ tam ad cognitionem formæ quam causæ operatricis spectat, diversitatem partium unius ejusdẽq́ plantæ vel animalis, tam ex pulchritudine, quã ex varia dispositione creatâ totius formæ substantialis, dependere. Unde etiam ea principia elementalia, quæ diversa existunt, juxta partium diversarum

rum dispositiones in uno subjecto sunt differentes. Qui vitem examinabit, inveniet quod dico: alia enim principia sunt in acinis, alia in uva, in corticibus uvarum, in ligno, in radicibus, in tartaro &c. Et quibusvis est virtus sua specifica operativa. Nonne ignis multum diversus est in spiritu vini, & in ejus ligno vel sarmentis? Elementa ergo ista specifica sive principia differunt, prout à natura formatrice per formarum diversarum fabricas fuerint diversificata. Nutrimenta Vegetabilium sic se habent, ut sicut vegetabilia animalibus cibi loco inserviunt, ita rursus excrementa animalium vegetabilibus nutritionem largiuntur. Similiter sicuti animalia de animalibus vivunt, ita etiam plantæ de plantis vel plantarum reliquiis. Multa enim nascentia ex terra egressa iterum in terram revertuntur, & in terram convertũtur, ex qua terra nova progenies vegetabilis resurgit, atq; inde nutritur. Nam sicuti stomachus cibum coquendo putrefacit, & formam antiquam corrumpit, partibusq; cæteris nutrimentum distribuit, à quibus pro diversitate & potentia illarum, iterum in novas diversasq; animalis partes & formas mutãtur; ita & stomachus terræ seu calor vivificus vegeta-

bilis

bilis plantas illas & excrementa, quæ animalia digerere non possunt, imò & ipsorum animalium cadavera coquendo resolvit, ac plantis suis applicat, ita ut id, quod prima vice animalium in usum non convertebatur, subsequentibus temporibus inservire possit; ita tamen, ut semper aliquid simile pro fermento relinquat in excrementis. Similiter & vegetabilia rursus terræ concredita, sive per casum naturalem, sive per artis administrationem, ac in terra iterum per tempus putrefacta, iterum in terram convertuntur, & quidem multò generosiorem & fœcundiorem. Ex terra frumentum nascitur, habens stipulam, & fructus seu grana multa: Si tunc artificialiter stipulæ in terram reponuntur, & substantiam fimo similem primò, mox autem terræ ipsius formam suscipiunt, tunc grana reservata in eadem terra stipularum suarum denuo seminata, in quantitate sua super abundanti prodeunt, quod expertis agricolis constat. Licet autem terra nutrimenta sibi multa præparet ex dictis materiis, insuper tamen non nihil etiam sibi acquirit ex aëre. Observandum est autem quod licet ex aëre cibum vegetabilibus prodire dicamus, nequaquam tamen approbamus sententiam

mi-

modernorum nuper confictam, & multis verbis omni experientiæ sensibili & rationi contrariis prolatam, quæ tradit spiritum mundi quasi ex circumferentia cælestium descendentem sese corporificare atq; in aëre in salsam substantiam condensatum, exhibere vegetabilibus augmentum suæ molis ingentis. Quantum doctores isti distant à cognitione superioris & inferioris? Nam primò quidem hoc esse falsissimum testatur experientia, quod nempe maxima pars & fortè omne illud corporum, quod ex aëre attrahimus, ex terra nostra per evaporationem prius ascenderit. Deinde illud vel ipso sensu observare possumus, quod cælum nobis corporalia non influat, sed tantummodo suo lumine atq; calore vitali, lumen nostrum atq; calorem terrenum excitando adjuvet atq; confortet, sicuti ex sequentibus latius patebit. Neq; etiam ratio admittit transmutationem istam & turbationem ordinis sapientissimi creatoris atq; naturæ, quæ fundamenta machinæ mundanæ confringit: dum spiritualia in corporea convertere nititur: distinguendum enim est inter compositionem & mixturam rursus separabilem, & transmutationem substantialem. Insuper & ipsi oculi nos certiores red-

dunt, corpora animalium potius tanquam porosa & minus solida per vapores aereos mediante respiratione & attractione vitali non tam nutriri quàm foveri vitaliter, non corporaliter, siquidem nullum animal, exceptis insectis quibusdam aliqualiter, ex aëris cibo sese nutrire percipiatur: Imò eundem, quem attraxerunt, vaporem eâdem vi atq; virtute expulsiva iterum foras ejiciunt, adeò ut nullum ipsis nutrimentum inde accedere possit, sed potius per sua organa huius operi à natura præparata. Non enim hoc in loco cum Pantagruele vobis est negotium, qui peregrinando tales insulares offendit, qui circa molendina ventilantia confinia agebant. Et quoniam tale nutrimentum corporibus animalium apertis & non compactis viventibus etiam spirando, & respirando, ac attractiva potentia præ vegetabilibus præditis haud competit: quantò minus plantis quæ hisce ferè omnibus vel teste sensu destituuntur. Licet enim odor à quibusdã spiratus aliquid tale in vegetabilibus judicare videatur, accuratè tamen consideranti facilè patet, hoc genus spiraminis non esse verum illud, quod spirat & attrahit sed potius evaporatio substantiæ subtilioris & debilitas virtutis reten-

tricis

ricis, quod totalitèr contrarium est vigori ttractivo, qui in plantarum non corpore sed adice sedem suam sibi vindicavit. Quod iquis rores cœlestes & pluvias similiaq; meeora objecerit, huic respondeo, quod experimentetur substantias & partes istorum utrimentorum, & facile reperiet, quàm paum de substantia solidiore in magno isto hlegmatico gigante contineatur: quare non st quærendum in re, quod in illa non existit. Tam corpus aqueum, quod præcipuam partē hisce occupat, non propriè ex aëre, sed ex quâ prodit, licèt in aëris locum à natura evetur, quo melius & commodius terrena perficies & irrigari & humectari possit: uo facto nullatenus per poros arborum, sed r propria ora radicum in nutrimentum atahitur, licet etiam ab extra plantas huectet & recreet: Per canales tamen radiim ac venas, naturali motu ascendit in lantam. Virtus autem roris majalis, siilsumq; liquorum sive naturaliter descendat ue per artem applicetur, nullatenus, quanim ex se est, molem augmentare valet, licet lorem vitalem & virtutes spirituales mulplicationi & incremento valdè conveientes ex solis novi præsentia hauriens,

 mali

moli nutrimentorum communicet, sicuti & plantis, quò melius similia similibus jungi atq; nutriri possint. Archaus interim terrenus hæc omnia dirigit atq; dispensat, vel propagando eandem speciem sub sua forma, vel etiam pro dispositione locorum & aptitudine terrarum istas formas inmutando, ita ut aliquando à sua perfectione decrescant, quod in frumentorum genere satis est notum, sicuti & ex transplantatione vegetabilium translatorum ex diversis terreni globi partibus in alia loca diversa. Nam sicuti facultas animalium vegetativa, ex eadem nutrimenti materia, quam à sua antiqua forma externa & interna immutat, corrumpendo in diversis membris diversas efficit mixtiones formasq; nullo modo similes: sic Archæus terræ in diversis sui corporis partibus atq; individuis, ex quocunq; tandem loco universi nutrimenta à centris individuorum attrahantur. Illud etiam observandum, quod vis erigens arbores in altum non consistat in magnete cœlestium, sicut quidam naturæ rerum ignari sibi imaginantur: Nam præcipua elevationis istius operatio per motum terræ vitalem excitatur, sublevando fixas partes per majorem volatilium summam, sub lege tamen v[...]

reg[...]

regula cujusq́ speciei. Tota enim substantia elementorum arborem constituentium primo à natura permiscetur, vel etiam in ipso actu tum generationis tum nutritionis, ita ut elementa, elementa contineant: Diversæ namq́ partes simul ascendunt, levia & gravia, humida & sicca, liquida, dura, calida, frigida, quæ omnia vis activa sapientiâ, divinitus sibi concessa & donatâ, subtilissimè temperat, ut omnia sua proportione firmata, ex terræ visceribus protrudantur. Constat autem ex notione partium elementalium, quæ per artem acquiri potest, quod magna pars virtutis promoventis istum ascensum in ipsa subjectarum materiarum habili dispositione fundata sit. Considera cervum, quis lignum istud mirabile ex capite ejus extrahit? Quale astrum in cœlo hoc opus perficit? Fortè mercurius? Si hoc dixeris: benè quidem; Sed vide, ut intelligas quid dicas. Adjuvantia enim hujus facultatis multa existunt, ex quibus præcipua sine dubio sunt, cœlum, Sol, luna, cæterorumq́ astrorum influentiæ, non autem principale agens. Causæ finales tandem vegetabilium præcipuè sunt, ut inserviant animalibus ad cibum, ad medicamina, hominibus autem ultra prædicta

ad ignem flamma, unâ cum iis usibus, qui ad opificia tam necessitatis quam artis requiruntur. His accedit, ut gloriam summi creatoris pulchritudine sua variegata creaturis cognoscentibus patefaciant atq; decantent, quæ simul etiam jucunditatem excitant amatoribus Hortorum & pulchritudinis faciei magnæ matris.

Vegetabile regnum sequitur Minerale, hoc est, earum partium terræ, quæ in ejus ventre generantur. Hoc à quibusdam generaliter dividitur, in mineralia Majora, Media & Minora, & quidem aptissimè. Mixta autem corpora ex omnibus prædictis vocantur mineræ, quia de omnibus istis aut saltem de pluribus aliquid possident. Ast mixtura ista, quæ minera vocatur, non est individualis, nec specifica, sed plurium individuorum in unam compagem compositio. Mineræ tamen vocabulū est æquivocum: quia non solum prædictæ mixturæ applicatur, sed etiam integri meatus terræ, in quibus mineralia inveniuntur, hoc nomine gaudent, ita ut locus & locatum sub uno nomine confundantur. Meatus isti per analogiam etiam quandoq; vocantur à sapientibus itinera humi, cum fossores per ea peregrinentur, sicuti navigantes,

tes per tractus aquarum. Vocantur etiam venæ terræ, eò quod quasi venæ in corpore humano sanguinem, sic ista & aquas salsas, & omnia mineralia in se concepta, & progenerata, conservent.

Ex omnibus istis mineralibus ea, quæ proximum locum à vegetabilibus sibi vindicant, & investiganti suo ordine sese offerunt, sunt lapides. Hi enim non tantum in ventre terræ reperiuntur, sed etiam magnam terreni vultus partem occuparunt, quod maxima & minima testantur, id est saxa ingentia & arenæ, ex quorum medio ipsa vegetabilia sæpe crescunt atq; protuberant. Est & alia ratio, quæ ipsis hanc prærogativam tribuit, forma scilicet determinata, quâ in genere mineralium cæteris præcellunt, licet & metalla & salia eâ totaliter non destituantur. Non tamen hic loquimur de iis corporibus lapideis & mineralibus, quæ natura sæpè ad miraculum, non autem juxta ordinarium cursum fingit, ita ut ipsis non tantum animales & vegetabiles figuras imprimat, sed etiam integras historias & figmenta; unde monstra sapientiæ vocari merentur. Talis fuit Achates Pyrrhi mirabilis sane si vera dicit Plinius, qui

Apollinem cum Musis à natura depictum repræsentavit. Quanquam autem Plinij auctoritas in ejusmodi rebus non nihil suspecta sit, non desunt tamen & aliorum virorum doctorum testimonia, qui similia se habuisse & vidisse confirmant. Ex quibus Baccij Commentator de natura gemmarum citat Camillum Leonhardum Cisaurinum & Cardanum, quorum ille se refert vidisse Achatem cum septem arboribus in una planicie depictis, rem pulcherrimam & visui gratam. Cardanus autem testatur, se habuisse tres achates unum cum capite Galbæ, alterum cum multis oculis albis, tertium cum effigie ignis ardentis & fumi coerulei, inde aeris circum ambientis lividi, quem quasi cœlum rubrum circumdat, ut vespera, cum sol serenus occidit.

Talis utiq; figura non lapidis sed penè totius mundi corporei imago censenda, in qua & ignis terrenus flammans, & vapor aquæ fumosus, & aër cœlestis, & lux æthereа vel certe à sole reflexa apparuerunt. Sed ultra prædictos scribit etiam Rolandus vir doctus, se ipsum vidisse apud Principem quendam gemmam alterius speciei, in qua maculis discurrentibus apparuit rusticus & integrum ara-

trum

trum: Similiter se ipsum reperisse ad Albim propè ostium Tangræ silicem, in quo apparuerint vestigia lupi vel leonis tam distinctè sculpta à natura, ac si gemmarius id data opera fecisset: Vnde etiam concludit, quod credibilia sint ea, quæ Plinius scribit de impressionibus gemmæ supradictæ. Tales autem formæ extraordinariæ lapidibus naturaliter non competunt, neq; etiam ex certa regula procedunt, quæ omnia individua alicujus speciei iisdem signis solet ornare. Et tales quidem species lapidum reperiuntur, in quibus omnia individua sibi correspondent, ex quibus sunt stellares sive astroites mas, plenus pulcherrimis & distinctissimis stellulis, & fœmina eruis vermibus similis: Similiter & oculus beli species achatis, qui perfectè imitatur formam oculi. Ex quibus formis regularibus sanè, lapides isti magis accedunt ad naturam eorum corporum, quæ formas mensuratas possident, non autem per oppositionem simplicem & casualem conglomeratas; Quibus proximè succedunt lapides angulares certi numeri ut Crystallus &c. Sunt & aliæ adhuc causæ istius prarogativæ, ex quibus non minima est ea, quod non tantum in terra locum suæ generationis habeant,

emuis

a/

P 5 *sed*

ſed in omnibus tribus regnis reperiuntur: tam enim in animalibus & vegetabilibus creſcunt lapides, quàm in mineris terræ, aliquando per accidens, in quibusdam etiam per ordinem naturæ. Nobis autem de lapidibus mineralibus tantum ſermo exiſtit, quare ad inveſtigationem cauſarum more noſtro accedamus.

Incipientes igitur ab ipſa figura externa ſenſibili tam menſurata, de qua mox dictum eſt, quam de ordinaria illa, quæ lapidibus pluribus convenit, ſcilicet rotunda vel ovata, vel cavata, vel angulis certis vel incertis diſtincta, inde quidem pro certo concludimus juxta regulam noſtram communem, quod illud genus, quod figura certa inſignitum eſt, ex forma ſubſtantiali interna illud poßideat, quæ ſola lex omnium rerum regularium exiſtit: è contra autem cæterorum lapidum irregularium formas externas per accidens, utpote à loco vel matrice &c. ortum ducere, licet ab ipſis forma ſua interna eſſe poßit, etiamſi actum ſuum ad extra tam validè non oſtendat. Illud autem eſt obſervandum, quod licet quædam lapidum ſpecies ex determinatâ forma quoad partem dependeant, nihilominus tamen præcipua

omni-

omnium lapidum formæ proprietas ad homogeneam vergit naturam, non ad organicam, adeo ut merito post vegetabilia, & inter mineralia mixta constituantur: quod quidem ex observatione graduum, quos Deus in creatione, & natura in ejus imitatione disponunt, procedit. Quamvis autem sit indubitabile, formam internam lapidibus & cæteris mineralibus non deesse, difficilius tamen nobis innotescit istarum formarum ortus & locus, quam in vegetabilibus & animalibus, ubi sub sensibili cognitione eas in seminibus suis auguramur. Mineralia enim, (propriè loquendo) ex semine non propagantur, etiamsi eorum proxima materia à Philosophis passim per analogiam seminibus comparetur. Qualiscunq; autem sit ista materia, ea utiquè erit illa, quæ seminis vicem in hoc genere corporum supplet, & sine dubio formam illam substantialem internam specificam in se continet, à causa sua efficiente sibi impressam, sicuti seminibus suæ species ex suis agentibus.

Quod autem materia proxima mineraliũ non sit semen, patet ex diversis seminalis materiæ proprietatibus, quæ in ista penitus deficiunt. Nam primo quidem materia

ista non progeneratur immediatè ex individuis suarum specierum, sicuti semina ex suis: Deinde etiam non præparatur in corporibus istis, sicut illa: Tertiò non includitur certis terminis propriis seu mensuris definitis sicut materiæ seminales: Quartò non videtur operari opus suum in omnibus ex centro sicut illæ, sed per accretionem seu appositionem simplicem ab extra, quæ est modus, quo augentur simpliciter mixta: Quintò etiam differt in specie, à materia seminali animalium, ideo quod non componatur ex mixtura seminis masculini & fœminini: In qua quidem proprietate animalia etiam superant vegetabilia. Attamen in hisce mirabilis ordo Di[illegible] meritò est considerandus, qui universum suum per gradus tam subtiliter decrescentes atq; sibi invicem connexos absolvit, ut vix percipi queat. Sicuti enim in vegetabilibus omnia sexus signa non tolluntur penitus, licèt in productione individuorum istius speciei, non fiat commixtio maris et fœminæ, sed quilibet sexus per se suum semen evolvat: Ita & ex supradictis jam patet, quod etiam in lapidibus imo & in mineralibus ipsis rudiores quædam differentiæ sexus conspiciuntur. Præter alia enim exempla recurrat lector ad

ea

ea, quæ dicta sunt de lapide stellari, cujus species duplex à gemmariis designatur: De differentia sexus in vegetabilibus non opus est ut dicam, siquidem omnia herbaria eam satis describunt. Eadem ratione antiqui stibium in sexum diviserunt, quod patet ex Plinio, qui genus ejus in marem & fœminam distinguit. Dixi autem rudiores esse has differentias; & verè: quia tantum à proprietatibus quibusdam externis corporis inorganici desumuntur, sicut & illæ, quæ de vegetabilibus traduntur. E contra sicuti in istis duobus regnis sexus differentia non penitus sublata est, sic in animali regno non adeò exactè observata in omnibus, ita ut etiam animalia sola sine coitu generantia reperiantur, cujus exemplum clarissimum habemus in ostreis, quæ conchis suis firmiter affixæ & inclusæ mirabili certè modo semen suum propagant. Reperiuntur enim in ipsa concha majore, plures aliæ conchæ minores, diversæ magnitudinis adnatæ, & per radices suas principaliori affixæ, quarum quælibet juxta proportionem ostream suam inclusam conservat, atque hac ratione sese semper multiplicant, emittentes semen suum, quod per conchæ poros paulatim penetrando tanquam res animata se-

ſeipſum evolvit. Et ſic multa iſtius ſpeciei individua quaſi in una civitate domibus ſuis connexis pacificè deguntquousq; tandem unâ vel altera emortuâ, etiam nutrimentum domicilio inhabitato eripiatur, & hoc ipſum ſic tanquā aridum & liquore vitali deſtitutum à cæterorum conſortio decidens, ſeparetur. Opportunè autem in hoc exemplum me cecidiſſe video, ſiquidem etiam in genere lapidum ejusmodi ſpecies reperitur, quæ propter ſimilitudinem externam, quam habet cum iſto animali, etiam oſtracites vocatur: Atq; trinam hujus ſpeciem, quarum unam teſtæ, alteram oſtreæ, tertiam achati eſſe ſimilem, perhibent. Vnde non ſolum dictum noſtrum de graduum univerſi ſubtiliſſima connexione, verum & illud de formis exemplaribus internis confirmamus. Quibus accedit & illud, quod ſupra in quarto requiſito materiæ ſeminalis tanquam defectuoſum in iſta ſpecie diximus, ſcilicet quod non ex centro ſed ex circumferentia componatur: cujus tamen correctionem addimus monendo, quod quædam ſpecies lapidum ſimili penè modo ac vegetabilia ex radice quadam ſcaturiant, quam ſententiam &

Pa-

Paracelsus de metallorum & mineralium genere publicavit. Crystallus enim Ametistes & alij habent radicem quandam, ex qua crescunt & augentur, quæ quidem radix licet proprie non habeat formam externam, omnino similem radicibus vegetabilium, habet tamen proprietates & naturam huic intentioni benè convenientem. Est enim massa quædam plurium elementorum vel principiorum in unum congregata, seu chaos quoddam, quod locum radicis vel materiæ seminalis optimè supplere potest; atq; in isto composito formam seminalem latere nullum est dubium, siquidem per ipsius fœtum evolutum; Crystallum scilicet, hoc demonstratur. Hi enim semper producuntur sub figura sex angulari, terminati in apicem, & quidem plures ex una radice, adeò ut herbas quasdam & folia earum imitentur. Et licet quidam viri docti præcipuè mathematici causas quasdam externas talium formationum adducant; attamen cum pace ipsorum dixerim, quod sint speculativæ potius, quàm rerum naturæ convenientes, & quod tantum sibi acquirant possibilitatis cujusdam assensum, non autem probent factum ipsum. Et licet (evitandæ disputationis causa)

in

in quibusdam hoc eis concederetur, nequaquam tamen hæc ratio de omnibus recipi posset. Quis enim in stellaribus lapidibus atq; Jovetis aliisq; tam pulchrè depictis, concederet casuales ejusmodi figurationes ab extra? Cur alias nobis fingemus causas quam illas, quas natura in suis operibus tàm exactè demonstrat? Quatenus enim radix & herba Crystalli in omnibus suo modo assimilatur radici & herbæ vegetabili: Quatenus etiam ex radice sua ortum ducit sicut ista: non video, cur à modo productionis sit recedendum, siquidem nec à motu ipso centrali hoc in passu declinare possumus, ergo nec ab effectu istius motus? Nam veram causam admittentes, & effectum ejus alteri adscribentes, ineptimus & contra rationem Syllogyzamus. Imò sententia nostra etiam inde confirmatur, quod genera ista sibi invicem sint maxime contigua, & pro possibili se imitantia, cum non solum in animalibus ipsis & vegetatilibus lapides generentur; Sed etiam in ipsis terræ visceribus natura opus suum ad imaginem animalium & vegetabilium dirigat. Reperiuntur enim plures lapidum species, illorum generationem sat benè imitantes, dum scilicet quidam in pellicula sicut animalia in

secun-

secundina, alij vero in capsula quadam vel cortice, sicut pullus in ovo, progenerantur, ex quorum genere sunt calaminaris, æthites, rubinus &c. Et cur ejusmodi retinaculum ovum vel matrix appellari non possit, per similitudinem valde propinquam, & materia inclusa seminis vel embryonis nomine insi- gniri? Sic formantur calcedonij, quorum pellicula opaca existit, ipsi autem lapides in- clusi diaphani. Quanquam autem hæc ita se habeant in istis speciebus, prout diximus, nequaquam tamen ob id regula de mixtis ab xtra penitus tollitur, imò ex eo confirmatur, uod ipsa sit communior & toti ferè lapidum eneri conveniens, cum pauci tantum & obiliores sub altera contineantur. Nam cut in vegetabiliũ regno malè quis argue- i totum genus sentiens, ex consideratione liquot Zoophitorum: Ita nec totum istud ixtorum genus ex quibusdam simulachris egetabilium & animalium est dijudican- m. Qualicunq; autem modo lapidum ge- ratio fiat, sive ex materia quadam, semina- nateriæ maximè simili, sive ex dissimili, mper tamen necesse est, ut materia ista pro- qua vicem seminalis suppleat, & formam cificam suam internam secum portet.

Quod autem in aliquibus conveniant, in aliquibus verò differant cum cæteris regnis, id ex ordine universi dependet, in quo Deus sapientissimus & natura ejus famula nullum faciunt saltum, sed per gradus diversissimos à corporibus figuratis descendunt ad simplicia & prima principia omnium corporum, sicuti in prima parte istius tractatus, viam ex principiis primis prodeuntem jam peragravimus. Consequens igitur est rationi simul & sensui, quod ordo lapidum gradum suum inter mineralia reliqua, atq; eorum producendi modos, & elementa materialia & formas & proprietates constituat, ita tamen, ut cum superioribus, sua etiam ratione, connectantur. Concludimus igitur ex jam dictis, Materiam proximam lapidum, propriè seminalem non esse, & multo minus seminalem organicam, cum etiam ejus proles seu fructus non sit organicus; sed potius imitans naturam homogeneam, quæ in solis mineralibus dominium suum naturale exercet. Licet autem materia ista ad simplicitatem quandam elementari propinquam devergat nequaquam tamē veri est Philosophi, ad causas istas remotiores confugere, & saltum istum

ꝛ in sapientia Dei & Naturæ committere, potius materiarum propinquarũ investi- o ipsi convenit, quæ in hoc genere corpo- videtur esse difficilima, propter ma- m diversitatem specierum, & loca modosq́ꝫ erentes, in quibus generantur, adeò ut fe- npossibile sit, sub regula aliqua generali constituere. Distinguuntur quidem in mmunes & pretiosos, sed ista distinctio est dè generalis, siquidẽ & in istis circa præ- a magna occurrit diversitas: Ex qua qui- difficultas enarrata adhuc augetur. tinguuntur etiam perceptione sensuum ium, unde idem evenit. Hisce insuper ac- it, quod quidã augeantur, quidam verò nõ, ut producti fuerint semel, ita subsistant. q́ꝫ etiam in iis, qui augentur, nostræ cogni- ni facilis datur accessus, cum nutrimentũ um non cadat sub sensum nostrum, quod et- n fit in cæteris mineralibus. Hoc nam q́ꝫ per- tè cognito, cognosceremus & semen, cũ ista è invicẽ hic differre non videantur. Non e- n opꝰ est in corpore æquali & inorganico tot coctionibus & transmutationibꝰ, sicut in a- mali, ubi nutrimentũ in chylũ, hic in sangui- m, sanguis in semen, semen in fœtum trans- utatur, cum in isto genere, tam variegata

pulchritudo & dimensuratio atq; diversitas partium figuræ exterioris, & per consequens multò plura artificia naturalia, non observentur nec requirantur: Sed sufficit, ut natura sibi formet chaos suum ex elementis remotis, vel materialibus aliis jam compositis, atq; in illud formam substantialem specificam sibi cognitam includat, quo præparato, & lapidis materiam proximam & nutrimentum ejus, simul absoluta esse facilè patet. In iis enim lapidibus, qui augentur, pater & mater, ut ita dixerim, infantem pascunt ex propria substantia, & ab eodem non multum differunt. Cum autem ejusmodi chaos nobis non semper cadat sub sensum; Ideo etiam non facilè cadit sub examinationem vel rationalem vel practicam. Qui tamen tale quid instituere vellet, is facilius suum intentum assequeretur ex tali specie, quæ ex radice quadam protuberat, vel ex illis, quorum vincula non sunt nimis ligata. In ejusmodi enim primo entibus ligamenta semper sunt magis tenera, & proinde facilius dissolutiva & separativa, quam in corporibus induratis. Cujus confirmatio aliqua ratione desumi potest ex genere animalium, ubi omnia, quæ infantibus insunt, tenera existunt & molli-

cr

quam in viris ætate jam corroboratis:
autem, ut dictum, nutrimentum & se-
in hoc genere non differant, & chaos la-
um sit nutrimentum simul & semen, se-
ur, quod ejus cognitio nos quoq; ad cogni-
em totius materiæ illius speciei deducere
t. Cum verò sit difficile, nec in omni-
haberi possit, fiat tamen inquisitio in ijs,
otestati nostræ subjiciuntur, & ex isto-
cognitione reliquorum naturas non mul-
dissimiles dijudicemus. Fiat etiam re-
rio ipsorum lapidum, eorum scilicet, qui
lvi possunt, & major nobis inde accrescet
ntia. Quæramus tandem ingenium, ut &
dissolvamus, qui propter duritiem suam
cantur invincibiles, cum neq; ferro ce-
t nec igni, & tamen à veris Philosophis &
um indagatoribus haud difficulter supe-
tur. Hisce etiam addamus sensus exterio-
contemplationem circa corpora integra
dum, & rationale judicium ex pluribus
dictis regulis informatum, quo facto non
em nobis comparabimus cognitionem
sarum & naturarum.

Observamus ergo lapides inveniri opacos
scabrosos, & rursus lenes atq; diaphanos:
illis quidem terram pulverulentam magnā

mixturæ partem occupare conjicimus, cum ex illa prodeat omnis soliditas, inæqualitas & obscuritas, tanquam corpus illud elementare, quò natura noctis vel tenebrarum lucem fugientium sese receperunt: In diaphanis verò præcipuè prædominari substantiam liquiditatis, non tamen eo modo, ut plerique sibi persuadent, quod ex congelatione quadam aquæ phlegmaticæ à frigiditate causata lapides isti condensentur in crystallum. Hoc enim si foret, facilè etiam in igne liquescerent sicut glacies: aliæ igitur partes ibi requiruntur, utpote terræ pulverulentæ maximè subtilis parva quantitas, & maxima pars substantiæ salsæ, quæ in hisce sine dubio prædominatur: hæc enim est vinculum illud, quod phlegma & pulverem tam forti compage connectit, & pulvis illa duo in ventre suo abscondit cum fortissima retentione, unde fit ut lapides nullo modo in humore diffluere possint: Hisce autem accedit socius & auxiliator, ignis, qui fere in omnibus lapidibus reperitur, licet juxta gradus & proportiones, neque etiam se in omnibus visibiliter conspiciendum præbeat, dum in interioribus partibus aliquando conclusus, aliquando verò ad superficiem tractus, ni

Vid: Sendiv. Dialogum in tractatu de generatione lapidum —

connectit

ut pulcherrimè ſplendeat ſub ſuis coloribus. imò & viſibiliter ſe excuti patiatur. Hoc artificium divinum & humano generi tam utile, ex conſuetudine in negligentiam admirationis ſeceſſit, ſicuti omnibus excellentioribus inventis accidit, dum ſecreta patefacta vileſcunt. Quanta in veneratione haberetur homo talis, qui ſolus ignis excitandi peritiam poſſideret! cum nunc ſit opus mulierum & ludus puerorum. Conjicimus itaq; cauſas materiales elementorum in lapidibus: aſt iſta omnia nobis nō detegunt niſi materias remotas, cum forma ipſorum ſint communes & convenientes omnibus mixtis. Concludimus ergo ut ſupra, quod requiratur chaos quoddam à natura commixtum ex omnibus prædictis, cui jam impreſſa ſit forma ſpecifica cujuscunq; generis lapidum, ita ut neceſſario ex illa mixtura evadat lapis talis vel talis, & non aliud, cum elementa quamdiu ſub hoc chao informato continentur, ad aliud corpus componendum exiſtant inepta. Et revera hoc ipsum teſtatur experientia, in prædictis jam aliqualiter explicata, quæ tamen materia chaodica non ſub una forma ſeſe manifeſtat, ſicut ſemina in vegetabilibus & animalibus. In aliquibꝰ enim apparet ſub forma ſiccitatis,

utpote in iis Lapidibus, qui impuriores existunt & magis terrestres, atq; ex appositione ejusdem pulveris quasi conglobantur, unde etiam fiunt scabri & porosi, & quasi ex pluribus arenulis compositi, ut pumices tophi &c. aliomodo sese repræsentat sub forma gummosa & ad liquiditatem quandam vergente, sed cum impuritate terrestri permixta, magis tamen appropinquans lenitati & homogeneitati, sicuti lapidum crassiorum species communes; similiter & illorum, qui matricibus suis inclusi, ad modum nucleorum formantur. Sæpissimè autem apparet sub forma aquosa, decidente visibiliter in lapides congelatos; aliquando etiam vapori concredita in aëra evolat, ubi condensata in lapidem recidit in terram, sicuti de Ceraunis traditur. Pulcherrima autem conjectura proximioris materiæ, præcipuè gemmarum, inde trahitur, quod tales nunquam progenerantur in locis arenosis, aridis, siccis; sed in terris calidioribus, subtilioribus, mollibus, humidis, & ubi exhalationes aquarum seu fumorum metallicorum, præcipuè perfectorum, aut quæ de natura perfectorum participant, existunt frequentes. Hinc enim securè concluditur, naturam non semper recipere elementa

remo-

remota tantum pro generatione ista, sed insuper etiam materias jam præparatas, mixtas, depuratas & optimè compositas, quibus si addiderit formam substantialem præcipuam atq; prædominantem, prout diximus, atq; formationem necessariam, tunc utiq; etiam præparata erit materia seminalis seu proxima nobiliorum lapidum, ita ut cum omnia benè permixta, & quidem in minimis particulis, atq; in locis convenientibus consolidata fuerint, necessariò inde resultet substantia solida, dura, pura, diaphana, colorata, lucens, sub figura sua homogenea vel aliis pulcherrimis formulis & variegatis punctis & Zonis insignita, vel mollior quædam atq; apertior substantia odorifera vel saporosa, & quibuscunq; aliis differentiarum generibus sensibilibus decorata, ac variis insuper virtutibus mirabilibus referta, quæ in isto corporum genere ferè omnibus reliquis antecellunt. Ingentia autem saxa à materia aquosa nutrimentum sibi deferente augentur & crescunt. Marmora verò & Jaspides quasi ex integris lapidum mixturis constare videntur. Lapidum tandem vulgarium materia videtur esse pulvis terræ, pluvia sæpè inspersus salsa & ignea. Sal quippè

principales sibi partes vendicat in lapidibus, cum major pars substantiæ istorũ ex sale consistat, & insuper ut dictum est, causa sit firmioris coagulationis atq; mixturæ. Cui accedit & illud, quod plures hujus farinæ, imo ipsa lapidum farina in mari & circa littora, ubi prædicta substantia regnat, reperiantur. Concludimus itaq; totam considerationem de materia lapidum; quod sint fructus suæ materiæ propinquæ compositæ, & à forma sua in terra seminali informatæ: istam autem vaporum, & vapores elementorum & tandem totum & omne corporis & globi terreni, in quocunq; etiam loco vel modo ad esse suum producantur. Vt autem insuper aliquid dicamus de materia lapidum, per resolutionis artificium nobis compertum: Sciat lector, me vidisse apud quendam liquores certos, (non loquor de aceto & aquis fortibus) in quibus perlæ, corallia, oculi cancrorum, conchilia quævis, & multa genera lapidum, utpote lynceus, judaicus Ludus, subitò & radicaliter dissolvebantur: Perlæ quidem, corallia, oculi cancri ascendendo & descendendo jucundo spectaculo. Liquor margaritis sola viscera extrahebat formâ externa quasi intacta relicta, ita ut tanquam integræ, liquori super-

nat-

natarent, cum non essent nisi pellicula evacuata, quod per pressuram digitorum experiebamur. Duriores etiam lapides aggrediebantur, verum non subitaneo motu illos vincebãt sed in digestione parum post parum, de toto aliquid resolventes, ex quorum numero silices & granati. Separatis fæcibus terrestribus per filtrum & liquore per destillationem vel sublimationem, residebat in fundo substantia lapidis, differens pro natura suæ mixturæ: Ex iis, qui facilè solvebantur, substantia salsa, pulchra, subtilis, quæ facilè in spiritu vini dissolvebatur, tingens eum colore albicante, subcitrino, citrino, & ad rubedinem vergente ex corallis. Silicum autem residentia erat pulvis quidam rubicundus, & granatorum pinguis quadam materia ad oleosam vergens, quæ tamen etiam in spiritu vini liquescebat, in aëre autem difficilius, cum reliqua salia superius enarrata aërem subito attrahant. Causa istius differentiæ fuit, quod granatus plus de depinguedine terræ in se contineat, quam cæteri lapides, unde etiam quoad gustum ab ipsis differt: Illa quippe omnia sunt maximè amara, granatorum autẽ solutio aluminosa, unde patet, quod gemmæ mineralibus & metallis magis appropinquent.

quent. Oculi cancrorum etiam quandam pinguedinem in se continent, totaliter tamen differentem à pinguedine terrestri, aut oleo vegetabilium aliorumq; animalium, habet enim colorem rosarum, & tandem exsiccatur in pulverem, sicut & pinguedo granatorum. Ex ista practica observavi, omnia prædicta de lapidibus esse verissima. Tota enim ferè substantia lapidum sal existit (quod ex pondere cognosci potest) mixtum cum paucissimo pulvere terrestri, adeo ut miraculum prorsus divinum existat, substantiam solàm in aqua liquescentem à tantilli pulveris terrestris subtilissima admixtione ab omnibus elementorum injuriis tutam conservari, ita ut & in aqua & in igne, in vapore & terra salvi integri & quasi perennes maneant. Verum & illud est maximè mirandum, quòd cum in omnibus lapidibus ignis percipiatur, vel ex scintillis excussis, vel ex colore, aut aliis signis, nullum tamen in ipsis reperiatur oleum combustibile, sicut in vegetabilibus animalibus & quibusdam mineralibus, ut vitro, sulphure &c. Attamen ignis ibi latens etiam ex materia resoluta dijudicatur, non visu sed gustu; amaritudo enim salium vim igneam prodit, & insuper ipsius linguæ calefactio

factio enim testatur: Et quod magis est, dum materia ista post abstractionem liquoris dissolvitur in aqua, tunc vas infrigidatum adeò incalescit, ut quasi manum tangentis adurat: unde patet, omnia ista salia de natura calcis vivæ existere. Patet etiam, quod calor calcis vivæ, quo efferuescit in aqua frigida, non proveniat ex calcinatione & passione ignis fortioris, ut communis fert opinio, sed ex propria natura & substantia lapidis, dum videlicet ignis inclusus liberatur, ut vim suam exercere valeat. In ista enim calcinatione lapidum, quæ fit per aquam, sine omni igne, nulla adhibetur violentia ignis, neq; etiam in abstractione liquoris, quæ vel in cineribus confici potest. Ex istis igitur percepi veritatem Gebri Philosophi aliorumq; virorum naturam cognoscentium, sola illa corpora, quæ de natura salium & aluminum participant, & ad eam rediguntur, esse solubilia. Vt igitur experientiam veræ solutionis indubitabilem nobis acquireremus, examinavimus eam per probatorem, salem tartari scilicet: cujus liquorem solutioni affundentes, materia turbabatur, & quædam fæces terrestres adhuc in interioribus partibus saltis latentes prodibant: Verum fæces erant, non

au-

autem magisterium, ut vulgariter fieri solet; nam filtrata solutione, & aquâ abstractâ, salia in fundo manserunt sed utrumq; magis defecatum. Sal tartari enim sali Lapideo admixtum, quod alias spiritus vini non dissolvit, unà cum sale isto mixtum facilè dissolvebatur, unde patet, quod difficultas solutionis & resistentia materiæ non procedat, nisi ex fortissima mixtura pulveris terrestris cum sale vel acuto vel pingui, quo pulvere sublato subtiles spiritus & aqua illorum auriga facilimè ingrediuntur & perforant. Vnde iterum didici veritatem, quam tradunt sapientes, duas scilicet vel plures species simul sese abluere & mundificare: natura enim naturâ perforatur, & natura naturæ apponitur, & fit quodlibet sui comitis gratia fortius ad suas coinquinationes expellendas, scilicet accidentia de suis corporibus.

Quanquam autem per prædictam practicam non omnium lapidum natura detegatur, possumus tamen ex similitudine aspectus & observationis extrinsecæ, reliquorum naturā augurari, adeò ut nullum remaneat dubium, ea omnia esse vera, quæ superius ratiocinatione conclusa sunt. Conjicimus etiam differentiam lapidum non tam in causa materiali,

quàm

quam in subtilitate causæ efficientis, ejusq; regulis sibi a Deo præscriptis, ac in modo præparandi vel generandi consistere: Partim etiam à dispositione instrumenti, quo utitur natura in suis operibus, quod in crassioribus existit ignis crassior decoquens, in nobilioribus [illegible] spiritus ille igneus atq; æthereus, omnia permeans, & [illegible]ipuè ea, quæ ejus sunt naturæ: Simile namq; simili gaudet. Est tamen & ratio differentiæ in materia ipsa, ejusq; aptitudine, & locorum vel matricis qualitate. Quibus omnibus in concentum harmonicum convenientibus, necessario resultat substantia lapidea excellens: ubi è contra ex defectu vel debilitate hujus vel illius contrarium evenit.

Superest ut inquiramus causam Efficientem horum omnium, cujus investigatio videtur esse difficilima: tum quia lapidum genus inanimatum videtur: dum quia ejus tanta est diversitas & modus productionis. Variæ, ut fieri solet circa similia, occurrunt opiniones. Mixtores enim suam sententiam de compositione elementorum & confusione primarum qualitatum, sine denominatione opifici omnibus rebus applicare nituntur, & quidem cum tali nausea rationis, ut potionem

tum

extra

ex Rhabarbaro & polypodio superare videatur. Alij solam frigiditatem externam, materiam lapideam jam totaliter perfectam, coagulantem, pro causa efficiente constituunt, quæ tamen non nisi finem operi imponit, neq; ullam dispositionem aut præparationem materiæ, ad esse lapideum introducit. Quidam verò & quidem plures totum hoc negotium virtuti stellarum attribuunt, moti videlicet summa & admirabili illa virtute, quæ in genere lapidum observatur. Alij tandem præcipuam causam constituunt spiritum animatum, sive universalem sive particularem, in globo terræ residentem: Quibus & ego calculum adjicio, cum ea tamen conditione, ut cæteræ causæ allatæ non excludantur, sed omnes admittantur, non quidem ut causæ efficientes, sed adjuvantes, & ut tales sine quarum adjutorio agens ipsum opus suum perficere non possit. Cur enim remotis causis attribueremus illud, quod propinquinquioribus debetur? Quales sunt mixtio illa elementaris omnis ignorantiæ asylum; qualis congelatio illa externa accidentalis: qualesq; sunt influentiæ astrorum cœlestium, q[illegible] nitus sunt spirituales, & suis globis rad[illegible] ter immanentes, licet veluti actus quid[illegible]

inde

inde egrediantur, ad nostra adjuvanda & excitanda, vel incitanda, non autem tyrannica vi nobis eripiendo. Hoc enim agere possunt sua interim perfectè gubernando & conservando. Satis quippè negotij unicuiq; partium mundanarum dispensavit Creator: Satis etiam virium substantialium impertivit, ut sua curare possit, neq; tamen concentum harmonicum inter eos impedivit. Hunc igitur ratio nostra debet venerari non autem confundere. Cur igitur Terræ nostræ hanc injuriam faceremus, laudem operationum suarum ipsi eripiendo, imò non ipsi sed Creatori, qui ei vim istam concessit? Mirabilis est natura ingenij servilis, cui nihil domi placet, omnia tantum exotica atq; extranea admiratur. Nonne hæc est terra illa, quæ vegetabilia sua omnia animata producit? quæ ab ipsius globi vitâ diutius separata moriuntur, & sine ejus spiramine vivere non possunt? Nonne ipsa tot insectorum genera (quamvis non sine adjutorio caloris solaris cæterorumq; astrorum) ex sui ipsius ventre progenerat? Cur ergo nec inanimata ista corpora, sub suis formis specificis producere posset? Imò cur non producat, si omnia, quæ in ipsa sunt & vivunt, cum omnibus suis habi-

tatoribus aliquid de vita sua communicet tanquam universale quid particulares animas ex ipsa prodeuntes sibi attrahens, fovens, adjuvans? Cur igitur vocabulum vitæ & animæ vegetativæ tan[illegible] vobis erit horrori, cum nihil in generatione corporum sit pulchrius, potentius, vel magis necessarium, Ipso Creatore excepto? Quis unquam mentem vidit produxisse corpus? Quis Rationem, phantasiam & similia? Picturas & imagines corporum in rebus corporeis producere possunt, non corpora. Quis ullum motum generativum observavit aliunde prodiisse quàm ex sola natura vitali? Quod quidem officiū, neq; igni, neq; aëri competit absq; vita. Tunc enim potius corrumpunt omnia ac destruunt, quod satis patet ex vastatore rerum flammivomo, qui omnia diruit & nihil componit, quod vita & accretionis motum sibi adesse ostendit. Et cur tandem animam vitalem à solio suo removeremus tanquam ineptam vel impotentem, cum ex omnibus supra allatis causis, nulla opus suum tantopere manifestet quam ista? Quis enim in animalibus lapides generat? Nonne anima? Manifestè igitur videmus, animam possidere potentiam lapidificam, imò & exercere, quod de nulla alia ex

supra-

supradictis causis pro certò dicere valemus, sed somniando. Anima ergo vitalis est causa efficiens cum spiritu suo igneo cœlesti & aëreo, omnia penetrante, replente, & mediante directorio animæ formante. Hoc autem aliquando efficit ex intentione & proposito, ut in iis animalibus, de quorum proprietate est, ut lapides producant, aliquando vero ex necessitate, ut videlicet animali aliqualiter succurrat, segregando inimica in aliquem locum ejectioni commodum, quales sunt renes, cum propter debilitatem aliorum membrorum, utpote stomachi vel epatis, impuritates in primis digestionibus non posłit secernere. Vidi ego rem stupendam & incredibilē apud præfectum equorū serenißimi Ducis de Dietrichstein, qui mihi monstravit integram congeriē lapideam pugni magnitudinis, in qua plures lapides, omnes de forma & magnitudine ovi columbarij sibi concreti conspiciebantur, quam totam compagem ex unius equi demortui corpore exscindi curaverat, & insuper lapides similes separatos nisi fallor octodecim: quod profectò nisi vidissem, vix crederem, cum omnem penè videatur excedere poßibilitatem. Unde igitur ista congeries lapidum, unde materia

lapidifica? Nonne hoc erat vis ista animæ efficientis? Vnde quæso mixtores ex tali nutrimento tantam substantiam lapideam producerent atq; tam solidam, licet fortè in nutrimento ex soli proprietate calcifica quadam dispositio ad eam delitesceret? quod tamen concedi non potest, cum in aliis ejusdem terræ & farinæ animalibus, & iisdem nutrimentis cibatis, hoc non eveniat. Et licèt concederetur, nutrimento talem dispositionē inesse, nonne hæc eadem sententia nostram confirm[illegible]et, vitam terrenam, quæ vegetabilia format, & in ipsis ad oculum vigere conspicitur, hujus dispositionis causam fuisse? Verum qui vim putrefactionis & ejus effectum considerat, minimè sibi persuadebit dispositiones præcedentes post ejus operationem superesse. Neq; etiam eam ob causem vita hinc removenda est, quod in lapidibus & mineralibus ab ea productis sopita sit & tanquam mortua, aut absens appareat. Omnes res mundi (inquit naturæ sacerdos) operativos & vivificantes spiritus in se continent qui in ipsorum corporibus habitant, sese ex ipsis cibant, nutriunt & conservant. Elementa spirituum non sunt expertia: homines & animalia quævis possident spiritum vivum &

.opera

operativum, qui ubi secesserit, cadaver mortuum oculis remanet objectum. Herbæ & omnes crescentiæ habent in se spiritum sanitatis, alias pro medicina nec inservirent, nec præparari possent; similiter & metalla ac mineralia suos spiritus imperceptibiles secum afferunt, in quibus potissimum reperitur eorum virtus & robur potestatis operatricis: nam sine spiritu qualibet res est mortua, nec pro efficacia vivificante cognosci valet. Spiritus autem isti non loquuntur, neq; se ipsos formaliter oculis possunt obijcere, possident tamen vitam suam occultam & operativam, quæ sese manifestat per efficaciam suam, quam secum ducunt atq; producunt per creationem sanitatis, quod fit, dum ipsi per media artificiosa ejiciuntur, & à corporibus suis impuris separantur. Hæc ille. Progrediamur ad relicta. Quis in animalibus ossa & dentes ad lapideam naturam proximè accedentes, aliunde producta existimet, quam à propria anima, licet propriè vivere non conspiciantur? Imo profectò latente quadam vita foventur, dũ adhuc sunt in corpore animato radicati, igitur de quibusdam lapidibus & mineralibus concludimus, quod dum in vẽtre terræ adhuc sunt radicata, latente quadam

vide que, supra pag: ...

 dam

dam vi vitali afficiantur, imò etiam in separatis, ut ex dicto jam allegato patet. Nemo pilos & ungues vivere facilè dixerit, cum tamen capilli vegetabilium more ex sua radice pullulent, quod in cadaveribus eorum, qui patibulo affigun ur, ocularitèr conspicitur: Animâ propria jam diu à corpore separatâ, isti crescunt & augentur, scilicet ex præsentia spiritus vitalis communis, in materia ab animâ propriâ jam antè ad hoc disposita, adhuc residui: Quorum beneficio sese nutrientes, esse suum ad tempus conservare possunt, quousq; eo deficiente deficiant & ipsi. Idem confirmabis ex capillitiis artificiosis, ubi manifesta reperitur differentia inter capillos de vivo corpore excisos, & illos qui propriâ mortalitate inde excidunt, & à radice sua viva separantur: In quo quidem manifestè imitantur naturam vegetabilium, ubi arbores vetustate debilitatæ, ineptæ sunt ad propagationem: Juvenes verò licet à suo trunco excisæ, in alium tamen insertæ, iterum resuscitantur, ex eo videlicet, quod vitam & materiam ac formam seminalem (quæ in hisce corporibus per totum corpus extenditur) spiritumq; viventem in se possideant, non tanquam animam

quan-

quandam specificam, sed generalem universo terræ globo assistentem. Sed & Concharum domicilia paululum contemplemur: Quid pulchrius conspici potest, artificiosius, subtilius elaboratum quam ista? Quam exactæ dimensiones quantitatum? quam excellentes temperaturæ & dispositiones colorum ibi observantur? Nonne hæc omnia ab anima concha fabricantur? Quod apertè patet ex genere limacum & aliis, ubi juniorum & recens natorum domicilia adhuc tenerrima & mollia existunt, ut non multum ab ipsa substantia differre videantur, sicuti cortices nucleorum à sua medulla, quæ omnia ex eadem radice pullulant, & per duritiem tantum post temporis terminum invalescentem distinguuntur. Atqui hæc omnia ad speciem lapideam plus minusve vergunt, & omnia tamen ab anima producuntur. Quod si objecerint virtutes mirabiles gemmis impressas; quære, cui facultati vel parti stellarum eas attribuant: an motui simplici, vel constellationum figuris, vel influentiæ; Item an influxus iste sit corporeus vel spiritualis; & si spiritualis, an ab anima veniat, vel vegetativa, sentiente, intelligente? Nonnè ad idem res recidet? Motus enim non

est nisi ab anima vitali, neq; influxus virtuosus, sive sit corporeus, sive spiritualis, sine anima esse potest: nam sine ea foret mortuus & inefficax, nec mirabilium istarum virtutum patrator. De intelligentiis autem globorum quæso ne loquantur, cum opus eorum intelligibile, neq; hoc in passu, neq; ullibi locorum percipiatur, cum corpus nullum, ut paulo ante dictum est, à mente fabricatum unquã conspectum sit, sed à sola anima vegetativa mediante regula vel specie ipsi à sapientia Dei præfigurata: sufficiat paganos de istis deitatibus tot tempora delirasse. Nos Christiani meliora edocti veritatem sequamur, de qua mox Deo dante plura proferemus. Concludimus itaq; cum viris doctis & expertis lapidariis, causam efficientem esse spiritum ejusmodi vivum in terreno globo omnia practicantem juxta dispositionem Creatoris ipsi traditam, & juxta formas specificas corporeas ab ipso Deo primitus creatas, quam potestatem huic spiritui concessit, ut divina ista initia, suá solertia, per propagationes naturales continuaret, fluxum & destructionem individuorum corporalium restaurando, qui spiritus ratione istius materiæ à quibusdam vocatur lapidificus ab effectu speciali

hujus

hujus operis: ab aliis verò Archæus terræ vocabulo generali sed satis appropriato: à Platonicis autem natura & spiritus mundi, quorum tamen quidam ipsum ut intelligentem introducunt, quod nos semper & ubiq; negamus, cum ab effectibus ejus appareat, ipsum non nisi vitalia opera, & ad summum sensibilia quædam in genere insectorum proferre. Unde etiam ipsi ultra istas virtutes nihil attribuimus, cum aliis vestibus ornatus in theatro sui Dominij nequaquam se præbeat conspiciendum: interim tamen nec gloriam promeritā ipsi denegamus. Ex prædictis patet, modum productionis lapidum esse similem, & rursus diversum, similem quidem, tum in eo, quod nulla eorum species generetur sine forma sua intrinseca & sine præparatione materiæ proximæ, quæ locum seminalis repræsentat, in qua semper substantilis illa forma specifica delitescit: tum etiam quod omnis præparatio principalis hujus materiæ fiat ab agente vivo: exceptis quibusdam mixturis, quæ ad lapidum naturam proximè accedere videntur, quales sunt terrarum quarundem diversimode dispositarum cum aliis elementorum speciebus casu quodā in glebam duriorem coalescentium, quæ non

nisi impropriè generi lapidum annumerantur. Diversitas vero in eo observatur, quod materia ejusmodi propinqua in statum & formam seminalis cujusdam redacta, non habeant apparentiam similem neq; modum complementi, nec locum generationis, nec causas agenti adjuvantes. Illæ quippe, quæ de terrestri & pulverulenta sunt substantia, & in superficie terræ coagulantur in lapides porosos atq; scabrosos, pro fundamento habent terram sic compositam, & pro nutrimento pulverem & pro consolidante extrinseco aërem frigidum vel calidum. Hic enim terra disposita tanquam fœmina subjacet humori tanquam viro, ut ab eo impregnetur. Humor autem talis non est aqua simplex, nec terra ista simplex pulvis, alias non daretur consolidatio firma: Sed omnes partes lapidificæ in hisce duabus latentes comprehenduntur. Saxa autem ingentia, quæ per fontes & aquas lapideas continuo abluuntur, simul etiam ex ipsis augentur. Videmus enim, quod aquæ lapidificæ omnia ea secum ferant, quibus indigent, adeò ut tanquam stillicidium aquæ simplicis tempore hyemali in glaciem, sic ista quovis tempore per aërem frigidum supervenientem in momento coagulen-

lentur. Et in istis etiam aquis à natura sic præparatis res qualibet pervia atq; porosa in lapides condensantur, ut integra vegetabilia & partes animalium cum retentione & formæ & coloris antiqui. Aqua enim ista penetrat partes vacuas atq; porosas talium corporum,& eas implet substantia sua indurabili, & consolidat ea sua viscositate tenaci, atq; permiscet se cum ipsis quasi per minima: Talis enim humiditatis viscosa,ex qua lapides fiunt, maxima pars est salsa & ignea, & proinde penetrativa & coagulativa: Vbi verò aquositas phlegmatica substantiam lapidificationi aptam in tali mixtura quantitate superaverit, ita ut temperamentum lapidificum à natura præparante non sit sufficienter proportionatum, tunc lapis progenerari non potest,nisi post evaporationem sufficientem hujus phlegmatis, quæ fit per calorem sive solis,sive ignis terreni, & tunc consolidatur lapis non tam à frigore quam ab ipso calore materiam desiccante. Illos verò lapides qui ad modum vegetabilium per radicem quandam excrescunt, nutrimentum etiam suum ex eadem trahere verisimile est: aut certe si ab extra illis apponatur, necesse tamen est, ut à radice illa

seu

seu centro in ea latente sibi ad placitum & formam suam, magnetica vi attrahatur & disponatur, eum fere in modum, quo substantia aliqua per atomos etiam minimas divisa in soliditatem sub forma priore iterum coalescit, quod non facilè credit nisi is qui talia viderit. Illis verò qui animalium in morem vel ad modum nucleorum in lapidem condensantur: illis inquam hoc videtur accidere simili ratione, ut scilicet certa quadam quantitas liquoris lapidifici in loco suo, primò sub tenui quasi pellicula concludatur, quæ materia sic incarcerata per motum naturæ & calorem lentum sese paulatim magis magisq. purificat, partes crassiores extrudendo, eò ut substantia interior, tantò purior clarior & resplendentior evadat, & ob puritatem magis & fortius consolidetur, ac simul conservationi ipsius gemmæ per coctionē istam provideatur, vapor etiam superfluus per poros cortijs istius (crassiora enim semper sunt porosiora) paulatim exspiret: & sic gemmarum istarum fiet genitura. Aliquibus verò loci proprietas & aptitudo formam externam imponit, comprimendo succum lapideum pro dispositione sua. De iis verò qui in animalibus generantur, superius jam est dictum

ctum, & plura lector reperiet in verorum medicorum scriptis. Aërei verò lapides & ignei ex vapore à natura sic composito, atq; tū per respirationem globi terreni tum per attractionem virium cœlestium elevato, aliter fieri non possunt, nisi per condensationem ejusmodi magneticam, qua simile à suo simili attrahitur & congregatur, extraneis repulsis, quod quidem facilè fieri potest tempore fulguris, ubi ignis accensus phlegmatica repellit, & consolidativa quasi manibus suis retinendo comprimit atq; indurat. Talia enim, quæ sensui nostro occultantur, per argumenta à consideratione causarum petita conjicimus, & per similia quædam explicamus. Regula autem generalis, & fundamentum lapidificationis est subtiliatio partium & earum commixtio per minima sub forma specifica certa & proportionata, quæ tandem materia à causarum externarum adjutorio, ad complementum finale perfectionatur.

Lapidum generi proximè succedunt metalla & media mineralia, quæ ex ipsis lapidibus tanquam ex matrice quadam sive crescunt sive protruduntur. Indagationem causarum specificā, ex sententia nostra antedicta de lapidibus, & aliis quæ passim præcesserunt

runt

runt, Lector benevolus percipere poterit. Cum enim hoc genus corporum sit difficilimæ investigationis, & à Philosophis antiquis pariter atq; modernis, qui in eo, labore certo, experientias sibi acquisiverunt, mille Chymæris nominum æquivocorum & synonymorum, involutum & obscuratum sit: Ideo opinionem propriam proponere haud placuit: ut tamen satisfieret lectori curioso, Causarum metallicarum seriem, ex dictis Basilij magni, veri Monarchæ & Regis Philosophiæ naturalis, (ex cujus divitiis alij divites redditi honorem magistri sibi arrogarunt) contextam apposui, tali ordine, ut à quolibet studioso facile possit apprehendi, quod ille per plures tractatus spargendo, hinc inde seminavit.

Basilius Valentinus ultra Causam Causarum ponit tres alias Causas, efficientes, quarum 1. est Virtus magnetica supercœlestis. 2. Motus & lumen ac calor sydereus tam in genere quam in specie. 3. Archæus terræ quem alio in loco etiam vocat imaginationem terræ.

Causa causarum *De operatione Causæ summæ sic loquitur in proœmio clavium: In principio dum Spiri-*

tus

tus aquæ incubabat, & omnia tenebris circumdabantur, tunc Deus omnipotens atq́; æternus, cujus principium finem non habet, et cujus Sapientia à principio exſtitit, & ab æternitate dependet, ex conſilio ſuo imperſcrutabili creavit cœlum & terram & omne, quicquid in iſtis comprehenditur, viſibile & inviſibile, cujuscunq́; nominis, ex nihilo: Omnia enim Deus fecit ex nihilo, quo autem modo glorioſa iſta creatio fuerit facta, in præſentiarum non agam Philoſophum: Nam ſcriptura & fides iſta dijudicent oportet. In hac creatione vera creator unicuiq́; naturarum ſuum ſemen largitus eſt, ne periret, ſed ut per illud multiplicatio fieret, hominesq́; animalia, vegetabilia, atq́; metalla conſervarentur. Homini itaq́; nullo modo permiſſa eſt poteſtas, ſemina nova fabricandi pro placito contra ordinem Dei: Sed tantum ulterior plantatio & multiplicatio conceſſa. Seminis enim fabricationem ſummus creator ſibi ſoli reſervavit: alias poſſibile foret homini, ut fieret creator, quod ſolius majeſtatis altiſſimi eſt appropriatum.

Virtutem magneticam ſupercæleſtem ſic paſſim deſcribit, inquiens, quod ſit Spiritus unicus, qui ex virtute cœli egreditur, &

& in terra omnia format, quæ istum spiritum semper appetit. Item: Est cœlestis influentia atq; impressio, supernaturalis, spiritualis, impalpabilis quædam essentia, quæ per fidem est apprehendenda & dijudicanda. Item: spiritualis impressio & infusio, cujus operatio similiter impalpabilis est atq; spiritualis: amori comparatur, qui est attractio magnetica, qui invisibilis amor superioris, per similem imaginationē terræ attrahitur, & sic terra imprægnatur. Item: Est essentia quædam animalis, quæ ex prima creatione ortum ducit. In lib. de Nat. et. sup. Nat. ita eam describit: In supercœlesti mundo, vera & immortalis anima suam habet sedem: hæc est post Dei Creationem prima sensibilitas perceptibilis, anima movens, quæ vitam naturalē ex essentia supernaturali operata est. Et hæc anima atq; hic spiritus est radix & primus fons ac prima creatura quæ in vitam orta est, & primum mobile illud, de quo inter doctores tot factæ fuerunt disputationes.

MOTUM *autem, lumen & calorem sydereum ita depingit: quod sit astralis quædam calida infusio, quæ per proprietatem suam aëream atq; igneam operatur, per vel in virtute spirituali atq; invisibili. Alio in loco*

voca

vocat istum spiritum cœlestem, septem planetas & astra, quæ mineralia operantur per modum spiritualem & imperceptibilem. Item: Essentiam spiritualem per creationem ortam. Item: Calorem cœlestem, qui frigidam, aquosam terrenamq; creaturam in vitam quandam suscitat vel disponit. Item: Cœlum stellatum quod vaporem sulphureum subtilem in terra excitat. Item: Planetarum & omnium cœlestium astrorum motum, virtutem & potestatem, quæ eorum est Spiritus, quo mediante in terram operantur. Item: Lumen spiritus mundi cœlestis. Item: Lumen & ignem cœlestem elementaremq; Solis, quo mediante illa compositio, quam magnetim ca supercœlestis virtus ex chao terræ operata est atq; formavit, ulterius decoquitur: Per quem (scil. ignem) astra virtutem (intellige terræ) commovent, dum ejus (scil. ignis dicti) calor in intimis terræ, tanquam in matrice percipitur. Nam per calidam operantemq; proprietatem astrorum superiorum, globus terrenus recluditur & aperitur, ut ipsorum spiritus, terræ infusus, nutrimentum emittere, & progenerare possit metalla, herbas, arbores animalia &c. (Ratio hujus est, quia spiritus iste est aliquid incorporeum, unde

indiget corpore terræ, ut possit sub forma corporea prodire, operari, & tàm in quantitate quàm in qualitate terrenis fructibus competente augeri: & istum spiritum vocat operationem firmamenti.)

Archæum *terræ autem non ponit inter causas efficientes superiores; Sed loco virtutis vitalis cœlestisq́, globi terreni propria ipsi tradita vel insertæ, quæ compar ac socius superiorum existit; tàm in formatione prima, prioris essentiæ materialis specificæ omnium ex terra nascentium, quàm in specificatione, generatione, & perfectâ seu completâ formatione prioris seminis excitati, quòd semen Basilius sæpè vocat spiritum Mercurij, significatione tàm generali quàm specifica, juxta receptionem formæ specificæ. De hoc Archæo ejusq́, operatione sic loquitur in Tr. de N. & S. Nat. Nunc in specie declarabo generationem, quo modo Archæus virtutem suam patefacit, effundit, & in lucem producit: per quam omnis forma metallica & mineralis visui sistitur, atq́, per minerales, impalpabiles, volantesq́, spiritus igneus, formalis, palpabilis & corporea redditur.*

Post Causas efficientes sequuntur formales, quæ itidem tres reperiuntur apud Basilium:

um: 1. Cœlestis. 2. Terrestris: quæ duæ sunt substantiales internæ atq; specificæ. 3. Est forma specifica externa, quæ aliàs figura solet nuncupari ad distinctionem formæ interioris. Primam vocat semen spirituale, Spiritum stellarum, vitam naturalem, imaginationem spiritualem, virtutem cœlestem, vim spiritualem, modo invisibili terræ implantatam: Influentiam cœlestem, impressionem sydeream, infusionem specificam superioris, juxta genera planetarum atq; astrorum. Secundam, quæ est terræ propria, vocat imaginationem terræ, mediante qua ex superiori sibi simile attrahit atq; concipit. Hic autem lector monendus est, ne Basilij sententiam juxta sonum literæ capiat sed juxta intentionem, quæ non est talis, ut imaginationem similem, quæ in animalibus & hominibus reperitur, his verbis describat: Sed simile quid in spiritu terræ vegetativo, sicuti etiam in vita animali vegetativa ex ejus operibus observamus. Videtur enim tangere sententiam Jamblichij philosophi Ægyptii, qui Imaginationẽ omnibus viribus & potentiis animæ adesse statuit, quatenus videlicet nihil vel producitur in actum sine imaginibus aut formis, nihil etiã sine ipsis percipitur vel à sensibus, ra-

Materia pura

vel purarum vel mixtarum (in omni enim corpore latet aliquid puri.) Materia pura omnium rerum iterum à Philosophis consideratur sub tribus partibus, quas etiam vocant nomine trium principiorum salis Mercurij & Sulphuris, aliquando nomine elementorũ, terræ, aquæ & aeris pro mercurio, & Sulphuris pro igne, aliquando etiam nomine corporis, Spiritus, & animæ, aliquaado nomine metallorum, lunæ, mercurij, solis & tot nominibus, quibuscunq; placuerit unicuiq; sensum suum patefacere per similia, & allegorias ab omnibus rebus Mundi desumptas. Tandem ex tribus prædictis principiis simul considerati resultant materiæ proximæ metallorum, vel Mineralium, quatenus existunt, vel sub forma alicujus fumi mineralis, vel sub forma fumi condensati in aquam, vel mineralem vel metallicam, vel sub forma aquæ illius jam magis coagulatæ & vergentis ad massam solidiorẽ & substantiæ metallicæ propinquiorẽ, qualia sũt vitra metallica, quæ natura format subt⁹ terrã, unde postea per digestionẽ ulteriorẽ, quâ utitur, profert cõplementũ hujus vel illius metalli vel mineralis.

Notandum est autem, quod Basilius & alii præter fumum vel aquam & vitra prædicta

etiam

etiã ponant aliam quandam materiã propinquã, ex qua asserunt produci metalla, quã quidẽ materia sunt Mineralia media, utpote Sulphur, Mercurius, Vitriolum, Antimonium &c. An hoc ita se habeat, perquirat lector. Mihi quidem videtur, quod mixtura istarum specierum multum sit differens à mixtura liquefactorum, id est metallorum quæ ex suo constant Argento vivo seu mercurio Metallico & sulphure simili; & proinde multum videtur difficile ut inde possint fieri metalla in operibus naturæ, nisi prius ab ipsa natura ipsorum commixtio iterũ fuerit destructa, & sub formam propinquiorẽ alicujus metalli redacta; eadem ratione sicut ex nutrimento vegetabilium fit transmutatio rei in formam animalem, tunc sanè cũ mixtura metallica tanquã natura cum natura simili facilius coibit. Attamen hoc in passu nihil concluserim, si enim possibile est, ut integra tecta ædificiorum ex plumbo per diuturnum solis calorem ita digerantur, ut tandem ferè in naturum argenti depurata reperiantur, ut recenset Hollandus, idem etiam fortè fieri poterit cum illis mineralibus, quæ ad naturam liquefactivam accedũt: qualia sunt præcipuè Mercurius vulgi, Antimonium, Magnesia, quam quidam

ſeu centro in ea latente ſibi ad placitum & formam ſuam, magnetica vi attrahatur & disponatur, eum fere in modum, quo ſubſtantia aliqua per atomos etiam minimas diviſa in ſoliditatem ſub forma priore iterum coaleſcit, quod non facilè credit niſi is qui talia viderit. Illis verò qui animalium in morem vel ad modum nucleorum in lapidem condereſantur: illis inquam hoc videtur accidere ſimili ratione, ut ſcilicet certa quadam quantitas liquoris lapidifici in loco ſuo, primò ſub tenui quaſi pellicula concludatur, quæ materia ſic incarcerata per motum naturæ & calorem lentum ſeſe paulatim magis magisq́; purificat, partes craſſiores extrudendo, eò ut ſubſtantia interior, tantò purior clarior & reſplendentior evadat, & ob puritatem magis & fortius conſolidetur, ac ſimul conſervationi ipſius gemmæ per coctionē iſtam provideatur, vapor etiam ſuperfluus per poros cortiis iſtius (craſſiora enim ſemper ſunt poroſiora) paulatim exſpiret: & ſic gemmarum iſtarum fiet genitura. Aliquibus verò loci proprietas & aptitudo formam externam imponit, comprimendo ſuccum lapideum pro diſpoſitione ſua. De iis verò qui in animalibus generantur, ſuperius jam eſt dictam

ctura, & plura lector reperiet in verorum medicorum scriptis. Aërei verò lapides & ignei ex vapore à natura sic composito, atq; tū per respirationem globi terreni tum per attractionem virium cœlestium elevato, aliter fieri non possunt, nisi per condensationem ejusmodi magneticam, qua simile à suo simili attrahitur & congregatur, extraneis repulsis, quod quidem facilè fieri potest tempore fulguris, ubi ignis accensus phlegmatica repellit, & consolidativa quasi manibus suis retinendo comprimit atq; indurat. Talia enim, quæ sensui nostro occultantur, per argumenta à consideratione causarum petita conjicimus, & per similia quædam explicamus. Regula autem generalis, & fundamentum lapidificationis est subtiliatio partium & earum commixtio per minima sub forma specifica certa & proportionata, quæ tandem materia à causarum externarum adjutorio, ad complementum finale perfectionatur.

Lapidum generi proximè succedunt metalla & media mineralia, quæ ex ipsis lapidibus tanquam ex matrice quadam sive crescunt sive protruduntur. Indagationem causarum specificā, ex sententia nostra antedicta de lapidibus, & aliis quæ passim præcesserunt

runt, Lector benevolus percipere poterit. Cum enim hoc genus corporum sit difficilimæ investigationis, & à Philosophis antiquis pariter atque modernis, qui in eo, labore certo, experientias sibi acquisiverunt, mille Chymæris nominum æquivocorum & synonymorum, involutum & obscuratum sit: Ideo opinionem propriam proponere haud placuit: ut tamen satisfieret lectori curioso, Causarum metallicarum seriem, ex dictis Basilij magni, veri Monarchæ & Regis Philosophiæ naturalis, (ex cujus divitiis alij divites redditi honorem magistri sibi arrogarunt) contextam apposui, tali ordine, ut à quolibet studioso facile possit apprehendi, quod ille per plures tractatus spargendo, hinc inde seminavit.

Basilius Valentinus ultra Causam Causarum ponit tres alias Causas, efficientes, quarum 1. est Virtus magnetica supercælestis. 2. Motus & lumen ac calor sydereus tam in genere quam in specie. 3. Archæus terræ quem alio in loco etiam vocat imaginationem terræ.

Causa causarum *De operatione Causæ summæ sic loquitur in proëmio clavium: In principio dum Spiritus*

tus

tus aquæ incubabat, & omnia tenebris circumdabantur, tunc Deus omnipotens atq; æternus, cujus principium finem non habet, et cujus Sapientia à principio exstitit, & ab æternitate dependet, ex consilio suo imperscrutabili creavit cælum & terram & omne, quicquid in istis comprehenditur, visibile & invisibile, cujuscunq; nominis, ex nihilo: Omnia enim Deus fecit ex nihilo, quo autem modo gloriosa ista creatio fuerit facta, inpræsentiarum non agam Philosophum: Nam scriptura & fides ista dijudicent oportet. In hac creatione vera creator unicuiq; naturarum suum semen largitus est, ne periret, sed ut per illud multiplicatio fieret, hominesq; animalia, vegetabilia, atq; metalla conservarentur. Homini itaq; nullo modo permissa est potestas, semina nova fabricandi pro placito contra ordinem Dei: Sed tantum ulterior plantatio & multiplicatio concessa. Seminis enim fabricationem summus creator sibi soli reservavit: alias possibile foret homini, ut fieret creator, quod solius majestatis altissimi est appropriatum.

Virtutem magneticam supercælestem passim describit, inquiens, quod sit Spiritus unicus, qui ex virtute cæli egreditur, &

& in terra omnia format, quæ istum spiritum semper appetit. Item: Est cœlestis influentia atq; impressio, supernaturalis, spiritualis, impalpabilis quædam essentia, quæ per fidem est apprehendenda & dijudicanda. Item: spiritualis impressio & infusio, cujus operatio similiter impalpabilis est atq; spiritualis: amori comparatur, qui est attractio magnetica, qui invisibilis amor superioris, per similem imaginationē terræ attrahitur, & sic terra impraegnatur. Item: Est essentia quædam animalis, quæ ex prima creatione ortum ducit. In lib. de Nat. et. sup. Nat. ita eam describit: In supercœlesti mundo, vera & immortalis anima suam habet sedem: hæc est post Dei Creationem prima sensibilitas perceptibilis, anima movens, quæ vitam naturalē ex essentia super naturali operata est. Et hæc anima atq; hic spiritus est radix & primus fons ac prima creatura quæ in vitam orta est, & primum mobile illud, de quo inter doctores tot facta fuerunt disputationes.

MOTUM *autem, lumen & calorem sydereum ita depingit: quod sit astralis quædam calida infusio, quæ per proprietatem suam aëream atq; igneam operatur, per vel in virtute spirituali atq; invisibili. Alio in loco*

vocat

vocat istum spiritum cœlestem, septem planetas & astra, quæ mineralia operantur per modum spiritualem & imperceptibilem. Item: Essentiam spiritualem per creationem ertam, Item: Calorem cœlestem, qui frigidam, aquosam terrenamq; creaturam in vitam quandam suscitat vel disponit. Item: Cœlum stellatum quod vaporem sulphureum subtilem in terra excitat, Item: Planetarum & omnium cœlestium astrorum motum, virtutem & potestatem, quæ eorum est Spiritus, quo mediante in terram operantur. Item: Lumen spiritus mundi cœlestis. Item: Lumen & ignem cœlestem elementaremq; Solis, quo mediante illa compositio, quàm magnetim supercœlestis virtus ex chao terræ operata est atq; formavit, ulterius decoquitur: Per quem (scil. ignem) astra virtutem (intellige terræ) commovent, dum ejus (scil. ignis dicti) calor in intimis terræ, tanquam in matrice percipitur. Nam per calidam operantemq; proprietatem astrorum superiorum, globus terrenus recluditur & aperitur, ut ipsorum spiritus, terræ infusus, nutrimentum emittere, & progenerare possit metalla, herbas, arbores animalia &c. (Ratio hujus est, quia spiritus iste est aliquid incorporeum, unde

indiget corpore terræ, ut possit sub forma corporea prodire, operari, & tàm in quantitate quàm in qualitate terrenis fructibus competente augeri: & istum spiritum vocat operationem firmamenti.)

Archæum terræ autem non ponit inter causas efficientes superiores; Sed loco virtutis vitalis cœlestisq́, globi terreni propriæ ipsi traditæ vel insertæ, quæ compar ac socius superiorum existit; tàm in formatione prima, prioris essentiæ materialis specificæ omnium ex terra nascentium, quàm in specificatione, generatione, & perfectâ seu completâ formatione prioris seminis excitati, quòd semen Basilius sæpè vocat spiritum Mercurij, significatione tàm generali quàm specifica, juxta receptionem formæ specificæ. De hoc Archæo ejusq́; operatione sic loquitur in Tr. de N. & S. Nat. Nunc in specie declarabo generationem, quo modo Archæus virtutem suam patefacit, effundit, & in lucem producit: per quam omnis forma metallica & mineralis visui sistitur, atq; per minerales, impalpabiles, volantesq́; spiritus igneos, formalis, palpabilis & corporea redditur.

Post Causas efficientes sequuntur formales, quæ itidem tres reperiuntur apud Basilium:

um: 1. Cœlestis. 2. Terrestris: quæ duæ sunt substantiales internæ atq; specificæ. 3. Est forma specifica externa, quæ aliàs figura solet nuncupari ad distinctionem formæ interioris. Primam vocat semen spirituale, Spiritum stellarum, vitam naturalem, imaginationem spiritualem, virtutem cœlestem, vim spiritualem, modo invisibili terræ implantatam: Influentiam cœlestem, impressionem sydereum, infusionem specificam superioris, juxta genera planetarum atq; astrorum. Secundam, quæ est terra propria, vocat imaginationem terræ, mediante qua ex superiori sibi simile attrahit atq; concipit. Hic autem lector monendus est, ne Basilij sententiam juxta sinum literæ capiat sed juxta intentionem, quæ non est talis, ut imaginationem similem, quæ in animalibus & hominibus reperitur, his verbis describat: Sed simile quid in spiritu terræ vegetativo, sicuti etiam in vita animæ vegetativa ex ejus operibus observamus. Videtur enim tangere sententiam Jamblichij philosophi AEgyptii, qui Imaginationẽ omnibus viribus & potentiis animæ adesse statuit, quatenus videlicet nihil vel producitur in actum sine imaginibus aut formis, nihil etiã sine ipsis percipitur vel à sensibus, ra-

tione & intellectu. Tertia forma est externa sensibus objecta, quæ tantum differt, quantum genera & species metallorum & mineralium. Hæc tamen duplex est: Una seminis metallici, ex quo proximè metalla fiunt, altera vero est ipsius metalli vel mineralis exinde formati.

Materiæ *etiam plures à Basilio enumerantur, quæ tamen generaliter divisæ, sunt: Remota, Propinqua, Proxima. Remota quidem, Globus Terrenus, qui ex visceribus suis mineralia producit ex quatuor Elementis, quæ considerantur prout sunt vel communia omnibus corporibus, vel specificata ad formam Mineralem. Propinqua vero existunt Tria illa Principia mineralium, quæ quidem non differunt ab Elementis Mineralibus, nisi quatenus considerantur ut terra, aqua & aer, (quæ duo non differunt) & tertio, ignis. In hisce enim Philosophi per resolutionem non nisi tres partes realiter distinctas reperientes: Sub trino nomine Salis, Mercurij & Sulphuris eas descripserunt. Differentia tamen verè specifica principiorũ mineraliũ ab Elementis mineralibus in eo consistit, quod scilicet ex Elementis mineralibus varia possint produci mineralia, non autem vegetabilia vel animalia, cum jam ad regnum minerale*

à na-

à natura sint determinata. Ex principiis autem specificatis, è contra nec fieri possunt animalia & vegetabilia, neq; varia mineralia, sed talia, qualia admittit illa dispositio existens determinata vel ad minerale majus, medium, vel minus, ad metallum saturni, Jovis &c. vel ad minerale sulphuris, Arsenici, Magnesiæ, &c. vel Solis alicujus mineralis. Hac enim ratione realiter differunt principia dicta, ita ut ex pura materia seminali vel propinqua ad aurum, non possit fieri plumbum & multominus arsenicum, nisi ipsi vel aliæ impuritates fuerint additæ à natura formatrice, vel quædam perfectiones dempta & separata, cum additione novarum partium crudarum, quales reperiuntur in arsenico vel aliis. Regula enim certissima est, quod effectus correspondeant causis materialibus, ut filius patri, præcipuè in mixtis istis, exceptis monstris naturæ: Unde facilè potest concludi, quod bonus effectus ex bona materia prædisposita fuerit productus, & malus ex mala, mixtus ex mixta. Hæc quidem prima est differentia Principiorum & Elementorum, quæ vocabula aliàs videntur esse synonyma. Secunda autem est illa, quæ resultat ex consideratione materiarum,

Materia pura

vel purarum vel mixtarum (in omni enim corpore latet aliquid puri.) Materia pura omnium rerum iterum à Philosophis consideratur sub tribus partibus, quas etiam vocan nomine trium principiorum salis Mercurii & Sulphuris, aliquando nomine elementorum terræ, aquæ & aeris pro mercurio, & Sulphuris pro igne, aliquando etiam nomine corporis, Spiritus, & animæ, aliquaado nomine metallorum, lunæ, mercurij, solis & tot nominibus, quibuscunque placuerit unicuique sensum suum patefacere per similia, & allegorias ab omnibus rebus Mundi desumptas. Tandem ex tribus prædictis principiis simul considerati resultant materiæ proximæ metallorum, vel Mineralium, quatenus existunt vel sub forma alicujus fumi mineralis, vel sub forma fumi condensati in aquam, vel mineralem vel metallicam, vel sub forma aquæ illius jam magis coagulatæ & vergen ad massam solidiorē & substantiæ metallicæ propinquiorē, qualia sūt vitra metallica, quæ natura format subtus terrā, unde postea per digestionē ulteriorē, quā utitur, profert cōplementū hujus vel illius metalli vel mineralis.

Notandum est autem, quod Basilius & a præter fumum vel aquam & vitra prædic

etia

*ponant aliam quandam materiã propin-
ex qua asserunt produci metalla, quæ qui-
ateria sunt Mineralia media, utpote Sul-
, Mercurio, Vitriolum, Antimonium &c.
oc ita se habeat, perquirat lector. Mihi
em videtur, quod mixtura istarum spe-
m multum sit differens à mixtura lique
rum, id est metallorum quæ ex suo con-
Argento vivo seu mercurio Metallico
lphure simili; & proinde multum videtur
cile ut inde possint fieri metalla in operi-
aturæ, nisi prius ab ipsa natura ipsorum
nixtio iterũ fuerit destructa, & sub for-
propinquiorẽ alicujus metalli redacta;
m ratione sicut ex nutrimento vegeta-
m fit transmutatio rei in formam anima-
tunc sanè cũ mixtura metallica tanquã
ra cum natura simili facilius coibit. At-
n hoc in passu nihil concluserim, si enim
bile est, ut integra tecta ædificiorum ex
bo per diuturnum solis calorem ita di-
ntur, ut tandem ferè in naturum argen-
purata reperiantur, ut recenset Hollan-
idem etiam fortè fieri poterit cum illis
ralibus, quæ ad naturam liquefactivam
dũt: qualia sunt præcipuè Mercurius vul-
Antimonium, Magnesia, quam quidam*

pro Argento immaturo venditant. Hisce præmissis textus aliquot ex Basilio consideremus, in quibus loquitur de materiis prædictis.

Scias, inquit in proœmio clavium, de isto semine, quod metalla fabricat, quod cælestis influxus Deo concedente & ordinante desuper cadit, sese immiscendo proprietatibus sydereis. Dum itaq; ista duo conjunguntur, tunc progenerant corporeum quiddam tanquam tertium; ex quibus tribus resultant atq; proveniunt elementa aqua, aër, terra, (hic nota, quod ista elementa non sint creata, sed operata per naturam) quæ per ignem æthereum (vel vulcanicum ut alibi loquitur) plus ultra operantur, quousq; producant perfectum quid, quod Hermes & omnes mei antecessores, cum nihil aliud reperire potuerimus, tres primas res vocarunt & repertum est, quod essent, anima interna, spiritus impalpabilis & corporea visibilis perceptio. Dum autem ista tria simul cohabitant, tunc per copulationem mediante tempore & per vulcanum recipiunt esse palpabile, utpote mercurij, sulphuris, salis: Quibus tribus unitis condensatis & coagulatis, prodit corpus perfectum juxta varietatem operum naturæ

&

ıxta semen à creatore electum atq; dispo-
n. Si itaq; ibi fuerint anima metallica,
itus metallicus, & matallica forma cor-
,tunc ex istis prodibunt Argentum vi-
metallicum, sulphur metallicum, & sal
llicum, quæ ex necessitate nihil aliud
ri possunt, nisi corpus metallicum per-
um. In hoc dicto ferè omnes illæ materiæ
ribuntur, quas supra enarravi sed gene-
er. Vt autem lucidius unaquæq; per
gnosci possit, considerabimus ex verbis
(relictis materiis remotis) materiam
imam puram, immundam & mixtam.
ura sic loquitur passim, quod sit spiritus
ıa & corpus simul sumpta, quam vocant
ıum ens quod nihil aliud est, nisi essentia
lam aquosa, sicca reperta, & nulli mate-
omparanda, quæ crevit ex quatuor ele-
tis nutrientibus sese ex astris. Item:
quoddam visibile, licet impalpabile, quod
ationem suam magnetico more perpe-
, ex quo multa mirabilia totaliter su-
aturalia percipiuntur. (Nota hic, quod
operetur in & per substantiam natura-
, actio tamen ejus magnetica sit purè spi-
ılis & insensibilis, quæ non percipitur
er effectum.) Item: Vnica mater omnii

& in terra omnia format, quæ istum spiritum semper appetit. Item: Est cœlestis influentia atq; impressio, supernaturalis, spiritualis, impalpabilis quædam essentia, quæ per fidem est apprehendenda & dijudicanda. Item: spiritualis impressio & infusio, cujus operatio similiter impalpabilis est atq; spiritualis: amori comparatur, qui est attractio magnetica, qui invisibilis amor superioris, per similem imaginationē terræ attrahitur, & sic terra imprægnatur. Item: Est essentia quædam animalis, quæ ex prima creatione ortum ducit. In lib. de Nat. et. sup. Nat. ita eam describit: In supercœlesti mundo, vera & immortalis anima suam habet sedem: hæc est post Dei Creationem prima sensibilitas perceptibilis, anima movens, quæ vitam naturalē ex essentia supernaturali operata est. Et hæc anima atq; hic spiritus est radix & primus fons ac prima creatura quæ in vitam orta est, & primum mobile illud, de quo inter doctores tot factæ fuerunt disputationes.

Motus lu- [illegible] calor side- reus

MOTUM *autem, lumen & calorem sydereum ita depingit: quod sit astralis quædam calida infusio, quæ per proprietatem suam aëream atq; igneam operatur, per vel in virtute spirituali atq; invisibili. Alio in loco*

vocat

vocat istum spiritum cœlestem, septem planetas & astra, quæ mineralia operantur per modum spiritualem & imperceptibilem. Item: Essentiam spiritualem per creationem ortam, Item: Calorem cœlestem, qui frigidam, aquosam terrenamq; creaturam in vitam quandam suscitat vel disponit. Item: Cœlum stellatum quod vaporem sulphureum subtilem in terra excitat. Item: Planetarum & omnium cœlestium astrorum motum, virtutem & potestatem, quæ eorum est Spiritus, quo mediante in terram operantur. Item: Lumen spiritus mundi cœlestis. Item: Lumen & ignem cœlestem elementaremq; Solis, quo mediante illa compositio, quam magnetim ea *supercœlestis virtus ex chao terræ operata est atq; formavit, ulterius decoquitur: Per quem (scil. ignem) astra virtutem (intellige terræ) commovent, dum ejus (scil. ignis dicti) calor in intimis terræ, tanquam in matrice percipitur. Nam per calidam operantemq; proprietatem astrorum superiorum, globus terrenus recluditur & aperitur, ut ipsorum spiritus, terræ infusus, nutrimentum emittere, & progenerare possit metalla, herbas, arbores animalia &c. (Ratio hujus est, quia spiritus iste est aliquid incorporeum, unde*

S indi-

indiget corpore terræ, ut possit sub forma corporea prodire, operari, & tàm in quantitate quàm in qualitate terrenis fructibus competente augeri: & istum spiritum vocat operationem firmamenti.)

Archæum *terræ autem non ponit inter causas efficientes superiores; Sed loco virtutis vitalis cœlestisq́, globi terreni propriæ ipsi traditæ vel insertæ, quæ compar ac socius superiorum exìstit; tàm in formatione prima, prioris essentiæ materialis specificæ, omnium ex terra nascentium, quàm in specificatione, generatione, & perfectâ seu completâ formatione prioris seminis excitati, quòd semen Basilius sapè vocat spiritum Mercurij, significatione tàm generali quàm specifica, juxta receptionem formæ specificæ. De hoc Archæo ejusq́ operatione sic loquitur in Tr. de N. & S. Nat. Nunc in specie declarabo generationem, quo modo Archæus virtutem suam patefacit, effundit, & in lucem producit: per quam omnis forma metallica & mineralis visui sistitur, atq́ per minerales, impalpabiles, volantesq́ spiritus igneos, formalis, palpabilis & corporea redditur.*

Post Causas efficientes sequuntur formales, quæ itidem tres reperiuntur apud Basilium:

um: 1. Cœlestis. 2. Terrestris: quæ duæ sunt substantiales interna atq; specificæ. 3. Est forma specifica externa, quæ aliàs figura solet nuncupari ad distinctionem formæ interioris. Primam vocat semen spirituale, Spiritum stellarum, vitam naturalem, imaginationem spiritualem, virtutem cœlestem, vim spiritualem, modo invisibili terræ implantatam: Influentiam cœlestem, impressionem sydeream, infusionem specificam superioris, juxta genera planetarum atq; astrorum. Secundam, quæ est terræ propria, vocat imaginationem terræ, mediante qua ex superiori sibi simile attrahit atq; concipit. Hic autem lector monendus est, ne Basilij sententiam juxta sonum literæ capiat sed juxta intentionem, quæ non est talis, ut imaginationem similem, quæ in animalibus & hominibus reperitur, his verbis describat: Sed simile quid in spiritu terræ vegetativo, sicuti etiam in vita animali vegetativa ex ejus operibus observamus. Videtur enim tangere sententiam Jamblichij philosophi AEgyptii, qui Imaginationē omnibus viribus & potentiis animæ adesse statuit, quatenus videlicet nihil vel producitur in actum sine imaginibus aut formis, nihil etiā sine ipsis percipitur vel à sensibus, ratione

tione & intellectu. Tertia forma est externa sensibus objecta, quæ tantum differt, quantum genera & species metallorum & mineralium. Hæc tamen duplex est: Una seminis metallici, ex quo proximè metalla fiunt, altera vero est ipsius metalli vel mineralis exinde formati.

Materiæ *etiam plures à Basilio enumerantur, quæ tamen generaliter divisæ, sunt: Remota, Propinqua, Proxima. Remota quidem, Globus Terrenus, qui ex visceribus suis mineralia producit ex quatuor Elementis, quæ considerantur prout sunt vel communia omnibus corporibus, vel specificata ad formam Mineralem. Propinqua vero existunt Tria illa Principia mineralium, quæ quidem non differunt ab Elementis Mineralibus, nisi quatenus considerantur ut terra, aqua & aer, (quæ duo non differunt) & tertio, ignis. In hisce enim Philosophi per resolutionem non nisi tres partes realiter distinctas reperientes: Sub trino nomine Salis, Mercurij & Sulphuris eas descripserunt. Differentia tamen verè specifica principiorũ mineraliũ ab Elementis mineralibus in eo consistit, quod scilicet ex Elementis mineralibus varia possint produci mineralia, non autem vegetabilia vel animalia, cum jam ad regnum minerale*

à na-

à natura sint determinata. Ex principiis autem specificatis, è contra nec fieri possunt animalia & vegetabilia, neq; varia mineralia, sed talia, qualia admittit illa dispositio existens determinata vel ad minerale majus, medium, vel minus, ad metallum saturni, Jovis &c. vel ad minerale sulphuris, Arsenici, Magnesiæ, &c. vel Solis alicujus mineralis. Hac enim ratione realiter differunt principia dicta, ita ut ex pura materia seminali vel propinqua ad aurum, non possit fieri plumbum & multominus arsenicum, nisi ipsi vel aliæ impuritates fuerint additæ à natura formatrice, vel quædam perfectiones demptæ & separatæ, cum additione novarum partium crudarum, quales reperiuntur in arsenico vel aliis. Regula enim certissima est, quod effectus correspondeant causis materialibus, ut filius patri, præcipuè in mixtis istis, exceptis monstris naturæ: Vnde facilè potest concludi, quod bonus effectus ex bona materia prædispofita fuerit productus, & malus ex mala, mixtus ex mixta. Hæc quidem prima est differentia Principiorum & Elementorum, quæ vocabula aliàs videntur esse synonyma. Secunda autem est illa, quæ resultat ex consideratione materiarum,

Materia pura

vel purarum vel mixtarum (in omni enim corpore latet aliquid puri.) Materia pura omnium rerum iterum à Philosophis consideratur sub tribus partibus, quas etiam vocant nomine trium principiorum salis Mercurij & Sulphuris, aliquando nomine elementorũ, terræ, aquæ & aeris pro mercurio, & Sulphuris pro igne, aliquando etiam nomine corporis, Spiritus, & animæ, aliquando nomine metallorum, lunæ, mercurij, solis & tot nominibus, quibuscunq; placuerit unicuiq; sensum suum patefacere per similia, & allegorias ab omnibus rebus Mundi desumptas. Tandem ex tribus prædictis principiis simul consideratis resultant materiæ proximæ metallorum, vel Mineralium, quatenus existunt, vel sub forma alicujus fumi mineralis, vel sub forma fumi condensati in aquam, vel mineralem vel metallicam, vel sub forma aquæ illius jam magis coagulatæ & vergente ad massam solidiorẽ & substantiâ metallicæ propinquiorẽ, qualia sũt vitra metallica, quæ natura format subt⁹ terrã, unde postea perdigestionẽ ulteriorẽ, quâ utitur, profert cõplementũ hujus vel illius metalli vel mineralis.

Notandum est autem, quod Basilius & alij præter fumum vel aquam & vitra prædicta

etiam

etiā ponant aliam quandam materiā propinquā, ex qua asserunt produci metalla, quæ quidē materia sunt Mineralia media, utpote Sulphur, Mercurio, Vitriolum, Antimonium &c. An hoc ita se habeat, perquirat lector. Mihi quidem videtur, quod mixtura istarum specierum multum sit differens à mixtura lique factorum, id est metallorum quæ ex suo constant Argento vivo seu mercurio Metallico & sulphure simili; & proinde multum videtur difficile ut inde possint fieri metalla in operibus naturæ, nisi prius ab ipsa natura ipsorum commixtio iterū fuerit destructa, & sub formam propinquiorē alicujus metalli redacta; eadem ratione sicut ex nutrimento vegetabilium fit transmutatio rei in formam animalem, tunc sanè cū mixtura metallica tanquā natura cum natura simili facilius coibit. Attamen hoc in passu nihil concluserim, si enim possibile est, ut integra tecta ædificiorum ex plumbo per diuturnum solis calorem ita digerantur, ut tandem ferè in naturum argenti depurata reperiantur, ut recenset Hollandus, idem etiam fortè fieri poterit cum illis mineralibus, quæ ad naturam liquefactivam accedūt: qualia sunt præcipuè Mercurius vulgi, Antimonium, Magnesia, quam quidam

& juxta semen à creatore electum atq; dispositum. Si itaq; ibi fuerint anima metallica, Spiritus metallicus, & matallica forma corporis, tunc ex istis prodibunt Argentum vivum metallicum, sulphur metallicum, & sal metallicum, quæ ex necessitate nihil aliud largiri possunt, nisi corpus metallicum perfectum. In hoc dicto ferè omnes illæ materiæ describuntur, quas supra enarravi sed generaliter. Vt autem lucidius unaquæq; per se cognosci possit, considerabimus ex verbis ejus (relictis materiis remotis) materiam proximam puram, immundam & mixtam. De pura sic loquitur passim, quod sit spiritus anima & corpus simul sumpta, quam vocant primum ens quod nihil aliud est, nisi essentia quædam aquosa, sicca reperta, & nulli materiæ comparanda, quæ crevit ex quatuor elementis nutrientibus sese ex astris. Item: Esse quoddam visibile, licet impalpabile, quod operationem suam magnetico more perpetrat, ex quo multa mirabilia totaliter supernaturalia percipiuntur. (Nota hic, quod licet operetur in & per substantiam naturalem, actio tamen ejus magnetica sit purè spiritualis & insensibilis, quæ non percipitur nisi per effectum.) Item: Vnica mater omniū

mineralium & metallorum, quæ ex centro progreditur, atq; se ipsam dividit in tres partes, quæ tantum per elementa nutriuntur in terra atq; ex ejus corpore, & sustentantur alimento usq; ad perfectionem. Materia autem è centro proveniens imaginatione syderum, operatione elementorum, atq; formatione terræ originem trahit, & existens materia cognita est vera mater metallorum & mineralium: estq; talis materia ac mater, ex qua homo ipse conceptus, generatus & sustentatus ac corporalis factus est, totaliterq; comparabilis est mundo medio, inter Macro- & Microcosmum, qui hos duos (mundos) connectit, estq; anima conjungens spiritum cum corpore, Hæc anima aquæ comparatur, quia est vera ac genina aqua, non tamen madefaciens sicut aliæ aquæ, verum est aqua cœlestis sicca, substantia metallicæ liquorosa, aqua animalis, quæ omnes spiritus amat, suisq; corporibus copulat introducendo in vitam perfectam. Hinc igitur apparet, quod aqua ista sit mater omnium metallorū; quæ per ignem calidum atq; aëreum, utpote spiritum sulphuris calefacta est, quo, eo digerente, corpus terrenum vivificatur, in quo reperitur sal conservans à putredine

genuina

eritu. m

& omni corruptione. Item: Spiritus mercurij qui à cœlo, astris, & elementis jam generatus, perfectèq; enutritus, formatus & informis, palpabilis & impalpabilis, interim tamen visibiliter perceptibilis factus est, hic sufficiens existit materia prima, ex qua omnia metalla & mineræ creverunt. Item: Per cœlum stellatum in terra suscitatur vapor subtilis sulphureus, non vulgaris (scil. Sulphuris) verum vapor clarificatus, mundus & purus à reliquis separatus, quicum mercuriali substantia in unionem transit, per quam proprietatem calidam mediante tempore longo superflua humiditas exsiccatur, quibus ubi accesserit proprietas animalis (i.e. animata) quæ corpus & balsamum largitur, atq; simul (mediante prædicto spirituali ætæ æ syderee influxu) in terra operatur, tunc talis inde resultat proles metallica, qualis videlicet mixtio trium principiorum existit. Corpus autem inde resultans sequitur naturam principij validioris in quantitate. Quodsi verò hic spiritus mercurij desuper dispositus & ordinatus fuerit ad genus animale vel vegetabile, tunc etiam talis inde prodit essentia. Item: Hinc dico, quod res cunctæ visibiles atq; palpabiles ex spiritu mer-

curij facta sint, qui omnes res terrestres totius mundi antecedit; omnes res ex ipso facta sunt, origenemq; suam tantum ex ipso trahunt. Ipse est principium metallorum, postquam in essentiam corpoream redactus fuerit, quæ tota est aërea hinc & inde volans, & est ventus mobilis &c. Item: Spiritus mercurij essentia est animalis, materia spiritualis, & forma terrestris, quæ tamen per insensibile quid intelligi vel concipi debet. Item: Spiritus mercurij per sulphur spirituale recreatur & vivificatur, ut simul inde fiat cœleste quiddam, & cum atq; per Solem redduntur corporea atq; formata. Multa possem adhuc proferre dicta pulcherrima ex auctore isto supra laudem posito, ne autem lectori tædium procreetur, præcedentia sufficere judicavi, addendo tamen unicum proconclusione, in quo materiam istam per viam resolutionis patefecit inquiens: Metalla reducuntur in vitriolum tanquam minerale quoddam & proximam materiam, quia metalla omnia prius fuerunt mineralia: Hoc vitriolum reducitur in Spiritum, qui ex ipso pellitur, & ista reductio est mineralis (istius) in essentiam spiritualem: Spiritus tamen iste post vel in reductione sua adhuc retinet pro-

N.B

prie-

prietatem metallicam: nondum tamen hic spiritus est prima materia. Quis ergo adeò insulsus foret ignorando, qua ratione hunc spiritum ulterius in primam materiam reducere, semenq; ipsum tàm metallorum quàm mineralium sibi comparare debeat.

Materiam crassam, quam vocat corpus metallorum informe, in quo semen metallicum quiescit, describit l. 1. Test. c. 2. dicens, quod constet ex septem partibus antequam per nutrimentum formetur & perficiatur. Nomina partium sunt. 1. Terra. 2. Lapis, 3. Cinis terrestris, 4. Vitrum terræ fluidum, 5. Farina terræ, 6. color terræ. 7. Fuligo terræ. An istæ omnes realiter differant, considerationibus remitto lectoris.

Ex prædictis duabus materiis unâ cum aqua phlegmatica resultat materia mixta ex puro & impuro, quæ vera est materia proxima omnium mineralium, quæ in hoc regno locum seminis supplet, sicut lector ex præcedente sermone de lapidibus satis percipere potuit. De ista philosophus noster sic loquitur. Per influxum atq; impressionem sydeream resultat liquorosa & aërea substantia (id est fumus) quæ in se continet Spiritum mineralem, animam sulphuream & sal terrestre,

Item. S. Joanni revelatus fuit ignis cælestis, nebula, fumus & vapor, qui ex humiditate terræ in nubes ascendit. Similis fumus existit in operibus subterraneis, fumus mineralis frigidus, à quo virtutes operativæ fumi ac spiritus suscitantur, ut in perfectam compositionem transire poßint. Si itaq; Terra est igneus atq; fumosus vapor, sequitur quod inde etiam aliæ naturæ fructificentur, &c. Ignis iste ac fumus vel vapor operationis comparatur mercurio, sulphuri & sali, atq; aquæ marinæ, in qua terra conclusa jacet vel continetur (scil. sicut in chao creationis.)

Ex omnibus igitur dictis præcedentibus, talem colligo definitionem materiæ proximæ metallorum, quod videlicet sit compositum quoddam ex supercælestibus & cælestibus spiritibus & corporis terreni elementis generalibus tam puris quàm impuris, ad mixturam elementalem specificam formatis, per influxum supercælestem magneticum & motum Spiritus cælestis, syderei, luminosi & calidi, qui desuper agit in terram, imaginando formam specificam juxta aspectus planetarum & syderum: atq; per Archæum terræ formam specificã juxta legem creatoris educentẽ, correspondentem attractibus cælestib⁹ Materia proxima metallorum

per ima-

imaginationem & virtutem magneticam ipſius terræ: ex qua productione ſpecificorum elementorum reſultat compoſitum ſupradictum, conſtans ex ſpiritu, anima & corpore, mercurio, ſulphure & ſale metallicis vel mineralibus, quæ in unam ſubſtantiam prodeunt ſub forma fumoſa & liquoroſa ſicca, quæ in aquam mineralem reſoluitur, quo facto, eſt ſemen vel materia proxima mineralium & metallorum, ex cujus decoctione & condenſatione ulteriori reſultat primo materia quædam pinguis, & inde cum tempore corpora dicta ſpecifica ſub formis ſuis externis completa. Hoc paucis verbis confirmat Democritus dicens: Sciatur omnes ſubſtantias atq; metalla vapores exiſtere, fieriq;: nam irrigati vapores ſunt humidi. Hiſce placuit apponere ſententiam Lullij de generatione metallorum ex capite tertio ejus theoriæ, ut appareat conſenſus perfectus duorum principum ac patrum Philoſophiæ naturalis. Illis igitur 1. ponit hyle quod eſt ſubſtantia quinta, ex qua creata ſunt elementa. 2. Ex elementis mixtis reſultantes vapores ex quibus, 3. Fit aqua clara, quæ eſt humiditas valdè ponderoſa, & materia propinqua argentivivi (ſeu mercurij vel Spiritus mercurij

*curij juxta Basilium) & fit per condensatio-
nem dictorum vaporum, & propter naturam
aëream discurrens per venas terræ cadit in
mineras sulphureas, causatas ex vaporibus
calidis siccis, ita ut aqua illa existens de na-
tura aquæ & aëris præcipuè, congeletur per
vapores calidos & siccos, qui sunt de natura
ignis & terræ, unde fit. 4. azoth vitreus seu
vitriolum, quod est substantia quædam ma-
gis propinqua naturæ metallorum (Huc usq;
descripsit formationem materiæ puræ, jam* Materia
progreditur ad materiam mixtam) 5. Hæc mixta
*substantia iterum resolvitur in vapores, qui
sunt prima & proxima materia metallorum,
impregnata à naturali calore vivificato in
forma & specie aquæ vivæ, quæ est argentum
vivum non autē vulgi. 6. Hoc argentum vivū
immediatè convertitur in Sulphura, de quo-
rum vaporibus omne aliud argentum vivum
coagulatur: unde 7. Metalla per successivam
decoctionē generantur. Nota ergo, quod argē-
tum vivum hoc, quod resolvitur ex vitriolo
naturæ metallicæ propinquo, in resolutione ĩ-
sta ascendens in fumum, sibi attrahat eas par-
tes, quibus indiget ad formationem metalli
completam, & est argentum vivum corporū
quod in sua propria substantia jam habet sul-*

phur suum sibi admixtum bonum, non urens album, vel rubeum, unde fiunt argentum & aurum per admixtionem residuorum requisitorum. Ad metallorum imperfectorum vero generatione sibi attrahit sulphur malum combustibile, externum, quod substantiæ suæ non fortiter immiscet. Et sic patet concordantia philosophorum circa materiam metallorum & mineralium, quam quidam distinguunt per unctuosum & viscosu: nam ex vapore unctuoso fiunt metalla, ex vapore autem non unctuoso sed tantum viscoso fiunt mineralia & lapides: Mineralia tamen quandoq; de utraq; natura participant, dum videlicet ad naturam tàm lapideam quàm metallicam à natura disponuntur.

Naturæ metalla operanti tria tribuit instrumenta, quorum præcipuum est subtilis ille & clarificatus vapor sulphureus, excitatus ex globo terræ per motum cœlestem atq; influxum spiritus astralis, qui vapor etiam inter causas materiales computatur. Iste enim spiritualis vapor est ignis internus elementaris ipsius materiæ, qui in tribus reliquis elementis absconditur. Hoc quippe elementum exsiccat aquam per decoctionem caliditatis. In l. de Nat. & S. Nat. Vocat

ipsum

ipsum ignem calidum aëreum, qui aquam calefacit & coquit, ut per ejus evaporationem corpus terrestre vivificetur. Item: Invictissimum & tamen sensibilem ignem cœlestem, ex quo id quod palpabile est excoquitur. Item: Cœleste elementare lumen & ignem solis, qui compositionem aquæ decoquit: Ignem illum, quo mediante sydera terram commovent, dum calor ejus in visceribus terræ tanquam in matrice percipitur. Etenim per calidam operantemq́ proprietatem astrorum superiorum, globus terrenus recluditur & reseratur vel aperitur, ut spiritus terræ infusus nutrimentum suum emittere, & generando aliquid producere possit. Differentia inter causam efficientem & ignem istum instrumentalem, est tanquã causæ ad effectus & tanquam generantis & generati: vel sicut spiritualis & corporei mixti. Causa efficiens enim est merè spiritualis & immanens superioribus: Formalis autem cœlestis est & egrediens atq́ ingrediens puram terræ partem. Ignis instrumentalis verò est aliquid corporeum, cum forma & virtutibus spiritualibus mixtum atq́ productum, & est pars ipsius materiæ. Ignem secundum coadjuvantem AEthneum vocat, per quem vide-

tur intelligere ignem elementalem, quatenus sibi admixtas habet partes sulphureas crassas seu pinguedinem terræ comburentem & combustibilem. Nomen enim desumptum à monte flammivomo hoc innuit, & ipsa experientia comprobatur, dum in omnibus mineris odoriste sulphureus sensu percipitur. De his simili modo loquitur Bonus Ferrariensis: Dicimus, inquit, de Sulphure & Argento vivo in operibus naturæ, quod sulphur non est agens principale, sed virtus occulta mineralis existens in ipso (scilicet argento vivo) mediante calore mineræ digerente, est principale agens intrinsecum cum corporibus cælestibus, & movens sulphur cum calore suo sicut instrumentũ. Idem confirmat ex gebro, de sulphure ferri & æris, quod ipsum sit fœtidum & malum, & inde etiam det tincturam fœtidam & malam, veruntamen in hoc tantũ bonitatis habet, quia ipsum est agens in materia, sine cujus actione natura non posset generare aliquod metallum. De hoc si plura scire desideras, lege Bonum, qui multa passim tractat de isto sulphure corrumpente, & quomodo natura eo utatur ad decoctionem argenti vivi metallici in aurum; quo facto illud sub finem iterum separat ab auro formato, tanquam ex-

trinsecum quid, quo usa erat loco instrumenti. Basilius ultra prædicta etiam tertium ponit ignem, quem vocat Vulcanum, qui est extra materiam; an verò hic sit separatum quid à præcedenti, consideret lector, Vulcanicus enim ignis & æthneus ratione nominis non videntur differre: consideret etiam, an fortè ignem nitrosum intelligat, quem etiam Quercetanus pro igne naturæ venditat. Ego certe ultra trigam istam ignium in tota natura alium non reperio, Luminis scilicet, Sulphuris vel olei combustibilis, & nitri. Nam in omnibus rebus mundi compositis, excepto solo auro, Sulphur combustibile reperitur.

Locus etiam generationis mineralium, qui matrici comparatur, generaliter consideratus est globus terræ, in specie autem lapidum varia genera & terræ bolares, de quibus consule Basilium ipsum. l. 2. Test. & Rulandum in dictionario aliosq́; qui ex professo ista indagarunt & descripserunt. Basilius l. 1. Test. c. 4. hunc locum describit à suis proprietatibus, vocans ipsam officinam metallorum & templum, in quo liquor æthereus & semen (videlicet Argillm) corporeum corpori junguntur copula firmissima. Hanc tamen

officinam distinguit in lapidem, & eam, quam vocat Firmamentum terræ, (vocabulo admodum significativo & notabili) porosum, & liquori æthereo ipsum permeanti obvium atq; apertum; Lapidem verò durum solidum atq; seratũ tanquam ineptum rejicit. Vera ergo officina est terra ejusmodi bolaris, nutrix liquorisætherei & embryonis metallici. Quicquid sit, experientia tamen compertum habemus, metalla perfectissima & imperfecta, ex lapidibus ejusmodi duris à natura protrudi sæpissimè in forma cujusdam arbusculi seu fruticis vegetabilis, quod equidem & ipse Basilius in lib. 2. Test. citato satis testatur. Videat ergo lector, quomodo istum dissensum conciliare possit, quod ego non admodum existimo difficile. De officina autem prædicta sic loquitur: Officina subterranea dispensat metallis calorem suum & frigus, & firmiter ipsis ea affigit. Est enim Firmamentũ terræ, quod metallis virtutem lapideam confert, dum ipsa interim vacua sit atq; porosa, & plena foraminum seu cavitatum, quas cavitates finaliter metallo replet sicut apes favum suum melle, quousq; tandem ipsa officina diruta fuerit ablutione aquarum.

Mo-

Modus generationis dupliciter considera- tur. 1. Quatenus formatur prima materia vel semen. 2. Quatenus semen formatum decoquitur in formam mineralem vel me- tallorum.

De generatione seminis metallici sic lo- quitur: Metalla & mineralia primo conci- piuntur spiritualiter, & corporaliter gene- rantur ex duabus partibus, quæ sunt res natu- rales & supernaturales. Quodcunq; visibi- le, formatum, atq; palpabile existit, id natu- rale est: quod verò impalpabile & spirituale, id supernaturale est, atq; per fidē concipi- endum. Item: Intellige quod cœlum ope- retur in terram, & terra correspondeat cœ- lestibus. Nam terra etiam in se continet planetas septem, qui à Planetis septem cœ- lestibus fiunt, per solam quandam impressio- nem vel influxum spiritualem. Nam astra, omnia mineralia actione sua producunt. Hoc autem insensibili & spirituali modo peragi- tur, & proinde tanquam supernaturale quid dijudicandum est in similitudine duorum amantium. Amantes visibiles existunt, a- mor reciprocus verò est invisibilis. Corpus humanum est naturale, amor verò invisibi- lis spiritualis & impalpabilis, ac supernatu-

ralis, & soli attractioni magneticæ comparandus. Nam amor invisibilis per imaginationē spiritualiter attractus cupiditate, complemento perficitur. Simili ratione cœlum amat Terram, & terra affectum inclinationemq; in cœlum dirigit, tanquā minor mundus desiderium versus majorem, cum minor mundus ex majori prodierit. Dum autem terra desiderio invisibilis suæ imaginationis amorem cœli sibi attrahit, tunc fit copulatio superioris cum inferiori, tanquam masculi cum fœminâ, qui unum quoddam corpus æstimantur. Hac conjunctione peracta, terra influxu cœlesti impregnatur vel concipit, incipitq; generationem alicujus fœtus juxta proprietatem influxus: qui fœtus post conceptionem, per elementa digeritur in maturitatē completam. Item: Sicuti semen Masculinum matrici injicitur, menstruumq; contingit, quod terra ejus existit, ita & hoc in passu accidit: Ast semen viri atq; mulieris ex astris & elementis in utroq; formatum est, eò, ut quæ conjuncta sunt per terram ad generationem nutriantur. Ita ergo intelligas, quod anima metallorum mediante insensibili, invisibili, imperceptibili, occulta & supernaturali atq; cœlesti compositione formata erat,

erat, simili modo concipiatur. Vide etiam proœmium Clavium. In lib. Test. c. 2. de semine metallorum sic loquitur: Metallum semen habet sicut & alia creatura: Semen destitutum fœcunditate augeri non potest, nam semen & ejus fœcunditas distinguuntur. Ex vita sola fœcunditas conjicitur, hæc enim sola motum exercet, mortalitas nequaquam. Nihil verò tàm subtili ac volatili mobilitate præditum est sicut metallum: liquor autem iste æthereus duplex est, lubricus scilicet atq; volatilis. Hic liquor vivus cum semper moveatur, morti nullo modo subjectus est; quiescit tamen quandoq; in metallo, quandoq; crescit, scilicet dum movetur. Metallum ergo, in quo quiescit, nequaquam est mortuum. Corpora quidem interire possunt, liquor autem iste vitalis nequaquam. Sub forma liquida movetur, sub coagulata quiescit, quousq; iterum liquefiat. Semen & liquor corpori in officina copulantur, ibi comedunt, dormiunt, atq; laborant, eò perducunt quicquid est pulchrum atq; amœnum: inde sese vestiunt, ibi alia reperiuntur elementa, ignis, aër, aqua, & terra: Nam quodcunq; ibi elaboratur, id per adjutorium aëris superioris vix iterum disgregari po-

test, quod patet ab exemplo mercurij metalli, & auri.

De decoctione seminis praeparati in metallum inquit: Cum itaq; tria principia pura simul fuerint copulata, tunc suo tempore per Vulcanum fiunt palpabile quiddam, utpote mercurius sulphur & sal; quae tria unita & coagulata, juxta varietatem operis Naturae, producunt corpus completum pro dispositione naturae & electione seminis à creatore praedestinati. Item. In principio generationis argentũ vivum formatur, quod propter subtilem coagulationẽ adhuc apertum existit: Ideo quod parum de sale ipsi tributum sit, unde etiam corpus ejus potius spirituale apparet quam terrenum: Reliqua verò metalla, quae omnia ex hujus essentia prodeunt, & plus de sale participant, huic succedunt. Item: De modo processus ulterioris Archaei terrae auxilio spiritus mercurij scias, quod postquam semen spirituale formatum est & in aquam mercurialem conversum, tunc fit imitatio creationis mundi, ubi totum ex nihilo producebatur: Spiritu enim aquis incubante, requirebatur calor coelestis vivificans creaturam frigidam aquosam & terrestrem: Sic etiam postea concedebatur influxus

xus luminum cœlestium, ut emittere posset calorem internum & potestatem calefaciendi atq; decoquendi frigiditatem terræ ab aquis participatam, in varia genera creaturarum juxta genera sua atq; species. Item: postquam volatile & lubricum in officina sua fuerint conjuncta, metallum augeri potest: tunc enim mirabili modo cibum attrahit ex virtute lubrici: Sic accumulatur atq; fortificatur, qua incremento primo prodit mercurius metallum, quod est primus ejus liquor, in quo omnia suscipit, coagulat, & congelat in corpora masculina vel fœminina, quousq; tandem transit in corpus fixum & solidum salis. Item: primo recipit formam corporis vel salis terrestris quod tamdiu agitat, atq; conglobat, movendo sese in eo, quousq; corpus liquidum sibi acquirat, mox corpus terreum, semperq; sublimius & durius reddatur: atq; hæc est vera coagulatio congelatio liquefactio atq; fixatio mercurij utilis ac lucrosa. Item: Sulphur est cibus metallorum, non autem semen eorum. Item: Natura primò operatur mineralia ex crescentiis montanis & succis terrestribus humidis, quæ postmodum existunt nutrimenta metallorũ. Concludamus totum cum appositione dicti

pul-

pulcherrimi cujusdam Philosophi anonymi: Natura sagax non facit saltum, sed in omnibus paulatim & successivè procedit; cum ejus opus sit opus intelligentiæ divinæ, prævisione utens absq; errore progreditur, maximè autem in metallorum perfectorũ generatione, in quibus natura à materia ipsorum prima remota, scilicet humido aqueo incipiens, per caloris actiones & modos mixtionũ mirabiles vobis incognitos, in ipsis terræ visceribus format ex eodem primum semen mundum, incorruptibile, multam habens benedictionem, videlicet humidum mercuriale unctuosum terreo subtili mixtum, fortissimè incorporatum, quæ materia prima propinqua ac verum medium inter extrema, (aquam nempe & argentum vivum metallicũ) verè medians nuncupatur. Quod postea post caloris actiones ulteriores suosq; modos ipsa natura inspissat in metalla.

Causas finales quatuor ponit Basilius 1. Gloria creatoris, 2. Admiratio sapientiæ Divinæ, 3. Cognitio & scientia hominis. 4. Vtilitas seu usus necessarij, ex quibus non ultima existit medicina.

Repetamus omnia in gratiam studiosorum juniorum sub compendio: Causa efficiente

mine

mineralium quatuor existunt. 1. *Est Causa Causarum Creator omnipotens, qui omnia formavit ex nihilo in ipsa creatione, & à quo principaliter dependet productio Formarum specificarum, quæ prorsus divina est & à solo Deo originem ducens. Formæ namq; specificæ neq; à supernaturalibus seu spiritualibus vel cœlestibus causis neq; à naturalibus formantur, sed exemplar à Deo receptum solummodo in individuis multiplicatur ab Archæo.* 2. *Est imaginativa facultas supercœlestis, cujus effectus est, formã specificam spiritualem infundendi materiæ, per virtutem vitalem sibi datam à Creatore, & per virtutem magneticam ipsi assistentem.* 3. *Est motus cœlorum, & syderum effluxus atq; influxus luminosi, calidi, specificè formati ad normam septem planetarum.* 4. *Archæus terræ, qui non tantum excitat formã specificam metallorum & mineralium juxta regulas, à Creatore ipsi præscriptas, in ipsa terra; verum etiam dirigit vim magneticam, terræ concreditam & cœlesti correspondentem, ad cõceptionem formarum cœlestium & influentiarum appetendam: verùm etiam semina concepta & formata operatione sua deducit ad*

adesse completum mediantibus instrumentis sibi à Creatore in materia concreditis.

Causa formales *Causæ Formales quatuor existunt: Duæ*
1 *internæ, & duæ Formæ externæ.* 1. *Est forma spiritualis, cœlestis, substantialis, specifica, descendens à superiori parte mundi tanquam masculina in inferiorem fœmineam per influxum & motum cœlorum ac syderum dispo-*
2 *sitionem.* 2. *Est Forma substantialis corporea terrena, specifica, egrediens è sinu terræ in materias elementales per motum imagi-*
3 *nationum Archæi.* 3. *Est forma composita materiæ primæ seu seminis metallici, vel communis vel specifica juxta mixturam proportionatam elementorum seu principiorum, eaq; vel fumans, vel liquescens, vel coagula-*
4 *ta.* 4. *Est Forma externa cujusq; mineralis vel metalli, ad perfectionem ultimam perductа post suam coagulationem completam, quæ à sensu percipitur.*

Causa exemplares *Causæ exemplares sunt tres,* 1. *Et princi-*
1 *palis est semen specificum à Deo creatum & electum, quo mediante omnes generationes tam mineralium, quam vegetabilium & animalium usq; ad finem mundi in suis indivi-*
2 *duis propagantur.* 2. *Est tantum secundaria scilicet influxus septem planetarum, quæ quidem*

dem imago in mineralibus consideratur ut generalis, quatenus scilicet sunt mixta simplicia sub forma quantitativa incerta; In vegetabilibus autem est magis determinata & specifica, in Animalibus verò ferè individualis præcipuè in homine, quatenus scilicet in quolibet individuo humano, cœlestium operationum effectus particulares observantur. 3. Est motus & ordo naturæ, quo utitur sine errore ad productionem corporum istius regni mineralis.

Causæ Materiales septem existunt, 1. Est globus terrenus cum elementis generalibus sibi immixtis tàm puris quàm impuris. 2. Elementa specificata ex elementis communibus generata, & excitata per causas efficientes. 3. Anima spiritus & corpus ex prædictorũ parte pura, 4. Tria principia mixta scilicet Mercurius Sulphur & sal, ex prædictorum partibus puris & impuris. 5. Fumus mineralis inde compositus. 6. Aqua mineralis ex resolutione fumi prædicti orta, & hæc est vera & proxima materia mineraliũ in operibus naturæ, differens pro dispositione mixtionis. 7. Mineralia, quæ præter dictã materiã proximã seu aquam mineralẽ sunt ma-

materia proxima nutrimenti scilicet metallici.

Instrumentum triplex calor est, lumen seu ignis cœlestis, sulphureus, atq; nitrosus.

In modo generationis observantur gradus sequentes. 1. Creatio formarum specificarum & materiarum à Deo & Natura ejus famula post creationem perfectam. 2. Influxus supercœlestis magneticus. 3. Motus firmamentalis. 4. Imaginatio spiritualis. 5. conceptio terræ. 6. Formatio primæ materiæ in fumum, 7. Resolutio istius fumi in aquam mineralem. Decoctio hujus aquæ, & evaporatio superfluæ humiditatis, cum nutritione debita, ex qua prodit corpus metallicum, vel minerale, formatum sub forma coagulata, vel etiam currente, ut mercurius vulgaris.

Post metalla & mineralia metallica, quæ sub forma fluxibili argenti vivi in igne apparent, magnam globi terreni partem constituunt sulphura. Est autem sulphuris generale nomen attributum omnibus iis corporibus, quæ comburuntur vel cum inflammatione, vel cum adustione simplici denigrativa, quæ adustio accidit ex defectu materiæ pinguioris exhalare valentis. Vtuntur tamen Philosophi nomine sulphuris, etiam in iis corpori-

bus

bus, quæ penitus non comburuntur, utpote aurum, in quo pars sicca humidam coagulans sulphur non urens vocatur. Auro autem præ omnibus talis inest mixtio, unde etiam soli cœlesti comparatur. Huic tamen addenda sunt lapidum pretiosissimorum genera, quæ nec ipsa ab ignis violentia superantur. Metalla autẽ reliqua talia non existũt à natura, nisi fortè per artem depurentur, cum conservatione substantiæ aureæ in ipsis latente. Cum autẽ in præcedentibus satis explicata & resoluta sit materia metallorum, ita ut inquirenti inde patere poßit, quid sit pars illa mineralium, quæ sulphuris nomen ibi portat, ideo pauca tantum de sulphure propriè & communiter sic vocato hic subjungimus, reliqua sub Elemento ignis consideraturi. Sulphur istud est pinguedo terræ vel gummi terræ, quod generatur in propria sua minera ad modum reliquorum mineralium. Distinguitur in multas species juxta considerationes sensuum; juxta visum enim est multorũ colorum, juxta odoratũ omne minerale, quod comburitur, est fœtidum: in animalibus autẽ bonum habens odorem: In vegetabilibus & animalibus similiter habet odorem male olentem. Distingunt præterea in pingue &

Aurum

lapides pretiosi

Metalla

Sulphur

ſiccum, vivum & mortuum, volatile & fugiens, liquabile vel non liquabile. Arſenicum autem vel auri pigmentum non multum diſtat à compoſitione ſulphuris, quare etiam à quibuſdam inter ſulphura computatur.
Sulphur *Sulphur autem vulgare, cujus hoc nomen proprium eſt, deſcribitur & indagatione reperitur per examinationem ignis, quod ſit aqueitas commixta cum terreſtreitate viſcoſiſſima, cum fervente calore in compoſitum unctuoſum, quod propriè eſt ignis terreſtris evaporans ſub forma flammæ, fœdans omnia atq; denigrans & conburens & deſtruens, frangens & pulverizans atq; conſumens; quæ omnia etiam ipſi accidunt. Vel ita: Quod ſit corpus oleagineum, compoſitum cum terra ſubtili & aqua fortiter imbibitum humiditate aërea pingui & unctuoſa, ſolubile à calido, coagulabile & coagulatum à frigido. Geber ipſum ita definit: quod ſit pingvedo terræ in minera terræ per temperatam decoctionem inſpiſſata, quousq; induretur & ſicca fiat, & cum indurata fuerit, tunc ſulphur vocatur; habet autem fortiſſimam compoſitionem & eſt uniformis ſubſtantiæ in ſuis partibus homœomera, & quia homogeneum eſt, ideoq; non auffertur ejus oleum ab eo per deſtilla-*

stillationem, sicut ab aliis rebus oleum habentibus. Huic contrarium docet Bacon, quod nempè sulphur in suas partes per separationem dividi possit, mediante quâ tres humiditates tanquam partes constitutivæ istius compositi reperiuntur. Prima est Aqua phlegmatica non comburens nec denigrans, sed in igne evaporans. Secunda est aërea & unctuosa, & cremat & comburit & denigrat, & frangit metalla omnia, & hæc humiditas in sulphure auri ferè non est, aut modica, aut nulla & modica in sulphure argenti, multa in plumbo, stanno, cupro, ferro &c. Tertia autem humiditas est radicalis & naturalis, per quam conjunguntur partes substantiales ipsius, & hæc est aqua sulphuris quæ ligat terram ipsius, & per quam pura sulphuris substantia constat & conjungitur. Hanc humiditatem vocat Hollandus spiritum nobilem, qui in omnibus sulphuribus reperitur, et dicit ipsum esse maximæ utilitatis. Humiditates istæ ligantur in corporeitate terrestri, quod ligamentum Geber prædicat inseparabile, unde concludi potest, quod de alia quadam substantia loquatur. Nam ipsa sulphuris combustibilis natura, dum inflammatur, oculotenus contrarium testatur. Ignis

 enim

enim iste seu forma combustibilis corrumpit res omnes atq; similiter seipsam, & cuicunq; composito combustibilis pinguedo inest, id imperfectum est, ac cito perit & in partes redigitur. Spiritus enim bonus in ipso latens sub tali forma diu quiescere non potest, quare metalla immunda, corruptibilia sunt & multo plus vegetabilia & animalia, quæ per proprium ignem sive flammam sensim consumuntur. Observet igitur lector cautelam de perverso usu balsami sulphuris, ut ipsum vocant, qui nuper adeò per ignorantes in vulgus seminatus est, ut publica admonitione correctorium mereatur. Dum enim hoc oleum, quod nihil aliud est nisi merus ignis, corpori sine omni consideratione immiscent, tunc sanguinem aëreum convertunt in ignem depascentem & consumentem, sibiq; in hac vita infernum fabricant inextinguibilem nisi per mortem, dum semel fuerit accensus. Quæ enim medicina ipsum invalescentem extinguere posset? Quod autem pejus est stultitia ipsa, est illud, quod totum istud terræ stercus malè præparatum intra corpus sumant, quod tamen levi labore in oleum pulchrum quoad visum penè aureũ potest destillari, relictis in fundo

par-

partibus crassioribus & tenacioribus. Hoc tamen semper est oleum sulphuris, quod nulla depuratione emendatur. Aliud enim est sulphur medicorum quod per magisterium perficitur, Venenum bonum transmutabile in theriacam, cujus partes sunt magnesia corpus seu compositum ex quatuor sulphuribus, quæ vocantur animæ elementorum, quæ per artem extracta se invicem continuerunt; cujus compar est alterum sulphur denigrans istud atq; dealbans, quod tamen in opere priori jam est dealbatum, quæ duo per tertium conjuncta, quod ignis eorum existit, per decoctionē artificiosam combinantur in sulphur naturæ, quod vocant aquam sulphuris mundā de qua dicunt, quod sulphura sulphuribꝰ continentur, id est, ut Democritꝰ loquitur, Elemēta cœlestia & ignea continentur à terrestribꝰ; unde tandem fit ultimū sulphur, quod est illud quod dixi, verus scilicet balsamus sulphuris nō comburentis, quia ex perfectissima substātia unica totius naturæ corporeæ componitur. NB

Quid autem de sale dicemus? An cum sapientia Talmudica Rabinorum ipsum ex globo terræ relegabimus? Ranā enim suam hydropicam ejusq; argutam explicationem per notarium suum Gentiū, nuper in lucem ediderunt, Sal

ubi inter triginta quatuor globi terreni partes ne mica quidem salis reperitur, sed omne per sapientiam illam ingentem & incomparabilem Talmudicam in mare relegatum: quo factum, ut rana ista ex toto totius corporis sale evacuato & resoluto in tumorem tantæ magnitudinis excreverit, ut sexaginta domorum altitudinem æquaret. Hæc igitur legens dixi, quæ hæc est sapientia tam magna, tantum vociferans & crocitans, quæ præcipuæ totius terreni globi partis obliviscitur? Quæ verò Symbolo & charactere sapientiæ non est decorata? Quid aliud esse potest quam Rana putrida, animal inconditum, horrido & ingrato sono, non miracula naturæ (quod equidem sapientes isti in cerebro suo prætendunt) sed monstrosam vanitatem Talmudicam exprimens, non ut philomela variegata & ordinata voce multiformem opificis mundani ornatum. Quomodo ergo subsistere potest corpus istius Sapientiæ sine sale, quod solum est à putrefactione conservativum & unicum vinculum totius universi. Ne ergo & nos stultitiæ ejusdem nos reos faciamus, inquiramus paulisper naturam salis, licet fortè difficile sit aut impossibile, ad ejus cognitionem perfectam atq; com-

completam pervenire. Hoc confirmat quidam philosophus dicens, quod salis natura interior nec hominibus, nec dæmonibus, nec Angelis, sed soli Deo Creatori patescat. Hæc tamen difficultas licet ab adeptione cognitionis perfectæ, attamen ab admiratione hujus creaturæ divinæ nos nequaquam arcebit. Est enim verissima creatura divina per verbum Fiat producta, licet à pluribus ejus origo modo hinc modo illinc opinionibus eliciatur. His verbis causam ejus efficientem designasse satis est, cum aliam non habeat. Vnde etiam ipsum cum Homero hoc respectu divinum appellare possumus, & cum multis Philosophis aquam divinam, utpote talem, quæ ab ipso DEo, fuerit fabricata, ac multum de ejus imagine & benedictione participaverit. Salis nomen quidam à salo vel mari deducunt, ideo quod in mari ipsum oriri putent: alij à sole, quod sicuti Sol inter stellas, sic sal inter omnia corpora terræ virtutibus suis atq; lumine sit venerabile: alij ex græca lingua mutuatum existimant. Nos grammaticis ista relinquimus, ad considerationem rei properantes. Locus Salis universus existit mundus, in omnibus enim corporibus ipsum reperiri, experientia inqui-

sitionis confirmat. Neq; enim tantummodo in mari, neq; etiam solummodo in terra, sed etiam in aëre, imo etiam in globis cœlestibus & supercœlestibus locis (licet fortè sub forma subtiliore) eum fuisse collocatum per separationem primam divinam, dum chaos in tria divideretur, prima pars libri hujus sat lucidè puto demonstravit. Licet enim in Chao omnia sub forma aquosa fuerunt procreata propter phlegma superabundans: aqua tamen illa erat mixtura omnium partium Elementalium, mundum universum constituentium, exceptâ Luce. Hujus autem aquæ prima separatio à Deo sub compositione sua mixta peracta est, cui successit rarefactio firmamenti ex utraq; partium: Vnde ratione concluditur quod sicuti in mixtura aquæ inferioris, & omnibus, quæ inde postmodum fuerant producta, natura salsa cum cæteris reperta est: Ita similiter in partibus aquarum supercœlestium, ex quarum substantia postmodum astra firmamenti fuerunt evocata. Qua quæso ratione fax mundi perpetua & incombustibilis, perpetuo urendo non destrueretur, nisi corpus ejus fundamento hoc inconsumptibili atq; perenni foret fulcitum? Verum ad nostra.

Glo-

Globus terrenus maxima ex parte per & in substantia salis subsistit. Nonne tota terra constat ex lapidibus mineralibus atq; metallis, cum terris bolaribus & pulverulentis, quæ omnia salis plena reperiuntur. Supra, dum lapidum, saxorum, & arenarum naturam inquirebamus, observatum est, totam ferè substantiã esse salsã, terra subtili pulverulenta fortiter obductã, licet juxta proportiones diversas, atq; hoc nõ opinione vana sed verissima experientia visibili palpabili atq; gustabili. O stulti judæi aperite aures & oculos, & manibus palpate, quam ignari sint magistri vestri talia nescientes! Verum non tantum in membris suis compositis globus terræ sale refertus est, sed etiam plenus substantia salsa nudæ reperitur. Cujus tamen species realiter distinctæ non nisi tres reperiũtur, quæ sunt Nitrũ, Virtriolum, & alumẽ, quarũ radix est sal commune, quod idẽ est cum sale gemmæ, quod ianquã minerale ex mineris suis & venis terræ effoditur. Reliqua enim salia vel sunt per artem composita, vel per naturã in regno minerali, vegetabili, vel animali specificata per formas specierum, quæ dant esse rei. De origine salis jam sumus loquuti, sequentes firmo pede Divina signa, quare neq; ex aqua, Salis species quot.

vel mari, neq; ex terra, neq; ex aëre ipsum deducimus, cum sit substantia perpetua in se ipsa, per voluntatem Creatoris firmiter & immutabiliter subsistens. In chao enim fuit, quia in eo à Deo fuit creatũ: In mari, quia ibi à Deo est locatum: In terra, quia ibi ab eodem est radicatum atq; fundatum; in aëre, quia vapores ascendentes & descendentes ipsum portant atq; reportant, & ita generationis suæ gloriam nulli elementorum, neq; Naturæ generatrici, sed soli Deo tribuit, quia ipsum est Elementum & natura vivens atq; operativa mediante suo spiritu vegetante à Deo ipsi infuso. Qui salem in cineribus quærunt & in phlegmate, ita ut tanquam per transmutationem, igne vel alio modo inde prodeat, illi vivum quærunt inter mortuos, in cerebro suo sale vacuo malè syllogizantes, cum nihil id dare possit quod non habet, Philosophos sapientes, qui scientias suas per allegorias tradere solent, hic non tango, quicquid dixerint, certus existens, quod sciant quid dicant, licet ignari & defloratores librorum illud non capiant. Quare, etiamsi dixerint salem & Venerem ex mari esse generatam, vel salem ex aqua, terra, aëre & igne prodiisse, hæc me nullatenus conturbant, novi enim

quod

quod vera loquantur, licet in verbis videantur dissentiri. Hoc enim est totum illud, quod omnes elementorum vires & formas inducere prædicant, quam sententiam hujus loquelæ ignari de elementorum vulgarium conversione ineptissimè interpretati sunt. Hoc est illud, de quo dicit Hermes, loquens de tribus faciebus ex uno patre, quæ loquebantur uno sermone dicentes, eamus quæsitum quatuor elementorum naturas, quas ex ventre terræ fœminæ producunt; De quibus satis.

Si substantiam salis per sensus examinaveris, reperies ipsum juxta visum omnium colorum. Est enim albus ut aqua, viridissimus ut pulcherrima terræ gramina, citrinus ut crocus vel aurum, vel favus melle repletus velut aer radiis solaribus & lumine illustratus: Rubicundissimus, ut anthrax vel carbo nondum extinctus vel ut carbunculus pretiosus: est etiam niger (ex accidente) & tandem omnes pulcherrimos, subtilissimosq; colores aureos argenteosq; splendores lucisq; germina in se complectitur; Qui specimen hujus veritatis videre desiderat, capiat sambucum, ipsumq; calcinando in cinerem convertat, salem exinde aquâ elixet, post aquâ

eva-

evaporata ad muriam vel consistentiam, lagena infundat, obturatoq; ore ponat intra cavernam fornacis: tunc videbit colores totius mundi ad latera vasis sub variis pulcherrimisq; formis, visu delectabilibus, ornata, & quasi de aurata. Colores isti per calorem renovantur, per infrigidationem verò iterum quasi in latebras suas aliquantum recedunt, fermè sicut species seu phantasmata in memoria humana: attamen adeò firmiter vitro adhærent, ut plus quam dimidio anni spatio, nulla aqua potuerint inde ablui, sed semper vestigia suæ impressionis servabant. Si aurium examen adhibeas, tunc salem in igne crepitantem percipies, dum videlicet partes aquaticæ atq; terrestres per violentiam ignis inde separantur, quæ ejus heterogenea sunt. Salis enim particulæ hinc inde exsiliunt, unde etiam quidam nomen salis derivare solent, quasi ita dicatur à saliendo. Odor ejus aliquando fœtidus, aliquando aromaticus sentitur juxta naturam extraneorum, sali in operibus naturæ admixtorum. Gustus ejus acris, acido, lenis, amarus, aluminosus atq; etiam dulcissimus prodit, secundum quod fuerit purus vel impurus. Istæ namq; secundariæ qualitates ex compositione resultant diversorum elemen-

to-

torum, quâ sublatâ tollitur etiam accidens: præcipuum autem gustus vel saporis objectum sal est, pulvis enim & phlegma pura, sunt insipida, & à Salis mixtura cum cæteris elementorum spiritualium proprietatibus, fiunt saporosa. Considerent itaq; ij, qui gustus objectum ex formis mathematicis quantitativis utpote trinangularibus, quadrangularibus &c. speculatione educũt, ne decipiantur: Etenim accidentia ista sunt valdè mutabilia & citò vel per additionem vel per ablationẽ transformantur: interim tamen non nego, ex materia prima, forma sphærica & luce, omnia secundaria prodire nihil autem sine aliquâ ex istis. Tactus ejus aliquando siccus & durus, aliquando mollis & impalpabilis, scilicet si totus fuerit resolutus in aquã. Atq; hac ratione unica salis substantia omnium elementorum naturas imitatur. Nam dum coagulatus est pulvis, existit ut terra, ast non ut terra lutosa, sed ut terra virginea, quæ nulli miscetur inquinationi: Dum verò congelatur in glaciem, tunc vel crystallum vel gemmam, vel aquam gelatam quoad visum tam perfectè repræsentat, ut discerni non possint: Dum totus solutus est aqua existit, currens ut aqua in plano

non

non quiescens, sed alieno termino indiget, ut terminetur & contineatur: Dum in fumum convertitur, tunc utiq; vapor est; dum omnia penetrat, aër & spiritus: Dum verò omnia destruit dissolvit atq; secernit, nonne igne est validior? Dum verò omnia fovet atq; à putredine conservat, vincit ac unit, formar, coagulat, vivificat atq; confortat, nonne animam & spiritum æmulatur? Imo nonne spiritus & animæ sedes est; in quo solo formæ specificæ veræ radicantur? Quare non immerito à sapientibus anima terræ vocatur, ipso enim à terra & aqua separato, hæc duo sunt corpora mortua, nullam virtutem operativam in se continentia, saliq; tanquam pro habitaculo, vehiculo & instrumento coaptata. In sale enim solo quicquid benedictionis ex creatione relictum est reperitur & conservatur. Quid ergo, ô judæi, est sapientia vestra sine animâ? Res mortua & omnino vili pendenda? Lapis magnes à quibusdam animatus vocatur, ideo quod sensu quodam occulto & virtute operativa ferrum agnoscat & ad se trahat: Vnde autem magneti virtus ista, nisi à suo sale & spiritu vegetativo in sale latente? Qui si per calcinationem ipsi adimatur, magnes etiam istam virtutem amit-

amittit. Sali certè inest vita corporea qualiscunque, non ex natura sed ex præsentia spiritus animati vitalis. In sale enim vegetabilium viget vita eorum tanquam in humido radicali, mediante sale ascendunt & elevantur in altum, quod testantur ramusculi illi, similes ipsis arbusculis in suis formis; nam pulvis terrenus sine sale nunquam exaltaretur, quia de sua natura centrum appetit. In sanguine animalium est anima & spiritus eorum, in sanguine scilicet salso: Sicuti enim sanguis ferè per totum corpus extenditur, ita sal sanguinis per totum sanguinē benè proportionatū, spiritus autem ac anima per totum salem. Quid dicam? Juxta puritatem dulcedinem & fortitudinem spiritualem substantiæ salsæ dirigitur omnis perfectio creaturarum, atque in ea sola percipitur. Hoc sapientia Dei, cujus vocem Talmudistæ insulsi non capiunt, nobis insinuat in dicto suo admirando, ubi Apostolos suos sali terræ comparat, non autem infatuato seu stulto, sed spiritu vitali repleto. Nam sicuti salis natura perpetua, centrum fundamentale & incorruptibile globi terreni existit, ita etiam principes electi in fundamentum legis Christi nunquam peritura. Et sicuti substantia salis spiritus vitalis expers

pers non est nisi terra fatua & stulta, sicut rana hydropica judaeorum, quae neq; utilia sunt vel ad saliendum, vel ad sapientiam praedicandam: Ita quoq; sal terrae apostolicum sine repletione spiritus sancti Dei non foret utile, non dicam ad beatitudinem temporaneam producendam, sed multominus ad vitam aeternam: cujus praesentia fit simile sali, non infatuato, sed spiritu vero coelesti non corrodente, comburente & devastante repleto; quod est virtus & medicina totius universi, & aroma aromatum prae caeteris omnibus eligendum, sine quo nihil subsistere nec vivere potest. Istud ergo sal igneum, ignis spiritus sancti, de quo loquitur apud Marcum 9. v. 50. omnes saltat necesse est, qui dicta sapientiae divinae, & facta ejus in operibus naturae capere debent. Istud sal igneum ligamentum pacis est inter Deum & hominem, & inter membra Ecclesiae Apostolicae, unitate & tranquillitate pacis gaudentia, quod totum mundum Dei firmiter connectit, sicut sal creatum ubiq; locorum repertum totum universum virtute sua viva spirituali. Cum igitur sapientia Talmudica isto Sapientiae fundamento careat, ideo quasi rana ex propria putrefactione progenita in propria

etiam

etiam putredine peribit. Est proverbium quoddam dicens, quod ad lactucam bene præparandam tres homines requirantur, Stultus, avarus, & sapiens: stulti officium est, ut oleũ verset, avari, acetum, sapientis vero munus, ut mixturam suâ prudentia justo salis pondere temperet. Hoc igitur cum toti vestræ ranæ penitus ridiculæ, imo toti vestro libro desit, ideo similis est lactucæ piperatæ satyricæ, acidæ & pingui, multo quidem flagrans & urens oleo stultitiæ combustibili, parum autem condita aromate sapientum.

Supra tres species nudas salis terræ sub unico salis communis vel gemmæ genere posui, ubiquidem quis objicere posset, Vitriolum esse sal metallicum, ad naturam cupri specificatum: & quod non sit aliud nisi stillicidium Veneris. Ad quod respondeo; terras vitriolatas in pluribus reperiri terræ locis, ubi nullum cuprum generatur, sed vitriolum solum tanquam in propria minera residet, unde tanquam sal per se etiam rite consideratur, licet omne vitriolum propter Sulphur heterogeneum sibi admixtum ad proprietatem cupri declinet. Cum autem intentio istius libelli ad specialia tractanda non declinet: ad nostra regredimur.

Sal qualecunq; à natura coagulatum impuritates sibi habet admixtas, ita ut sal de pulvere terræ & phlegmatico elemento partes suas in se contineat eadem ratione, sicut ista duo Elementa salem in ventre suo abscondunt. Mare enim & Terra sale repleta, & sal è contra terrâ & aquâ, ut dictum est. Hinc etiam ex parte accidit, quod salis compositum in partes sese dividi & separari patiatur: quod si ab omnibus heterogeneis esset liberum, tunc substantia homogenea existeret. Omnia salia dum per destillationem examinantur, vel existunt substantia totaliter spirituosa: Vel in partes spirituales, corporeas & medias secerni possunt. Prærogativa autem matri salium, scilicet sali communi, debetur: tum quia aptissimum est pro nutrimento hominis, tum quia Spiritus ejus multo nobilior atq; subtilior, & multo minus corrosivus ac nocivus existet, quam reliquorum salium terræ, ex quibus aquæ fortes rerum destructrices conficiuntur. Balsamus ejus excellentissimus est conservatio corporis humani, (si proportionatus fuerit) inimicus putredinis, quam diu à Spiritu vitali non fuerit destitutus. Hoc sal in tres partes destinctas dividi potest, quæ tamen unius sunt

Balsamus salis

sunt substantiæ atq; naturæ, unde Magni sui Creatoris possidet imaginem. Primum enim q̃ud transit, est spiritus de natura mercuriali, prout loquuntur Philosophi Chymici: Secunda pars ipsum sequens est sal oleagineum optimi odoris de natura sulphurea, quæ in forma florum citrinorum ascendit. Quod remanet, de natura terræ est, & sine spiritu suo ac anima est corpori mortuo simile, nullius existens efficaciæ atq; valoris. A partibus igitur separatis superfluum phlegma & quicquid pulveris sicci terrestris immixtum est separari possunt, & partes salsæ tandem depuratæ iterum in unum conjungi. Nigredo, impuritas, aciditas, & acor salis ex ægritudine accidentium ipsi supervenerunt, perfectio ejus est dulcedo, permanentia & luminis ignei ibi latentis protectio. In hisce materia & forma salis generaliter descripti consistit: tuum est ad specialia cogitationes dirigere.

Difficile tamen dictu est, quid sal existat in seipso consideratum, difficilis etiam perscrutatio ejus originis. Quidam radicem ejus in mari, quidam mineram ejus in terra existere putant, quidam ex aëre ipsum descendere & coagulari, atq; aërem vocant

coagulatum, quidam vero ex ipso cœlo, & super cœlestibus locis ipsam deducunt: tot autem sententiæ ex eo oriuntur, quod sal ubiq; reperitur. Unde etiam concludendum, quod radix ejus ubiq; locorum existat: Imo potius quod nullam habeat generationem aut radicem, cum nobilitatem suam, ut jam dictum est, ex antiquitate Chaos deducat. Quodcunq; enim est substantia perpetua illud nullo modo subjectum est alterationibus generationis.

Quod autem ex locis in loca moveatur, ascendat atq; descendat, id perfectio naturæ ejus requirit, cum sit vehiculum spiritus Universi vitalis. Johannes Tölde vir doctus atq; expertus in cognitione naturæ istius, in sua Saliographia prædictas sententias optimè refutat, sua tamen, quam ponit, & quam ex Basilio imitatus fuisse videtur, nec ipsa caret dubio: cum generationem sali tribuat, quod nullam patitur corruptionem, sicut nec vita mortem: cumq; sit totum & omne illud præcipuum, quod est balsamus corpora mixta defendens à putrefactione & corruptione. Exemplum illud, quod de salis petræ generatione proponit, nullam salis generationem demonstrat, sed tantummodo salis jam subsistentis coagmentationem & coacervati-

Johannes Tol de ——

vationem, quæ accidit beneficio attractionis spiritualis; quam etiam sententiam hujus viri honorandi fuisse nequaquam dubito, licet ipsam sub allegorico generationis vocabulo obscuram reddat, cujus elucidatio nobis in hoc libello incumbit, de rerum veritate omnia ferè apertè scribentibus. Quanquam enim terra, in quo salpetræ ita coacervatur penitus videatur evacuata esse ab operatoribus, impoßibile tamen videtur, quod ita exactè evacuari poßit, ut aliquid de sui residuo in terra non remaneat, quod mediante virtute sua, suum simile aliunde iterum attrahere poßit. Nam, ut Sendivagius ait, sal sali facilè jungitur; & ita Salpetræ incrementum sibi acquirit, etiamsi tota quoq; evacuatio salis petræ ex matrice concederetur, modo nonnihil de virtute Spiritus attractivi residuum fuerit. In ista enim vis omnis magnetica consistit. Nulla ergo datur generatio salis, sed tantum coadunatio vel concentratio dispersi & rarefacti, quod pluribus modis iterum potest incrassari: scilicet vel per attractionẽ, vel per calefactionem radiorum solariũ, vel per admixtionẽ partium terrestriũ, quibꝰ cogitur adhærere, sed non fortiter aut inseparabiliter: atq; hæc accumulatio fieri potest

tam in aëre, quam in mari, ac terræ globo, cum nulla pars universi hac substantiâ destituatur. Difficile insuper dictu est, quid sal existat, aliis de causis. Est enim fixabile super ignem, ita ut nulla violentia ejus, cum inde propellere possit, ex quo monstrat, se possidere naturam centri. Et rursus adeò est aëreum ut in rarefactum tenuissimum vel ab arte converti possit, vel etiam in natura sub tali forma reperiatur. Non enim solummodo spiritus salis destillati sine omni igne in altum scandunt, atq; sub forma fumi subtilissimi quasi in nihilum sese reducunt, in aërem evavescendo: Sed etiam salia quædam coagulata ejusdem naturæ existunt, ut nisi sub sigillo contineantur, sensim rarescant atq; effugiant. Mira insuper tradunt de salibus viri docti & experti, quod vel per fortissimam attractionis virtutem per vitra fortissima attrahi possit: & rursus per vitra eadem firmissimè clausa igne supposito urgente pelli possint atq; effugere, unde naturam cœlestem & luminosam satis testantur: Hæc tamen non omnium salium proprietas est, sed eorum, qui ex benedictione spirituali plus virtutis receperunt. Quicquid sit, substantia salis semper sibi habet admixtam aquam

phleg-

phlegmaticam, sive sit sub forma salis, sive sub forma spiritus destillati. Licet enim sal vel in pulveris formam desiccetur, ita ut nihil de aqua sibi adesse videatur, attamen phlegma ibi absconditum per destillationem fit rursus manifestum, & è contra salis substantia sub forma liquida absconditur. Sal in aquam resolutum dum iterum coagulatur crystallisando, tunc aquam sibi necessariam rursus in ventre suo claudit, licet usq; ad pulveris gradum decoquatur. Per separationem artificiosam phlegmatis superflui & partium crassarum sal vertitur in oleum liquidum, quod oleum licet densioris formæ appareat quam spiritus destillatus, attamen ejus liquiditas præsentiam phlegmatis sibi fortiter admixti testatur, unde patet, quod etiamsi vel ad extremam perfectionem separationis perductum fuerit; semper tamen de natura aquæ phlegmaticæ sibi admixta conservet, licet nihil amplius per evaporationem inde elici queat. Phlegma enim est unicum elementum mundi, quo omnis fluxus sive frigidus sive calidus esse suum participat. De his optimè loquitur Avicenna subtilissimus dicens, quod subjectum liquefactionis existat humiditas currens, permixta partibus siccis

terræ. Nam in sale, ut dictum est, non solum præsentia aquæ se conspiciendam præbet, dum liquescit; Sed etiam natura terræ, dum exsiccatur & pulverisatur etiam sub forma suæ extremæ perfectionis sicuti gumma fluens in igne & infrigidatum contritionem sustinens. Humiditas currens enim, ut ibi ait Avicenna apparet ut liquefacta, dum movetur in partibus siccis, cum resolvit eas ignis, & non est possibile, ut moveatur ab eis (scilicet evaporando) propter vehementiam commixtionis. Hinc addit: & invenimus causam evaporationis, scilicet humiditatem non vehementem in eo commixtam, quæ elevatur ab eo & egreditur. Cum igitur salis natura tam subtiliter sit abscondita, concludo considerationem ejus observando: quod sicuti ex ejus fixitate natura centralis colligitur, ita ex ejus raritate volatili natura lineæ & circumferentiæ appareat, ita quod salis substantia in materia sua participatam habeat formam sphæricam substantialem totius universi, & imaginem infallibilem ac perfectissimam infinitæ sanctissimæ Trinitatis. Unde etiam huic operi tanquam muneri primitiarum Creatori oblato, salem adjungere volui tanquam creaturam, qua ipse summopere delecta-

lectatur, quod patet ex lege ejus & mandato, quo præcipit omnem oblationem muneris sale saliendam; hoc enim est oleum incombustibile fragrans conservans fœdus & pacem totius universi.

Cap. IV.

De Elementis simplicibus.

Doctrina Vulgaris de 4. Elementorum natura diu inter Physicos trita est, ast cum errore. Globum enim terrenum ex pluribus compositum pro elemento terræ constituerunt, Mare pro elemento aquæ, & illud omne, quod superficium horum tangit ac supereminet, pro aëre sumpserunt, super quem collocarunt circulum quendam flammantem igneum, quæ opinio omni sensu ratione & revelatione divina totaliter vacua est, cum ignis flammæ in tali loco locum non habeat, utpote ibi destitutus materiâ & fomento, unde & esse & nutrimentũ suum recipere possit, præter multas alias absurditates, quæ ex hac positione pullulant. Non nego equidem, ista jam descripta esse elementa corporum mineralium vegetabilium & animaliũ, non autem concedere possum, quod sint elementa prima, simplicia, & partes generales, atq; immu-

biles universi. Nam ista elementa ex pluribus sunt composita, & per consequens iterum in alia elementa resolubilia, quae utiq; priora & simpliciora existunt suis elementatis. Error iste enormis originem suam desumpsit ex verbis Mercurij Trismegisti (philosophi antiquissimi, qui, ut ex historiis aliisq; monumentis antiquitatis colligitur, ipsum Moysen in vita praecessit, nam paulo post diluvium vixisse videtur) malè consideratis & intellectis. Hic enim in Pimandro Creationem rerum describit per revelationem quandam naturalem & intelligibilem, in pluribus cum ipsa Dei traditione convenientem. Vbi cum primo chaos formationem posuisset, mox Elementorum separationem subjungit, de quibus ita loquitur: Visus sum mihi cernere quendam immensa magnitudine corporis, qui me nomine vocans &c. His verbis tangit Creatorem in abysso illa infinita absconditum, quem corpori infinito corporat, vel tali, quod mensurari non potest: ubi sequitur: Cum haec dixisset, mutavit formam, & universa subitò revelavit: Quibus verbis innuit, tenebras oculorum per illuminationem lucis Divinae ei fuisse sublatas, ait enim: Cernebam immensum quoddam spectaculum, omnia videlicet

comparat

in

in lumen conversa suave nimium atq; jucundum, quod intuentem me mirificè oblectabat. Mox explicat, de qua luce loquatur, scilicet de Divina, non de Creata, sic enim Pimandrum introducit loquentem: Lumen illud ego sum, Mens, Deus tuus &c. His in ordine successit observatio Vmbrarum in chao apparentium, de quo ait: Paulo post umbra quadam horrenda obliqua revolutione subterlabebatur, in humidamq; naturam migrabat ineffabili tumultu exagitatam. Hæc Mosis sic describit: Tenebræ autem erant in superficie aquarum, & spiritus Dei agitabat sese super aquas: Tum dixit Deus, fiat lux, & fuit lux: Vbi Hermes: Inde fumus quidem magnus erumpebat. Vnde fumus iste? nonne à lucis adventu & ejus calore? fumus autem iste, ut dicit, in sonitum erumpebat, hoc est, cum fumo simul & sonitus audiebatur: ex sonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem existimabam, ex hac luminis voce verbum factum prodijt, id est, verbum, per vocem luminis factum, audibile factum est: non enim factura istius verbi pro creatione aliqua sumenda est, cum sonitus, vox, & verbum luminis, quod Deus erat, existeret: Sed ut Moyses loquitur breviter & distinctè: Dixit

Deus:

Deus: Idem vult & Hermes. Verum hoc (verbum) naturæ humidæ astans, eam fovebat: Hic incipit separationem elementorum, quæ facta est per verbum, quarum prima fuit lucis à tenebris juxta Moysen: & ignis levis juxta Hermetem: dicit enim: ex humidæ autem naturæ visceribus syncerus & levis ignis protinus evolans alta petiit: aër quoq; levis spiritui (id est lumini) parens mediam regionem inter ignem & aquam sortiebatur: terra vero & aquæ sic invicem commixta jacebãt, ut terræ facies aquis obruta nusquam pateret. Hæc igitur verba ab omnium philosophorum patre antiquißimo, paulo obscurius prolata, discipulos sequentes incautos, & non prout decebat, ea considerantes deceperunt, ita ut sphæram vel orbem igneum sibi imaginarent supra aërem existentem. Qui autem verba Moysis & Mercurij diligenter comparaverit, videbit statim, quod sint concordes. Illud enim, quod Moyses vocat lucem à tenebris separatam, Hermes vocat ignem syncerum ac levem alta petentem: Hic sane ignis multum differt ab igne flammante, qui nullo modo syncerus esse potest, neq; etiã levis, sed materia crassa & fumus ponderosus, qui

tan-

tantum per vim lucis sibi inclusæ ad alta rapitur, & propter naturas vaporabiles ascendit. Si enim ignis iste foret syncerus, tunc oculorum aspectum effugeret, nisi foret condensatus in globum lucentem cum substantia corporea sibi admixta; neq; etiam flammam illam comburentem & calefacientem proferre posset, sed calorem saltem suavem atq; vitalem. Simili ratione id, quod Moyses vocat Firmamentum inter duas aquas expansum, id Hermes vocat aërem levem aquæ & igni vel luci separatæ interpositum; & cum ipsum vocat levem, tum indicat, quod per verbum aëris vapores crassos exhalantes aut propulsos è terra, nullo modo pro elemento simplici agnoscat, quod sequentes fecerunt. Similis error ex dictis Philosophorum antiquissimorum, qui eundem Hermetem tanquam patrem Philosophiæ spagyricæ sequebantur, ortus est. Hi enim de conversione elementorum loquentes, mutationes materiæ suæ in varias formas sic vocabant. De qua transmutatione S. Thomas de Aquino sic loquitur: Accepi quoddam Sulphur, quod erat naturæ igneæ, & transmutavi ipsum in aquam puram, quam per ar-

tem

tem iterum transmutavi in aërem & in aquam: & cum volui transmutare in terram, ut terra purior fieret, inveni quendam lapidem rubeum clarissimum, diaphanum & lucidum, & in eo conspexi omnes formas elementorum, & etiam eorum contrarietates in illa materia lapidis, nescio qua ex virtute nisi ex appetitu. Ex rubedine enim respexi formam ignis, ex diaphanitate formam aëris, ex luciditate formam aquæ: Terræ autem formam habebat lapis ipse, de quo loquitur. Hanc igitur secretam sapientes intentionem modo sub nomine unius Elementi describunt, modo sub duobus, tribus, quatuor, vel etiam quinq;, ut inquisitores fallant, qui verba eorum juxta sonum intelligunt; unde factum quod ipsam de elementorum majoris mundi conversione interpretati sint, ignorantiâ adeò crassa, ut admirationi vix sufficere possit. Hoc testatur Democritus mundanæ ignorantiæ irrisor, qui in scriptis suis similibus terminis usus postea dicit, quod ob id diffusus sit error per orbem terrarum propter appellationum multitudinem, & quod ea, quæ de quatuor & quinq; elementis dicantur, ad ea sint referenda. Quis unquam conspexit pulverem siccum, terrestrem, evacuatum, in

phleg-

phlegma fuisse mutatum, vel à natura vel ab arte: aut in raritatem aëream firmamento similem: aut in ignem syncerum & levem? E contrario quis unquam observavit, firmamentum & lucem in pulverem terrestrem fuisse mutatum? Nil aliud proferre possunt, nisi aquæ conversionem in vaporem, quem aërem vocant, qui tamen nullo modo aër esse potest, cum subitò ac frigiditatem aëris senserit, tunc athomi aquæ subtiliata iterum congregantur, & aqua sunt & permanent in perpetuum, quod vel vetulis destillatricibus cognitum & indubitatum existit. Simili ratione theologia profanata: ubi sacerdotes ignorantes, fabulas Chymicas & poeticas, quæ ferè omnes de hoc artificio existunt confictæ, in nefandam idololatriam & cultum dæmonum converterunt: Quod cum posteriores philosophi advertissent, ne ulterius ansam præberent tantis erroribus, alias allegorias excogitarunt, quarum quædam Chymeris similes minus malum produxerunt, cum nihil, unde malū prodire posset, designarent; aliæ verò ex speciebus mineralibus desumptæ, multis crumenas evacuarunt, & quod pejus est, dum Theophrastus iisdem verbis uteretur, & simul scientiam medicam tractaret,

acci-

accidit, ut ignorantes & verba ejus obscura male intelligentes inde gladium mortiferum sibi fabricaverint, præparantes materias omnino nocivas, & corpus humanum devastantes; ac quidem præparatione tali, quæ pejor est ipsa materiâ noxiâ, quibus multos ægrotantes violentiâ talium medicamentorum ad orcum detruserunt. Et abusus quidem iste penè in artem medicam usq; irrupit, dum multi gloriam Philosophiæ Chymicæ affectantes, ne ignari appareant, medicamina talia exhibent, de quibus veri philosophi nunquam scripserunt, licet allegoricè talia vocabula sæpè posuerint ad artem suam tegendã. Quo factum, ut dona Dei excellentia, quæ vegetabilibus suis impreßit, & quæ temperamento hominis multo melius quadrant quam mineralia cruda & malè præparata, cum istis commutentur. Laudem itaq; meretur Galenus in eo, quod cum de hisce rebus nihil solidi intelligeret, eas dimittens ad vegetabilium usum se contulit, eaq; juxta qualitatum suarum formas, licet generales, divisit & dispensavit, cavendo, ne contrariorum violentia corpus humanum devastaretur. Fateor equidem, si vera herbarum præparatio nota foret, quòd multo majus solatium

debi-

debilitatæ naturæ exhiberi posset: cum ob impuritates stomachus & natura nauseabunda ab utilitate & confortatione inde resultante sæpius arceatur. Interim tamen & herbis integris sub sua forma specifica conservatis, sua virtus existit. Forma enim dant esse rei; efficacia tamen præcipua existit in Spiritu, qui dum è carcere liber factus fuerit, multo suavius & dulcius & potentius operatur, juxta exaltationem suæ præparationis, quàm crasso corpori inclusus, ubi vis ejus fortior non potest esse sine vehementia. Hac digressione ex occasione peractâ iterum ad nostrum institutum secedamus.

Videmus jam globi terreni compositionem ex partibus suis specificis mixtis, sub quadruplici genere præcipuo, constante ex lapidibus, mineralibus, sulphuribus, & salibus, quæ omnia in ventre & visceribus terræ comprehenduntur. Minerale enim regnum intra terram sceptro potitur; Vegetabile verò partim subtus partim supra terram collocatum: Animal autem gressile penitus supra terram. Quod si itaq; hæc omnia à globo seperarentur, quid quæso residuum foret? Nonnè pulvis simplex, mortuus,

terra inanis & vacua, prout à Divino Moyse describitur? Si idem processus cum mari instituatur, quid supererit? Nonne simplex aqua & phlegma purum sine omni activitate vitali? Si simili modo Firmamentum consideraveris, nonne ut aër simplex & corpus diaphanum atq; rarissimum tibi apparebit? Hic ergo habes elementa mundi simplicia sub triplici forma à Moyse descripta ex ore Dei, quæ sunt immutabilia, elementa inquam illa, quæ mortua existunt, nec ullo spiritu aut proprietate vitali dotata, licet nonnihil de forma lucis simplicis possideant, unde etiam simplissimas habent formas sed sine activitate egressiva: quicquid enim vel in pulvere terræ, vel in humiditate aquæ, vel in diaphanitate & subtilitate aeris reperitur, id omnia habent ex mixtura cum substantia salsa & lucis separata, quæ simplex ignis est, & substantia media inter spiritualem & corpoream, sicuti mox apparebit. Aër quidem seu firmamentum variis etiam incolis præter animalia sua inhabitatur, meteoris scilicet, sed peregrini existunt, cum non sint nisi exhalationes ex terra & aqua, compositæ ex omni illo, quod est vaporabile sive per naturam, sive per violentam expulsionem, sive

per

per attractionem à virtute leviorum & propria potestate ascendentium. Hinc enim fit, ut omnis generis meteora in firmamento ex vaporibus istis coacervata conspiciantur, quas mutationes excellentissimus Philosophus Democritus distillatorio cuidam comparat, dicens quod cœlum terræ tanquam galea incumbat, ex qua tanquam ex olla vehementes fiunt exhalationes, quæ in cœlo, velut alembico superposito, vehementes etiam excitant mutationes. Quid enim omnia ea, quæ vel in cœlo sub forma ignea conspiciuntur, nisi exhalationes inflammabiles, ibidem rursus coacervatæ? Quid omnia ea, quæ ex aëre decidunt, sive sint aquæ, sive nives, sive glacies, sive lapides, sive ignes, sive animalia? Quid, inquam, aliud existunt nisi fructus ex vaporibus antea elevatis? Consideremus paulisper Aquam in suis mutationibus rarefactionis & condensationis. Aqua in se ipsa considerata est corpus medium inter rarum & densum, ex plurimis athomis congregatum, quod praxis distillatoria confirmat, per quam in athomos iterum redigitur. Hi athomi dum magis condensantur à frigore hyemali, convertuntur in corpus densius, quod est glacies. Nam sicuti calor est causa rarefactionis aquarum, ita contrarium caloris est causa

 for-

fortioris condensationis, ita ut minus de loco firmamenti occupent, quam sub forma raritatis, unde etiam fit corpus magis visibile, quàm aqua ipsa, nondum tamen diaphanitatis totaliter expers, sed adhuc referens aliqualiter naturam speculi: Si autem pulverisetur, & partes magis condensentur, tunc inde fit corpus album, omni diaphanitate privatum, & perfectè visibile totali lucis reflexione: atq; hoc fit per actiones condensationis. E contra dum aqua rarescit per vim cujuscunq; agentis, vel pellentis, vel trahentis, tunc vertitur in vaporem, & si à calore solis adhuc magis attenuetur, & in athomos subtiliores dissipetur, ut in aestate, tunc participat formam & similitudinem quandam aëris, & fit magis magisq; transparens & invisibilis, atq; radios tam illuminantis luminis quam videntis non amplius reflectens, sed transitum ipsis concedens. Cum autem per frigiditatem aëris & propriam naturam ponderosam ad centrum naturaliter vergentem, athomi disgregati iterum coeunt, tunc vel congregantur minus densè, & apparent in forma nubium, quæ ex longinquo corpora crassa videntur; cum autem in ipsa nube fueris, tunc percipies, ipsã nihil aliud esse, nisi

nisi vel pluviam nebulosam, vel fumosam ferè, vel guttosam & densiorē; sic etiam descendit rursus in globum terrenum, unde ascenderat, vel in forma roris, vel nebulæ, vel pluviæ, vel pruinæ, vel nivis astralis, vel grandinis, & hoc omne pro diversitate temporis calidi, vel frigidi, causarum materialiū, efficientis; & prout magis minusvè condensata fuerit in athomos vel corpuscula majora vel minora, eò magis etiā sit visibilis. Vnde patet vera causa diaphanitatis & opaci, & cur nix non possit videri nix *sub diaphanitate aërea vel aqua, neq; aqua sub colore nivis condensatæ. Quot quot autē meteora rursus descendunt in terram, licet sub forma liquida decidant, nunquā tamen sunt aqua simplex, sed in interiori suo, aliorum elementorum partibus plus minusvè impragnata, de quibus per experientias factas, multa dici possent.*

Sicut autem per beneficium sensus, de causa materiali istorum vaporum eorumq; mutationum, non nimis difficile est judicare: Ita è contrario propter defectum exercitij sensibilis, de causa movente hæc omnia, definire est difficilimum. Licet enim soli virtutem magneticam concedamus, & lunæ

 stel-

stellisq́; similiter turbationem humorum: Est tamen & in globo terreno pulsator aliquis, qui magna vi ista spirat in altum, quem quidam ignem centralem asserunt, præcipuè Alchimistæ, qui experientia compertum habet, nihil tantam vim possidere sublimandi in altum nisi vulcanum suum, an vero in centro terræ talis ignis locum habeat, à multis dubitatur. Hortulani certè asserunt, calorem terræ, hyeme peracta, ex centro ad circumferentiam sese attollere, ita ut cum superficies terræ adhuc gelata existat, calor Vernus tamen in locis profundioribus reperiatur, quod etiam cellarum profundæ cavitates confirmare videntur. Verùm quantum ad expulsionem vaporum linearem attinet, calor certè centralis, vel sicut aliis placet ex radiis solaribus concentratus, partes sulphureas, & bituminosas terræ, fortè in actum deducere, & vaporum exhalantium causa motrix concedi posset, una cum virtutibus ipsis spiritualibus rerum evaporantium, & luminarium cœlestium attrahentium: Quis autem nobis indicabit motorem ventorum, seu vaporum agitatorem in circulum, atq́; in transversum? Christus ait ad Nicodemum: Vocem & sonitum quidem ejus audis, sed nescis, unde ve-

sonit...

venit & quo vadat. Hoc dictum licet Nicodemum in specie tangere videatur, vel affirmari posset: attamen considerata difficultate prædictâ, videtur potius de omnibus hominibus id esse enunciatum. Physici multas causas allegant, quas si accuratè examines, non sufficiunt. Drebbelius in tractatu de elementis nititur demonstrare opus ventorum per inventum quoddam, ubi in vas retortum super aquam suspensum mediante igne pellit vapores, quos in vase clauso gyrantes, dicit esse similitudinem ventorum, qui ita generentur & moveantur. Sed quomodo hæc ad mundum majorem spectant, ubi venti in aëre libero circum vagantur, non autem claustris vasorum cohibiti in furorem agitantur? Vbi sæpè nullis apparentibus vaporibus vel nubibus, maximi ventorum flatus percipiuntur. Suppone ignem vasi aperto, aqua repleto, nullum videbis ventum, sicuti dum vapores coercentur, quia dissipantur per aërem spatiosum, ita ut divisi robur & virtutem amittant. Si paucitatem aquæ allegaveris, ego similiter, sicuti mox dixi, quod venti sæpè percipiantur, licet cælum existat serenissimum. Et rursus cælum sæpè videbis nubibus gravidum, & tamen ma- Drebelius

ximè quietùm sine omni flatu ventorum. Si allegaveris pondus cœli pluviòsi, ita quod vapores isti ad motum sint inhabiles, objicio pluvias illas tempestuosas, quas tu & ego sæpè sumus experti. Vidi in locis montanis aliquando, ex uno solo cacumine montis ingentem exhalare fumum, quietum & nullatenus ventosum, qui tamen lineam rectam abrumpens sensim sese ad latera dissipabat, nubesq; & pluvias largas producebat, ibi videlicet, quo vapor per ventum seu motum licèt insensibiliter urgebatur. Quis ergo est pulsator ille ventorum robustus, AEolus ille, qui tantis furiis sæpè nescio quid circa terram agitat, sæpè etiam quasi languens aut exspirans sive somno correptus, inertem se præbet atq; lassum, & mox iterum quasi seipsum hinc inde revolvit, & pulsat vel tempore sereno? Quis ex septentrione, quis ex meridie, ex oriente & occidente spiraculum suum emittit? Imò ex toto gyro orbis terrarum? Quis follem inflat? Quis ventorum lineas tam certa mensura & limitibus dirigit, ut etiam quamvis fortissimi istos terminos excedere non audeant? Hujus exemplum sæpè conspeximus, & quidem ante paucos dies in ista Vrbe: Fortius tamen ante aliquot an-

annos, ubi ventus maximas turres, domos, & arbores evertens, certo latitudinis non nimiæ tractu in aëre libero ita coercebatur, ut in longitudine plus quam centum milliarium distantia, roboris sui signa reliquerit, quæ in latitudine ultra tringinta milliaria non reperiebantur. Quis turbines & ventos sibi contrariantes spirat, an unicus motor vel plures? Et qui sunt isti? Pulsator iste tam fortis Phœbus profectò minimè existit cum suo calore: altàs in locis calidis ventorum dominium præcelleret. Sorori potius ejus lunæ aliquis jus istud concederet, cum per observationes certum sit, dum vaporosis circulis vestita apparet, ferè semper ventorum furias oriri. Similiter ad incrementa ejus & decrementa ut plurimum accidunt mutationes ventorum, & effusiones illæ aquarum marinarum, quæ cum vento maximo accidunt, rarò extra novi vel plenilunium evenire consueverunt. Ad materiam ergo ventorum præparandam Luna non minimum instrumentum existit, sicuti nec reliqui planetæ, præcipuè Mercurius & Jupiter, sed nisi in illa materia alij spiritus sylvestres inclusi laterent, nullus inde ventus prodiret, sed simplices nubes, pluviæ, nives &c. Et nisi

adesset aliquis AEolus seu virtus motiva majorum virium, quam simplex ignis, nunquam profectò tanti turbines terræ superficiem circumvolitarent. Vnde autem veniat ista vis, & quo vadat, nobis sane videtur esse absconditum. Licet enim ventorum furia ex captivitate augeantur, hoc tamen non sufficit ad assignationem causæ efficientis, sed accidentia coadjuvantia patefacit; cum ventus etiam in aëre libero opus suum peragere possit: Juvat ergo captivitas ad excitationem furoris agentis, cui resistit, & intensionem augmentat, sed tantum ventorum jam excitatorum & furentium. Vapores isti, ut dictum est, pro aëre sumuntur, cum tamen non sint nisi incolæ aëris, & materia variorum meteororum: nullus enim vapor ascendit, qui non resolvatur iterum in aliam quandam substantiam, sed quoniam per vim rarefacti sunt, & partibus volatilibus spiritibusq; ferocibus abundant, inde fit, quòd tam diu circumferantur, antequam iterum in formam densiorem coacti versus centrum suum cadere possint. Hinc Democritus ait: Vapor, qui in sublimè fertur, est materia aëris, & fumus sive fumida exhalatio siccorum est materia

ignis

ignis, scilicet ut communiter hæc vocabula intelliguntur. Nam qualis causa, talis sequitur effectus. Si causa simplex fuerit omninò, quomodo producet compositum, si autē composita compositione iterum resolubili, quomodo meretur nomen elementi, nisi largo sensu sumpto, nam simplicis & indivisibilis substantiæ nomen ipsi non competit. Nobis igitur, hæc omnia exactè perscrutantibus, utiq; incumbit, ut veritates rerum non autem opiniones & vocabula deceptoria inquiramus atq; sequamur. Primus philosophorum qui oculum rationis meæ circa ista illuminavit, fuit Franciscus Patritius Platonicus, qui de elementorum natura disputans, magna vi argumentorum sphæram igneam è firmamento depellebat. Postea Deus ipse per Moysen hoc confirmavit. Cum enim in omnibus verbis totius creationis ne Syllabam de tali igne posuisset, sed mundum in tres partes, & infimā in duas secando disponeret, certus eram hanc traditionem vanam existere, nihilq; præter lucem ipsam omnibus mundi partibus, ast pro varia dispositione & compositione Creatoris & famulæ ejus, diversum sortiri aspectum: quod etiam Hermes verus philosophus verbis suis contestatus est: & tandem propriæ inda-

indagationis diligentia. Hæc enim lucem mihi sub triplici forma designavit. 1. Tanquam captivam in corporibus crassis, atq; circumdatam, & superatam, ita ut inde liberari non possit, scilicet in coloribus. 2. Tanquam ex captivitate emergentem, sub formis diversis flammarum. 3. Tandem in corpore puro ab extra congregatam tali copia & libertate, ut corpus suum undiq; comprehendat & tegat, ipsiusq; proportionem multum excedens, etiã in alia objecta largiter effundatur & diffluat, scilicet in oculo universi. Omnis color est aliquid luminale, quia ex natura sua est visibilis, & proinde de natura objecti visionis, quod tamen existit: unde pro diversitate corporum, cum quibus lumen congreditur, tam in compositione propria, quam in illuminatione externa, & pro quantitate tam luminis quam corporum resultat color vel fortis vel debilis. Nam corpora illa, quæ communiter colores appellare solemus, propriè colores non existunt, sed corpora colorata & subjecta, in quibus luminis copia & corporis illius aptitudo producunt potestatem illam, ut non solummodo illa ipsa subjecta tincta appareant, sed etiam alia corpora illo colore non tincta eodem tingere possint.

Color interim iste resultat per accidens ex compositione luminis & corporum, quæ duo ubi iterum disjuncta fuerint, perit & color, qui resultat ex reflexione luminis à corpore opaco tam in compositione quàm in illuminatione corporum coloratorum, idq; fit vel plus vel minus ad diaphanitatem vel condensationem vergendo, utpote in aqua vel terra vel alia materia pura vel impura. Quò enim major fuerit quantitas aquæ, eò minor & dedebilior apparebit color, & quo densius fuerit subjectum coloris, & copiosius lumen, eo fortior: & quò purius & densius, eò lucidior & splendentior, ita ut tandem ex colorata etiam in luminosam & lucidam & lucentem substantiam transmigrare possit. In specie verò consideremus colorem rubeum, qui ignis character est: Hic primo generatur ex nimia quantitate lucis in substantia corporea pura, interim tamen condensata quæ insuper aliquid nigredinis in se habet, quæ nigredo ex inimica lucis, opacitate scilicet, seu tenebrositate provenit: quo facto ex conjunctione istarum rerum apparet color rubeus splendens, vel etiam transparens, utpote in gemmis & similibus. Deinde verò ubi lucis copia cum copia corporis opaci, non tamen nimis im-

impuri sed subtilis coit, tunc inde quidem provenit color fortis & corpus tingens, non verò splendens, vel lucens, aut transparens. Ubi verò lumen copiosum quidem, sed ab opacitate & impuritate fuerit obrutum, ibi apparet quidem corpus rubeum sed atrum. Prout igitur lucis istæ proportiones uniuntur cum corporibus, talis etiam inde resultat varietas colorum, ad quæ multum sanè confert dissipatio vel condensatio corporum & diversitas proportionum elementalium in ipsis, juxta quas mutationes semper mutantur & apparentia, id est colores. Ex his omnibus patet, quod color in subjectis sit effectus quidam, ortus accidentaliter ex congregatione materiæ corporeæ & spiritualis, quæ lux vocatur, & ex diversitate corporum tam compositorum quàm elementalium, & eorum varia proportione & differentia lucis & tenebrarum. Sublata igitur compositione, tunc perit & accidens, quia subjectum dissipatur, & proinde etiã illud, quod prodierat ex compositione subjecti, necessariò perit. Hic observent naturæ discipuli, qui quærunt colorem permanentem igneum in corporibus, quod ipsum inquirant in talibus subjectis, qui ex natura indivisibili constant, alias nunquam perveni-

venient ad suum intentum. Nam ubi lux in flammam conversa à suo subjecto separatur, tunc necessariò perit & color, & per consequens causa intentionalis inquisitoris, residuum enim in carbonem vertitur mortuum, & tandem in cinerem incompletum nec unquã perfectè illuminandum. Hoc autem accidit in omnibus substantiis rubeis oleaginosis, quæ ex rubedinis densæ colore per accensionem, quæ dissipationis causa est, mutantur in flammam lucentem propter reclusionem lucis ab impuritatibus, & disgregationem materiæ aggregatæ in corporis rari atq; penè diaphani formam; In illis verò, de quibus dixi, secus se habet: Ibi enim color est accidens sed inseparabile, quia subjectum divisioni resistit: In hisce verò accidens separabile, quia subjecti haud firmiter ligati.

Nam ignis flammæ nihil aliud est, quàm luminis copia in materia pingui conclusa, ad actũ deducta per accensionem. Talia sunt omnia ea, quæ vocantur nomine sulphuris combustibilis in triplici regno, animali, vegetabili, & minerali. Nam, ut Plinius dicit, nullo alia res facilius accenditur quam sulphur, unde apparet, magnam vim ignium ipsi in esse: fulgura & fulmina quoq; sulphuris odorem ha-

habent , & lux ipsorum est sulphurea. Et Hollandus ait: sulphur combustibile in omnibus rebus est compositis excepto auro, & hoc sulphur est immundum, pingue, fœtidum, & est ignis combustibilis, corrumpens omnes res, quæ in rerum natura sunt. *Accensio autem fit vel per superabundantiam luminis & caloris externi, ejusq; virtute attractiva sui similis, mediante motu illata: ut pote dum à solis calore & lumine res combustibiles inflammantur. Vel etiam ab alia quavis face jam accensa: vel etiam á scintilla nondum inflammata: vel per coacervationem luminis in ipso subjecto, dum mediante motu, vel violento vel naturali, forti & circulari, combustibilia ex se ipsis in flammam erumpunt. Dum enim forma lucis in aliqua mixtura pingui superat materiam, tum facilis est prolectio flammæ, & ejusdem continuatio vel extensio in materia eadem vel simili. Lux enim, quò magis in materia coarctatur, eò fortior redditur: Quia vis motorum est potentior; Unde etiam magis incalescit ad sensum. Nam raritas corporum ad tactum minus est apta. Incalescente autem materia per actum lucis in ea, accidit mox & rarifica-*

ficatio ejusdem materiæ, quam rarificationem lux externa vel ingrediens, vel interna ad præsentiam naturæ similis excitata egrediens, & circumferentiam sibi a Creatore designatam petens, dissipat & disgregat, & rarefacit, & ex materia nimis crassa & coarctata, facit materiam rariorem & ad transparentiam vergentem, dum ipsam extendit in aëre vel firmamento; & hoc est illud, quod flammam vocamus. Hæc cum sit lux in materia adhuc corporea & impura retenta, licet ex captivitate evolare nitatur, ideo etiam juxta proprietatem lucis, aliud lumen ex seipsa progenerat, scilicet illud quod vocamus circumfusum, debile vel forte, pro puritate vel impuritate & robore suæ causæ vel commixti. Et hac ratione lux erumpens magis magisq; rarescit, quousq; tandem per defectum materiæ appropriatæ oculis evanescat, & ita extincta esse videatur. Causa igitur efficiens istius exhalationis est motus, qui excitat calorem, & calor lumen, & lumen materiam secum rapiens apparet in forma flammæ: & hæc omnia operationem suam habent ex centro versus circumferentiam, dissipata vel rarefacta. Partes autē corporeæ, quas lux egrediens secū

rapit, sunt aqueæ, terrestres, salinæ, sine quarum præsentia nec flamma nec calor fortis sentiri posset. Hanc veritatem comprobat experientia, & observatio eorum, quæ accidunt in combustione lignorum, & eorum exhalatione, & ex anatomia fuliginis inde egressæ, ac in loco frigido iterum condensatæ. In qua fuligine omnes partes prædictas reperies: & insuper lumen ipsum adhuc inclusum in oleo suo combustibili, quod Theophrastus vocat sulphur embryonatum ligni. Sæpè enim ex ejusmodi fuliginibus novi ignes excitantur, propter pinguedinem, in qua lucis copia adhuc captivatur. Ex prædictis igitur patet, quod materia ignis flammantis & flamma ipsa sit compositum quoddam ex luce seu igne puro, incluso materiis terrestribus, quæ sunt partes salsæ volatiles & fixæ, cum partibus siccæ terræ, una cum Phlegmatica liquiditate in oleo lucente, dum accenditur forti satis mixtione, non autem fortissima, per temperamentum naturæ. Hoc autem meretur admirationem, quod omnes istæ partes in prima inflammatione, simul evaporent, sive quod ab invicem separentur totaliter: quæ separatio postmodum potest fieri in materia fuliginis per artem. In fuligine

enim

enim omnes partes prædictæ iterum reperiuntur, & præcipuè novum quoddã oleum combustibile, valde igneum atq; comburens, magnæ & violentæ potestatis. Talis ergo materia tam diu manet inflammabilis, quamdiu aliquid de compositione superfuerit, quâ penitus resolutâ atq; destructâ, partibusq;, ad formam flammæ requisitis, in elementa ulterius neq; per artem neq; per naturam divisibilia, segregatis, lux etiam omnis flammæ causa præcipua seu formalis, liberatur: Quo facto ignis flamma ex residuo amplius haberi non potest. Hinc apparet lucidissimè, quod ignis iste visibilis sub flamma non sit verũ elementum ignis, sed potius ipsa lux, quæ in sua propria natura & raritate est invisibilis, neq; oculis apparens, nisi in corporibus densis congregetur, in quibus si superaverit copia sua, tum egreditur in actum per fumum, quem Democritus vocat materiam ignis. Ex prædictis etiam patet, quod ignis sulphureus qualiscunq; inflammatus non sit elementum simplex, cum ex tot partibus sit compositus. Sunt tamen duo alij ignes considerabiles ab isto non nihil differentes, præcipuè ignis camphoræ, qui unus est; alter verò salpetræ inflammatum qui multum est diversus.

Camphora tota est ignea & aërea naturæ, ita ut etiam in aquis ardeat, & sine igne proprio motu in aërem sensim evanescat: compositio ejus naturalis est fortissima, quia per destillationem partes ejus non separantur, sed in athomos vel flores convertuntur, nullo modo dissimiles camphoræ: Quare vanus existit labor, ut per se sine additione oleum inde eliciatur, nisi per artificium liquoris alicujus dissolventis partes ligatæ à natura prius ab invicem recludantur. In manifesto enim ejus superant partes siccæ, unde fit, quod pinguedo intus latens in fluxum oleosum reduci non possit. Hic itaq; ignis camphoræ dum inflammatur, rarescit quidem cum egressione lucis, an verò totum sine separatione partium sic evaporet vel non, dubitari potest, licet sit vix possibile, ut flamma appareat lumine non erumpente, & composito haud disligato. Simile dubium & multo majus oritur de Nitro vel Salepetræ, quod nullas habet pinguedines vel partes oleosas sibi immixtas, ut Sulphura rerum: Sed dum accenditur & evaporat, tunc rarefit in lucem visibilem sine omni pinguedine combustibili, quod quidem pro certo affirmari potest per experientiam à destillatione peti-

petitam, in qua nullum provenit oleum, sicuti in animalibus & vegetabilibus ac sulphuribus, sed simplex spiritus aqueus cum rubore solis cujusdam occidentis, unde patet, quod compositio ejus multum sit simplicior quam compositio sulphurum: & proinde si aliquod elementum ignis corporeum foret statuendum, hic ignis salinus omnibus reliquis palmam eriperet. Verùm cum per destillationem in spiritum aqueum vertatur, & in suo manifesto coagulata, frigiditatem glaciei ferè adæquet, & accensus in flammâ erumpat, ac in sua substantia verum sal existat, quo tandem nomine est appellandus? In isto enim subjecto videmus hyemis, veris, æstatis & autumni imagines, lucem captivatam in glacie, & sub summa frigiditate ignem infernalem absconditum. Quod quasi millia hominum jam devoravit ab eo tempore, quo ejus abusus fuit accensus? Quapropter ingemiscens ad veri ignis considerationem propero, qui est lux ipsa Creata & separata cum suo vivifico & non mortali calore.

Cap. V.
De Luce.

EX rebus naturalibus mira quædam divinæ Sapientiæ profunditas elucet: Cum enim illa sola tanquam mundanæ machinæ fabricatrix opus suum perfectè intelligat, illud tot nodis, miraculis, atq; obscuritatibus confecit, ut cætera omnia, etiam circa clarissima, quam maximè coecutiendi causam inveniant. Hinc quidem illa divinitatis suæ potentiam declarat, nos autem ipsius naturam tam validam sanctamq; cognoscentes meritò tanquam potentem admiramur, religiosa veneratione omnia ad ipsius honorem perscrutantes. Lumen quidem res clara simul est & obscurissima, ideoq; tot sententiæ philosophrrum circa illud ratiocinantium obortæ sunt, cum animæ rationalis operatio per partes rerum incedens, rarò ad cognitionem alicujus integri pervenire, & menti concludenti objectum suum unitatis totale exhibere possit.

Diversa de luminis natura sententia[?]

Quicunq; lumen vel lucem pervestigaverit, reperiet ipsam omnibus rerum naturis amicari atq; uniri: Vnde fit, ut prout hic

vel ille eam consideraverit, illam de natura illius rei existere judicat, cui adesse observat. Qui ipsam corporibus vident unitam, corpus aliquod esse pronunciant, unde sententia de igne elementari, qui flamma luminosa est, ortum duxit. Qui verò lumen sub suis extensionibus aspiciunt, quantitatem affirmant: Ex coloribus & caloribus qualitatem. Qui verò ipsam aëri diaphano separabiliter & sine permixtione adesse observant, ij aliquid per se subsistens esse affirmant: ast ubi rursus lumen à solari & luminosis corporibus vident effluere; hi vel qualitatem, quantitatē ve cœlestem, aut etiam formam ipsam seu actum corporis lucentis prædicant. Qui ipsum ut penitus rarefactum, & aciem oculorum effugientem ratione prosequuntur, illi ut aliquid spirituale depingunt: Qui vim ejus vivificantem, & animæ adesse sensu interno ex phantasmatibus sentiunt, illi animam ipsam hoc lumen esse, senserunt: qui motum ejus circularem observant, mentis imaginem, & tandem aliquid Divinum existimarunt, cum Deus ipse in verbo suo & lumen & ignem se esse prædicet, & ab omni Philosophia, à patre Hermete incipiendo, semper sub specie alicujus luminis invisibilis

fuerit consideratus. Ex his proprietatibus luminis tam excellentibus atq; diversis lector statim animadvertere potest, quod omnes, qui de lumine loquuntur, semper aliquam veritatem pronuncient, cum ejus natura sivè revera sive per imaginem ad omnia declinet: propriam autem & genuinam ejus quidditatem cognitu valdè difficilem existere. Cum autem Divina bonitas, tam sensibili quàm intelligibili cognitioni maximum hoc beneficium produxerit, nos etiam difficultatibus hisce haud perterriti, hoc in campo naturali, ex benignitate Divina aliquid lucrari conabimur. Originem ergo Lucis Deo soli Creatori adscribimus, tanquam causæ efficienti proximæ, in eo dissentientes à Platonicis, qui luminis fontem in animas & intelligentias retulerunt. Cum enim viderent, lumen visivum ab oculis ejici in animalibus, virtute animæ, à simili concluserunt, solem esse oculum mundi animatum, non tantum anima vegetativâ sed etiam intellectuali, & ita visibile hoc lumen licet emicans in corporibus, fieri tamen à substantiis incorporeis atq; servari, scilicet ab invisibili lumine cœlestium animarum, quod ex ingenti copia & virtute so-

foràs exuberet, atq; sic perspicuum evadat, & ob id etiam animam & spiritum nostrum splendores istius lucis tanquam proprios iterum suscipere, & illis valdè delectari. Ex hac etiam sententia idololatria Persarum, Ægyptiorumq; ortum duxit: Quare eam cum Sacris litteris tanquam falsam atq; prophanam omnino rejicimus & detestamur.

Qui autem quidditatem ejus corpoream judicarunt, id processit vel ex sententia illa, quòd nihil incorporeum esse putarent, ut Epicurus: vel quod lumen omnibus corporibus adesse observarent. Rationes eorum hisce ferè considerationibus firmantur. Omne corpus, quatenus corpus, est actu divisibile, & cogitatione usq; in infinitum: quod mathematicorum demonstrationes confirmant, unâ cum Pythagorica definitione. Hi enim corpus esse dicunt multitudinem infinitam, ideo, quoniam absq; fine divisioni subjicitur. Multitudo certè infinita nullibi, nisi in hac perpetua divisione reperitur. Nam si principium atq; finis in idem incurrunt, divisio corporum tanquam finis erit etiam eorum principium, quâ consideratione ductus Democritus, athomos principium corporum constituit. Cuicunq; igitur rei convenit

Probatur esse corporeum.

Ex divisione quam patitur.

*divisio materialis & sensibilis, illi etiam cor-
porea natura convenire videtur. Lux pe
varia distribuitur corpora tam cœlestia
quàm ignea, tam aquea, quam terrestria, &
radios emittendo in radios dividitur. Lu-
men per totum mundum circumfusum, vari
in se recipit corpora opaca, unde etiam um-
bræ tam magnæ resultant, ut non solum lumi
ni magnum aëris usum impediant, verùn
etiam imperium eorum usq; ad ecclypses lu
minarium dilatetur. Lumen sub corporibu
latens individuorum ratione in terminos cor
poreos clausum atq; hac ratione divisum de
finitumq; existit. Vltra divisionem, consi-
derabiles sunt passiones luminis, quæ in frà
ctionibus ejus consistunt: quæ corporum sun
proprietates singulares, & maximè conveni
unt duris siccisq; ac tenacibus, humiditateq
persusis, adeò ut tota natura corporea ex his
ceduabus proprietatibus maximè in cogniti
onem veniat. Radiorum fractiones oculi
sunt patentissimæ, quæ absq; flexione ulla fier
videntur, sed per veram fractionem, sive i
oppositum regrediendo, sive ad latus prosili
endo, rupturam luminis demonstrant. Fusi
etiam luminis in circulum, involvens ma
teriata corpora, de viscosa natura nonnihi
par*

participare videtur. Illud etiam, quod sub coloribus latebat & captum erat, viscositati mixtum in libertatem erumpit sub forma flammæ. Cernimus etiam flexiones luminis, mediantibus quibus sese adaptat ad convexum, ad concavum, ad rotundum, quadratum, latum, longum & profundum, quæ omnia sine flexione fieri non possunt. Et licèt lumen propter subtilitatem suam aliquid maximè simplex appareat, nihilominus tamen illud vel in se ipso consideratum à reliquorum elementorum naturis totaliter liberum esse non videtur. Apparet enim soliditatis, consistentiæ, vel resistentiæ terræ quædam imago ex fractionibus ejus atq; collisionibus, liquiditas seu fluxibilitas aqueæ salsa, ex circumfusione & flexione: Raritas autem subtilis aërea ex diaphanitate & motu velocissimo. Hoc omne etiam confirmatur ex amicitia, quam lumen cum corporibus sive mixtis sive diaphanis seu lucentibus fovet, ita ut non solum cum aëre diaphano libenter coëat, sed etiam in aquis consolidatis, siccis, & corporibus fusibilibus metallicis, mineralibus, duris lapidibus & vitris ac breviter in omnibus habitet. Quid autem de astris dicendum? Nonne eadem quod de corporibus reliquis?

Ex amicitia quam habet [illegible] cum rebus corporeis.

[illegible]

Aut

Aut si hoc non placuerit, illud certè quod sint ignita lumina, & in corpoream massam condensata. Sed qua ratione hoc fieri posset sine admixtione substantiæ corporeæ cum lumine? Hinc nimis sensitivi Philosophi (illos, qui allegoricas locutiones tractant, non tango) lapides ignitos, vel igneos carbones & flammas urentes in cœlum collocarunt. Alij verò his è diametro contrarij cœlum molem solidam affirmantes undiq; perforatã, lucem accensam flammantem super ipsum collocarunt, furioso motu gyrantem, faucesq; & foramina cœli transeundo, lumen vel ignẽ evomere, & ita sublunaribus communicare. Physicam etiam corporum definitionem lumini convenire patet, quia per tres dimensiones dirigitur. Quicquid sit, rationes adductæ non carent pondere, & ad minimum aliquam imaginem corporeã lumini inducere videntur. Cum verò nihil adeò verisimile videatur, ut dubitationibus non sit subjectum, rationes etiam in contrariũ militantes examinemus.

Lumen in species divisibiles esse, ex dictis patuit: quæ verò sit ipsius divisio in partes, iam videamus. Tres illas dimensiones corpora constituentes, lumini convenire oculorum judicium demonstrat, quod absq;

absq; extensione per spatium sine præsentia quantitatis minimè accidit. Hæc enim supradictarum proprietatum causa formalis existit. Non itaq; dicere possumus de lumine id, quod de anima: Illius scilicet extensionem fieri totius in toto, & totius in qualibet parte. Non enim lumen, quod per totum diffunditur corporeum spatium, totum est in quolibet aëris puncto, sed quantitativè in latum, longum & profundum dilatatur: & rursus in formam centri coarctatur. Illud autẽ affirmare possumus quod sit impermiscibile cum corporibus per minima: (de lumine separato loquor) similiter quod sit purissimũ. Sive enim illud intelligas de lumine corpori solis intimo, sive etiam de illo, quod inde effusum præsentiam atq; absentiam solis ubiq; comitatur: Sive etiam de lumine in corporibus mixtis captivato, nihil refert. Etenim si lumen illuminans corporibus illuminatis aliquo modo permisceretur, impossibile foret, illud & momento adesse & abesse, quod patet ex lumine flammæ, quod fortius corporibus ad mixtum, non nisi sensim inde liberatur. Et si lumen colorum firmiter admixtum foret suis corporibus, tunc nunquam inde foret separabile, cui experientia reclamat.

[Quia non miscetur per minima cum corporibus]

Lu-

Lumen itaque quicquid sit corporibus adest separabiliter. Cum igitur neque cum corporibus mixtis, neque cum corporibus elementaribus, in subsistentia sua separata radicaliter permisceatur ob summam suam subtilitatem patet etiam, quod impossibile sit, quod una cum ipsis substantialiter dividatur, sed tantum per accidens: quatenus nempè per diaphanum quantitativè extenditur: Idem de luce captivatâ in corporibus concludi licet, cum sint unius naturæ atque essentiæ, & ex eodem fonte scaturientes. Itaque hæc accidentalis divisio Lumen non tam corpus, quam aliquid materiale, (sive compositum illud sit, sive forma quadam) existere probat. Divisio enim ejus non fit in partes, ita ut à loco se-moveri possit, sicut dividuntur corpuscula rerum; sed Solem ubique sequitur, & semper idem est lumen, modo per corpora sibi imposita non impediatur, ut appareat. Deme enim cogitatione omnes formas corporeas in mundo, ita ut nihil nisi cœlum supersit, aquæ, & lux, sicuti erat, antequam specifica corpora separarentur & terra consp iceretur, tunc nihil sanè nisi unicã eandemque lucem videbis, licet quantitativè per totum spatium distensam. Divide etiam, si potes, lumen illud

mate-

materialiter inplures partes, & nihil divides: Cedet equidem corpori sive instrumento tuo opaco, sed non secetur; fugiet quidem è loco, sed subitò redibit; unde certissimus evades, divisionem lucis, quam tu observas per corpora mundi, nihil aliud esse nisi præsentiam elementi terrestris secundū individuales formas in plura corpora terminati. Ex hoc quippè elemento oriuntur soliditates & impuritates, & quicquid luci potest esse obstaculo vel impedimento, ne actionem suam continuam indivisibiliter edat, oculisq; hanc veritatē certificare possit. Quod autem obstacula non lucem luci adimant, sed oculis videntibus, testantur ecclypses. Considera in singulis stellis (si placet) propria lumina: Ob id tamen, quod individualia sunt reddita cum corporibus, non sunt divisa: Nam nec animæ natura præcipuè vegetabilis in globo terræ ideo corporea judicanda aut corporaliter divisa, ~~ideo~~ quod in singula individua illius regni dispersa apparet: Sic neq; luminis natura propter numerum stellarum. Nonne vides, qua ratione lumina in unum facile transeunt & quidem in momento, quod corpora nequaquam facere possunt naturalia? Dicet autem aliquis, flammam in igne cum

fu-

fumo dividi & separari: ast hoc ex accidente fit: nam flamma nihil aliud est quam lumen suppressum in actum erumpens, quod quoniã per totum universum diffusum est, ubiq; etiã luceret, nisi ab impuritate corporum impediretur, & ad lucem emittiendam sufficiente proportione & copia ubiq; foret coadunatum. Quid verò ad illud dicemus quod duplex flamma duplicem etiam umbram unius corporis efficiat? Nonne hoc divisæ lucis signum existit? Respondeo ut supra, quod forma individualitatis luminis in pluribus subjectis divisionem ejus non arguat. Itaq; lux latens seu capta in corporibus, & lumen effusum per accidens saltem divisionem patiuntur, vel impedita ab aliquo corpore, ne luceant, vel propter extensionem, qua una cum quantitate pati videntur. Lux etiam lucens cœlestis nequaquam dividitur, sive illã in diversis stellis consideres sive in radiis. Etenim si istos dividere volueris, sive digito, sive alio aliquo corpore opaco, umbra inde resultans tibi demonstrabit, te nihil divisisse. Radij enim impediti à tuo instrumento, potius resiliunt: Si enim divisi essent, sequeretur, quod in uno & altero latere digiti claritas cerneretur, sicuti si aquam in partes dividis,

ex

t... troq; latere partem aquæ divisâ conspicis. Hac autem oppositione alia species lucis minoris generatur, umbra videlicet, quæ absentiam radiorum repræsentat: Nam umbra etiam non caret lumine scilicet circumfuso. Sed hæc quidem de luce dicta sufficiant, quatenus in sua extensione lineari consideratur. Sequitur jam secunda difficultas de fragmentis & reflexionibus. Omnis corporea reflexio accidit per impetum, quo aliquod corpus, sive durum, sive molle, sive liquidum, contra aliud corpus durum movetur, quod in saxis seu globis, vel mollibus vel duris in aqua & in aëre observatur: Ita tamen ut semper alterum ex istis corporibus, sive agens, sive patiens, absq; duritie non fuerit: Quæ ubi major fuerit, ibi etiam major resistentia. Si enim tormenta bellica moderna vel antiqua contra saccum lana impletum explodantur, tunc debilitantur. Lapis contra viscosum corpus projectus, aut penitus ibi affixus restabit, aut gravitate propria absq; repercussione in terram detrahitur. Ubi verò hæc omnia contra murum vel lapidem projeceris, invenies resistentiam majorē & reflexionem, nisi objectum suum destruunt penitus: Imò guttulas etiam mollissimas

licet magna vi resilientes tandem saxum cavare. Manifestum est igitur, quod durities sit causa reflexionum corporearum. Jam vero in lumine observamus, duritiem per se ipsi minimè resistere, sed potius adminiculi seu instrumenti loco inservire, quo actum suum illuminationis ulterius protendere possit. Vitra enim atq; crystalli munimenta contra frigiditatem aëris, nonnè durissima? Certè. Illud enim quod minimè porosum est, maxime durum existit. Brumali tempore aër per vitra impeditur, per murum verò intrat. Illa quanquã subtiliora, plus tamen soliditatis & resistentiæ habent, quam hujus crassities: nam illorum materia purior in angustum valdè coarctatur. Cum itaq; soliditas, alioquin omniũ reflexionum causa, lumini nequaquã resistere possit: Aut aliã ipsi causam assignare oportet, aut oculorũ aciem aliqua similitudine reflexionis decipi confitendũ. Corpora neq; quatenus dura, neq; quatenus mollia, neq; quatenus liquida, lumini resistere possunt, neq; color diaphanus, licet niger. Quid igitur est illud, quod lumini resistit? quod tantũ abhorret? quod adeo evitat? Nihil aliud reperio, quam impuritatẽ terrestris materiæ, quæ lumini adeò displi-

cet

tet, ut lumen potius hujus occursū & unionem effugere videatur, quàm corpus aliquod lumini advenienti resistere. Vnde concludimus, lumen non esse naturæ corporeæ cū reflexio ejus non sit corporea, sed ex alia causa totaliter differenti procedat. Jàm de puritate luminis agendum. Habet quidem lumen densitatē quandam atq; agilitatem: humorem etiam plus cæteris amare videtur; quis verò dixerit hisce omnibus ipsum ab elementis dotatum fuisse? cum ipsius beneficio hæc sublunaria potius cœlestia dona accipiant. Nam si hæc inferiora aliquid habent formale, sive quicquid sit, non nisi per lumen illud adepta sunt. Illud itaq;, quod sibi necessarium est, propria auctoritate retinet, & quidem id, quod nobilius in his naturis invenitur. Cum autem id, quod visibile esse debet, absq; densitate quadam videri minimè possit, neq; agere absq; agilitate, quid mirum, si hæc omnia à sua Causa acceperit? Novimus naturam ejus per firmamenti raritatem dispersam, absq; densitate sufficiente absconditam esse. Lumen sæpius oculis nostris ob raritatem vel aliud impedimentū occultatur, utpote si lumen minus à majore penitus supprimatur, quo artificio agyræ,

 utun-

utuntur ut decipiant populum, dum chartam in aqua accendere simulant, cum interim aqua illa sit aliquis spiritus ardens subtilis, qui propter claritatem solis inflammatus apparere non potest. Insuper & gradus naturæ corporeæ requirit, ut ascendendo versus naturam incorpoream in aliquo puncto evanescat, & per gradum medium natura rerum ad alterum extremũ protẽdatur. Licet autem hoc oculis corporis percipere non valeamus, id tamen necessario fieri ratio judicat: cui hoc munus incumbit non oculis, qui ineptissimi sunt ad incorporea percipienda, cum nec corporeum motum percipiant, si lentè progrediatur. Quis digitum vel stilum horologij moveri, observare potest? attamen unaquaq; hora effluxâ motus factus ex spatio dijudicatur. Quis animæ operationes sensibiliter cognoscit? Ergo nec illud quod inter corpus & animam mediæ naturæ existit. Ex proprietatibus corporeis quidem aliquo modo corporaliter cognoscetur: propter illas verò, quibus ad incorpoream vergit naturam, minimè. Certè si aliquo in gradu rerum, naturæ corporeæ finis oculis apparere potest, id nullibi fiet nisi in natura luminis, ubi tanquam in candela

jam

jam moritura, per splendorem validissimum, defectus vel mors corporeæ naturæ, & accessus incorporeæ indicatur, & supremo sensuum valedicitur, reliquis omnibus jam stupefactis. Nibil itaq; lumini corporeum remanet, nisi extensio illa quantitativa, quæ qualis sit, aliqua ratione jam consideravimus. Sed ut rem totam tandem concludamus, considerandum est,. quod illa facilitas, quâ lumina invicem conjunguntur, sine confusione declaret potius lucis admirabiles virtutes quam corpoream aliquam divisionem. Similiter quod lumen, dum à corporibus reflectitur, neq; suum fontem deserat, neq; etiam corpus illud, à quo per reflexionem recedit; quod inquam hæc proprietas nullatenus est corporibus conveniens. Hoc etiam quod nullum corpus sine tempore & in momento sese extendat sicut lumen. Tandem nihil clarius testatur differentiam luminis cum corporea natura, quam id, quod sine ulla destructione objecta sua convenientia implere & perforare potest, ita ut auctio luminis in corporibus nihil aliud sit, quam eorum major perfectio, quam etiam de futuri mundi beatitudine propheta extollit. Hoc nulli neq; mixto, neq; elementari corpori

Notandu

jure adscribi potest. Cuncta enim ubi debita proportione excreverint, subjectum perdunt, neque ulla corporea virtus innocentiam luminis imitatur. Quod si verò corpora imperfectè mixta per accensionem flammæ & calorem luminis destruantur, illius causa lumen tantum est per accidens propter materias alias sibi admixtas. Si enim forent homogenea, tunc lumen ipsis neque ejus calor ullo modo nocerent. Sed sicuti neque alia corpora damnosè invadit, ita nec ab aliis in sua substantia inquinatur. Sordes terræ aquam perturbant, noxiæ exhalationes aërem inficiunt, pestemque inducunt: lumen vero nunquam patitur, sed semper agit, & solum invictum permanet atque triumphans, nisi multitudine inimicorum virtus ejus oppressa fuerit. Hoc dum accidere observas, memento, impedimentis, non debilitati virtutis, id esse assignandum. Epilogus [illegible] Repetamus quæ dicta sunt breviter. 1. Lumen non dividitur corporea divisione: 2. egrediens corpus suum ipsum non deserit, neque etiam illud, à quo reflectitur: 3. Sine tempore passim propagatur: 4. Sine offensione implet perspicua corpora: 5. 6. Sine inquinamento se sordidis circumfundit: corporibus illis, quæ à corpulenta mole secedunt, facilius

se

se largitur: Lumina plura statim absq; resi- 7
stentia in unum coeunt, neq; tamen invicem
confunduntur: nullius subjecti, in quo repe- 8
ritur, fit proprium: non indiget proprio loco, 9
sed una cum reliquis corporibus in eodem lo-
co esse potest: non frangitur nec reflectitur: 10
non patitur sed agit, & reliqua corpora per- 11
ficit, ut apta sint ad agendum, quod ex sale patet, in quo solo luminis virtus activa cum perfectione reperitur, licet etiam in oleo vigeat, sed majori cum periculo, si superabundet, propter causas jam allegatas.

Ex prædictis igitur patet, quod lumen potius existat aliquid formale ad corpora perficienda pertinens, quam corpus aliquod mixtum vel elementale. Quod si verò in seriem corporum esset ponendum, tunc sanè corpus omnium subtilissimum foret judicandum, hoc est cæleste. Et hæc fuit sententia Plotini, qui totum cælum lumen esse putabat, quamvis ob tenuitatem nostris oculis esset invisibile: attamen observans, lumen rarefieri, & rursus condensari, proinde illud corpus tale subtilissimum existimabat in cælo rarefactum, in stellis autem condensatum & visibile redditum: quam sententiam ex dictis Platonis & hic ex Hermete desumpsisse

videtur. Cum autem videret Lumen à Lumine emicare, & quidem tale, quod corpus vocare non posset; lumen principale corpus nominat; hoc autem, quod inde egreditur, vocat lumen æquivocum incorporeum, ab illo lumine pendens, & ex illo micans quasi flos ejus atque nitor: cœlum autem dicit corpus album existere. Verum graviter sibi Plotinus contradicit, utpote qui aliàs omnia ex suis causis appropriatis educere conatur, incorporea ex incorporeis corporea ex corporeis, aut certè corporea ex incorporeis tanquam nobilioribus rerum essentiis; hoc autem loco ex diametro, incorporeum ex corporeo prodire asserit: deinde etiam locum & locatum confundit, cœlum scilicet vel diaphanitatem cœlestem, in quo sola lumen fit visibile, cum ipso lumine. Non enim hic omnia ejusdē sunt essentiæ, sicuti in Deitate tertius tractatus demonstrabit. Vlterius & lucem flammæ à lumine cœlesti distinguit, neque concedit ejusdem esse naturæ propter impuritatem, ipsumque lumen flammæ, superioribus permisceri non posse; sed ad certum spatium percurrens prorsus extingui aëre quam plurimo occurrente. O Plotine! sicut tu existimas, flamma ejusque lu-

Plotini cõtradic tio

lumen periret, unde rursus accenderetur? totus jam globus terrenus igne suo & lumine foret privatus. Error Plotini exinde ortus est, quod naturam corpoream tantummodo speculando, non autem mechanicè examinavit: quod si fecisset, reperisset utiq; lumen in hisce, impurum existere ob admixtionem partium impurarum, & quod liberatum à lumine cœlesti non differens, cum eo & permisceri & gyrare ascendendo & descendendo modo apparere, modo iterum abscondi posse: hoc enim nisi ita se haberet, ignis noster terrenus jam diu foret consumptus: ita autem id, quod per flammam evaporat, per virtutem magneticam terræ iterum attrahitur, quod Basilius noster perfectius intellexit, qui solus & unicus philosophorum perpetuam generationem & corruptionem combustibilium fundamentaliter detexit, sicut lector ex præcedentibus observasse potuit. Melius ergo sentit Marsilius Ficinus, ignem quoq; sub Luna lumenq; suum de natura luminis cœlestis existere, esseq; portionem quandam cœlestis ignis, cœlesti quodam impetu craßioribus inclusam corporibus. Nos itaq; potius rerum veritatem & verbum opificis sequentes diximus,

Ficini sententia

mus: Lumen non esse neq; corpus crassum neq; subtile, neq; cœlum esse lumen, licet in cœlo multum de lumine à Deo sit collocatum. Cum autem lumen corpus esse non concedamus, quæritur an illud forma quædam simplex existat? Item an forma accidentalis, quantitativa vel qualitativa, corporea vel incorporea seu spiritualis, & substantialis? Nam harum omnium proprietates in lumine observantur. Quantitativa sane forma in lumine deprehenditur, imò eam habet prærogativam, ut Formarũ unam ex quantitativis lumen solum possideat, Continui scilicet. Nam omnia corpora & elementa corporea sub quantitativa forma discreti, quæ atomorum est, apparent: continuam verò non nisi ex accidente participant, quatenus videlicet multi atomorum in unam seriem connectuntur. Hanc igitur lumen possidet essentialiter. An tamen solum lumen eam possideat dubitari posset; nam & firmamentum ejus videtur esse particeps. Quod si aliquis atomos illos, qui in radiis solaribus & in aëre observantur, objecerit, consideret corpuscula illa non esse partes radiorum, sed potius corpora elementalia vel mixta, quæ in aëre volitantia per radios illos illuminata fiunt visibilia?

An sit forma simplex vel Accidentalis etc.

bilia: quod ex destillatione quis confirmare posset, ibi enim aliquando pro natura materiæ, quæ rarefit in fumos subtilissimos, corpuscula ista adeò attenuantur, ut oculis ad lucem dici non fiant obvia; quod si verò radij solares utpote solis occidentis recipientem feriant, tunc fumi redduntur visibiles: nam lumen vel à modica corporalitate reflectitur, partemq;, quam tangit, visibilem reddit, alteram autem similiter visibilem, sed sub forma umbrosa. Hanc quantitatis speciem in lumine confirmat extensio ejus in tres quantitates; Sicut & illud, quod in lineam & circumferentiam sese dilatat, & iterum in centrum coarctat, unde patet, quod vera formâ sphærica sit informatum: & per consequens non sit ex atomis compositum, sed atomus ipse, cui soli ista proprietas competit. Atomus enim ratione sui centri sphæra est, ratione circumferentiæ punctum in infinitum coarctabile. Hoc cognoscentes Mathematici punctum stabile pro fundamento suæ artis requirunt, quod si aufferretur, tota concideret. Sic & lux sub sua extensione sphærica existit, & sub sua concentratione illud, quod est minimum. Eandem continuitatis formam in luce confirmat ejus divisio, de qua

supra a

ſupra locuti ſumus, quæ licet discretio quædam appareat, non tamen eſt diviſio in partes vel atomos, ſicut nec ejus reflexiones rupturæ corporeæ. Licet autem lumen in corporibus appareat ut aliqua forma quantitativa, attamen cum ſit aliquid per ſe creatum atq; ſubſiſtens, ideo nullo modo forma accidentalis dici poteſt, & per conſequens neq; qualitas qualiscunq;, quod tamen plurimi exiſtimaverunt, moti videlicet multis proprietatibus, quas lumen cum qualitatibus habet communes, videlicet, quod cum coloribus reperiatur, & calorem ſecum vehat, & quod lumen in cœlis non ſit niſi qualitas ſubito præſens & ſubito abſens. Verum cum ex præcedentibus jam pateat, quod color non ſit lumen ſed compoſitus quidam effectus, reſultans per accidens ex partibus non accidentalibus, lumine ſcilicet & corpore puro vel impuro, opaco vel diaphano, hinc facilè patet, quod effectus, etiam in reliquis allegatis, cum cauſa confundatur. Idem enim de calore dicendum, cujus causa & natura ſub ignis flammæ examinatione ſufficientes patefactæ ſunt, quæ non differunt à cauſis colorum, niſi quod colores objecta viſus exiſtunt, calores autem objecta tactus, aliàs enim ob easdē craſſities

vel

vel raritates corporeas, calores fiunt vel depascentes, & sensum offendentes vel blandiores. Similiter & in aëre vel firmamento ex præsentia luminis resultat accidens, cum interim lumen, sive in vel extra aërem, sit aliquid per se subsistens. Ex his omnibus patet, qoud lumen in compositione non fiat accidens, licet sit causa accidentis inde resultantis. Et quoniam per se subsistit, ideo etiam de subjecto in subjectum potest transire, præcipuè si fuerit liberum à captivitate corporea crassiore, in qua sæpè retinetur tanquam avis in cavea. Quis autem avem vel partem vel accidens sui claustri affirmaret, licet admodum strictè in eo contineretur? Ergo nec luminis clausura mixtura vera appellari potest. Marf. Fic. com. in Theophr. c. 19. ponit sex proprietates qualitatum, quarum nulla in lumine reperitur. 1. Quod qualitas accedit per partes corporis paulatim: Lumen verò in momento adest, ubicunque non impeditur. 2. Qualitas passionem infert subjecto, mutatque in eo dispositionē ejus naturalem, primo accidentalem, deinde & substantialē: Lumen verò in sua puritate existens hoc nullo modo facit, sed per accidēs in compositione cū corporibꝰ, ut in flamma ignis.

3 *ignis.* 3. *Qualitas usq; ad certum spatium tantum propagatur: Luminis forma in immensum progredi posset ex natura formæ suæ sphæricæ, quæ est imago infiniti, nisi ejus actio à Creatore foret cohibita, & ad certum terminum destinata.*
4 4. *Qualitas abeunte formatore aliquandiu remanet in subjecto, ut igne semoto calor in aqua: Lumen verò, recedente eo, quod illuminat, nihil sui post se relinquit in illuminato, in quo videbatur hærere, nisi fortè calorem in corporibus caliditatem propriam possidentibus, à lumine foràs & in actum tractam; unde patet, quod effluxus luminis non sit qualitativus, sicut caloris vel odoris alicujus.*
5 5. *Qualitas movetur in suo corpore, quando corpus loco movetur: Lumen verò moto aëre vel aquâ non movetur, quod si autem moveatur cum corporibus coloratis, id fit ob captivitatem, sicut & in flamma: Vbi autem in se ipso liberum & purum est, tunc hoc ipsi nön accidit, similiter & dum contrahitur lumen in angustum, ex forma sphærica contrahitur, non autem ex contractione corporis, quod fit propter solam formam centralem, corpori illi per artificium additam, quá lumen gaudet tanquam formâ propriâ, & ita sese illi*

ap-

applicat, dum alias à nullo corpore sine tali
forma vinciri posset. 6. Qualitas infici po- 6
test & confundi cum cæteris qualitatibus,
ac commisceri in unum: Lumen autem syn-
cerum permanet, etiamsi in stercore reper-
tum fuerit, quia inde liberatur, dum per flam-
mam egreditur, & in aërem ascendit, in quo
ignis in lucem convertitur: unde patet, quod
nec inficiatur, nec corporalibus radicaliter
permisceatur, præcipuè impuris. Et licet
à corporibus elementalibus indivisibilibus,
neq; per naturam neq; per artem separari
possit, quatenus scilicet ut prima forma
creata ipsis firmiter adaptata est, patet ta-
men ex omnibus prædictis, quod etiam lux
quædam separata existat, in se ipsa subsistens,
& omnibus corporibus assistens, eò ut ipsis
perfectionem sub sua perfectione largiatur.
Proprium accidentium est, ut corrupta
substantia & ipsa evanescant, quod lumini
non accidit: accidentium est inesse subje- 2
cto, non esse subjectum; lumen autem quasi
subjectum esse videtur, dum species rerum
in se suscipit, quæ etiam cum ipso per dia-
phanum vehuntur. Accidentium non so- 3
lum est agere, verum etiam pati: Lumen
verò nihil patitur sed semper agit. Nihil pa-

titur

titur neq; à tenebris neq; ab opaco, sed ab opa-
co recedit, ne patiatur, & absentia sua tene-
bræ apparent, & tenebræ quasi à Luce perfici
videntur, cum tenebræ puræ nunc nullæ
dentur, sed semper habeant aliquid lucis im-
4 mixtæ. Lumen intrat corpora, non ut
corpus, nec intrando permiscetur qualitati-
5 bus, ut quantitates. Et tandem cum lumen
neq; incrementum suscipiat neq; decremen-
tum, non potest esse nec corpus nec quantitas,
nec qualitas: sed si inter formarum seriem
ponendum est, non certè ut Forma accidenta-
lis, sed potius ut substantialis, quia ut subsi-
stens per se à Deo est creatum & separatum:
ita etiam à Platonicis definitur, quod sit
actus purus corporis luminosi. Nos verò asse-
rimus, ipsum esse formam substantialem
non tantum luminosorum sed totius uni-
versi.

Quod autem Lux sit Forma formans, non autem formata, ut accidentales, patet ultra prædicta ex luculentissimis ejus effectibus. Lux enim omnia distinguit corpora & colores: omnia decorat lumen, cum ipsum sit omnium rerum sensibilium pulcherrimum Format omnes calores, colores, & imagines formatas illustrat, excitat, amplificat atq;

ex

exaltat. Quid enim in universo pulchrum foret sine lumine? Quid ergo formatum sine ipso? Pulchritudo enim forma est & omnis formositas à forma dependet. Deme lucem universo, quid restabit? Nonne umbra quædam horrenda Ægyptiaca, sola quædam forma quantitativa sphærica & ejus effectibus prædita, sine omni vigore & activitate? Est igitur lux & forma, & forma substantialis, & omnium formarum perfectiva, & substantia bona, creata à Deo Optimo; non autem substantia corporea, sed spiritualis: quia non tantum corpora decorat, sed etiam ipsam animam imaginibus variis depingit, non quidem imagines animæ imprimendo, sed animæ copulata imagines suas secum ferendo, ipsisq; offerendo & exhibendo. Nonne lux in seipso aliquid existit, non egens existentiâ corporum sed corpora ipsius? Nonne lux per se subsistit, dum corrupto subjecto corporeo ipsa incorruptibilis & sempiterna permanet? Quoniam ergo natura lucis est immobilis, & nunquam permutatur, est utiq; verum Ens, cui nunquam advenit entis oppositum, quod est defectus vel privatio essendi.

Consideremus ergo lucis proprietates, & Proprietates et effectiones

 per-

luminis Spirituales perfectiones spirituales, quæ tantæ sunt, u
aliquid divini participare videatur sic
substantiæ incorporeæ animarum: nam inco
poreas substantias Platonici divinas appe
lare solent, ideo quod plusquam corpor
1 de imagine Dei participent. Nonne spirit
alis planè est virtus illa, qua per totum un
versum diffunditur & ipsum occupat, & p
ipsum movetur tam subitaneo & imperce
tibili motu, penetrando corpora vel non por
sa? Nonne vis ejus vivificativa & operati
2 est plusquam spiritualis? Nonne vis purg
tiva à sordibus ejusdem est naturæ? Et v
tus conservatrix quæ ex vivificativa depe
3 det? Nonne lumen est Causa omnis caloris
præcipuè vitalis, sine quo nullum corpus
vere potest, neq; seipsum movere motu vi
4 li? Motus sphæricus & reflexio in seipsu
mentis intelligentiarumq; proprietates e
stunt, quas etiam lux participat. Invisibili
5 quoq; ejus in forma sua rarificata merè spi
tualis naturæ signum est, cum etiam ips
firmamenti quod subtilissimum elemente
existit, subtilitatē superet: In hoc enim mag
densitatis signa, ipsis oculis deprehend
tur, quod coeruleus ejus color ex opacit
participans è longinquo conspectus testat

Sicut & color ille coeruleus, quē in corporibus terræ majoribus solidissimis facit apparere, qui non provenit nisi ex interpositione firmamenti seu aëris atq́ vaporū, vel tempore serenissimo & æthere non turbato, unde elicitur, quod ipse sit visibile crassum, positū inter objectum crassius, & oculum videntem. Præterea & illa virtus plane cœlestis existit, 6
qua lumen globo terreno omnes virtutes supercœlestes atq́ cœlestes secum adducit, quarum effectus mirabiles in omnibus hisce corporibus observantur: de quo latius tractatum est ex Basilio in materia minerali. Et 7.
tandē sola proprietates Spiritus visivi in oculo, sensui tam externo, quā interno, virtutes vitales & vivificas luminis, possent patefacere. Qui hæc pro dignitate examinare & disquirere vellet, illi opus foret totius visionis materiam perlustrare. Hic enim spiritus eandem naturam habet cum lumine solis & terræ, licet non eandem potestatem, ob paucitatem, multo tamen majorem quoad effectum propter animam sensitivam ipsi assistentem. Nam lumen illuminans se ipsum tantum & diaphanum, per quod fertur, pulchritudine Formarum variarum decorat. Lumen autē oculi species suas quas recipit, usq́ ad me-

Collatio spiritus visivi cū lumine solis: Minor illo potestate, sed effectibus Maior, et quare.

moriam,& ex memoria in lumen phantasia promovet, imò secum portando ipsas usq; ad animam deducere videtur, de quibus omnibus utpote amplissimis & subtilissimis considerationibus hoc in loco loqui non possumus. Est etiam lator non solum formarū visibiliū externarū, sed etiam omniū formarū substantialium corporearum specificarum, quæ intra corpora & semina eorum resident, sive illæ mediante anima propria cujuslibet individui fabricentur, sive etiam ex vita mundana, in qua juxta Platonicos formæ seminales resident, in corpora descendant. Hoc amplissimè demonstrari posset ab effectibus qui in generatione monstrorum observantur quarum impressio tam subitanea opus spirituale luminis vitalis & phantastici satis testatur. Ex quibus omnibus elicimus ut supra naturam lucis propriā nihil aliud esse, nisi medium quid inter corpoream animalemq; naturam: ita ut sit quasi jam anima, & rursus qua corpus animæ proprium, ejus essentiæ maximè vicinum, sicut de hoc spiritu universi loquitur Marsilius. Et talem etiam natura necessariò habere debet id, cui incumbit proprietas, ut cuncta connectat & concilie opus enim est ut cuncta permeare, cunct

in

in se recipere, cuncta penetrare possit. Opus ergo est, ut cum corporibus corpus, cum formis forma, cum vita & anima, vitalis existat naturæ. Hac enim ratione, virtute sua magnetica, cuncta attrahere, retinere & vincire potest amicabiliter ac vitaliter, non violentia contrarietatis: hac ratione tanquam spiritus vitæ, vitam animæ conciliabit corpori, & corpus animæ sua vivificatione præparabit, ut aptum ipsi existat habitaculum. Hac ratione cœlum cum terra unire, virtutes stellarum de cœlo trahere, & terræ largiri poterit. Idem enim spiritus, qui in nobis est vinculum animæ & corporis, est ligamentum totius mundi majoris atq; minoris. Nam spiritus animalis, qui sensuum instrumentum est, naturæ solaris est & radiosus, præsertim in oculo, ubi per pupillam radius ejus purior evolans cum externo lumine simili commiscetur, in aëre, & ibi in unam speciem cum hoc lumine coalescit, & resiliendo regreditur, adducens nobis secum dona mundi majoris. Hic ergo spiritus ex creatoris potestate pullulans, ignis est verus, & quasi lumen aliquod penè animale, est in dimensiones jam perrectum, spiritus actu lucidus, potentia calidus, poten-

tia inquam propinquiſſima, (quia non eget niſi concentratione) fomes omnis generationis, cœlum non circumfuſum ſolummodo, ſed etiam cunctis infuſum, cœlumq; cœlorum. Nam in rariſſimo corpore, quod cœlum eſt, propriè & proximè habitat, & mediante iſto omnibus aliis corporibus communicatur, quod eſt diaphanum, genuinum habitaculum lucis. Hinc etiam aſſimilatur flatui Divinitatis, qui eſt Spiritus ſanctus, ſicut ſupra de ſale monuimus. Spiritus iſtius forma animæ jam eſt proxima, cœleſtis, ignea, translucida, lucida, calida, protinus evolans, mox in aëris jam animæ diſſimiliorem fumeſcentem, ſubinde in aquam terramq; compactam. In corporibus eſt quædam veritatis rerum ſenſibilium declaratio, pulchritudinis flos, delectatio ſenſus. Vnde elicitur, quod ipsa pulchritudo nihil aliud ſit, quam ſplendor per gradus à Dei voluntate emicans, maximè per radios oculorum, rapiens intuentes & amatores, occulto quodam calore ſibi animas attrahendo. Lumen hoc eſt color ſubſtantialis & causa omnis coloris corporei: quia eſt primum viſibile, ſine quo nihil viſibile foret. Eſt etiam rurſus primum videns, quatenus animam habet comitem, quæ eo utitur tan-

quam

quam instrumento. Hæc sunt elogia, quæ ipsi passim tribuit Marsilius noster, cujus diligentiâ diligentia nostra in examinatione istius materiæ nonnihil usa est. Cum igitur Lumen sit vinculum & amor universi, atq; in corporea ac mortalia connectere debet, concludimus, quod necessario id ipsum neq; sit incorporeum neq; corporeum; sed mediæ cujusdam naturæ, similiter quod sit incorruptibile atq; vitale, quatenus immortalia mortalibus communicat, ac mortua vitali aura decorat. Interim tamen lectorem monemus, ut semper in memoria habeat distinctionem luminis ex tractatu nostro priore, ipsamq; lucem consideret ut simpliciter creatam, & postmodum quatenus à Creatore iterum à reliquis partibus elementalibus fuit separata, separatione tali videlicet, ut & per se subsistat, & omnium corporum superficies impleat. Nam in prima consideratione alias habet proprietates, & in secunda itidem alias. In prima totam occupat superficiem naturæ corporeæ indistrictæ: In secunda cernitur in gradus distributum. Per primam considerationem reperitur etiam in omnibus partibus elementalibus, ut-

pote pulvere; phlegmate, sale, firmamento seu aëre aut diaphano subtiliore, ita ut diaphanum ipsum, etiam hoc respectu proprium possideat colorem seu luminale, licet debili modo. In separata autem natura lumen per varios gradus distributum cernitur, maxima autem copia atq; virtute vitali. In sale congregatum. In prima consideratione non nisi simulachrum quoddam vitæ secum portat in elementis simplicibus, pulvere, phlegmate, aëre: In secunda autem ferè vita ipsa existit: Licet etiam ex accidente & mixtura sæpe sit causa mortis. Nam in secunda consideratione, nobis apparet ut Elementum igneum, tàm comburens, mixtum impurum, quàm vitale incombustibile & purissimum, quod tanquam verum Elementum intrat in compositionem mixtorum: non autem concedimus, ipsum esse elementum corporeum sed spirituale. De ejus materia hic non inquirimus, committentes ipsam capiti sequenti, ubi de materia prima, quæ elementis simplicibus subjacet, agetur. Locum proprium ejus diaphanum nominamus ex unanimi consensu omnium philosophorũ.

Hoc

Hoc cœlum existit, quod una cum lumine cuncta permeat usq; ad centrum globi terreni: & sic lumen in cœlo; Cœlum in sale, aqua & terra continetur, ast cum differentia. In phlegmate enim & pulvere habitant sine efficacia; in salsa autem substantia, quæ ipsis est amicabilior, cum maxima virtute. Per eam enim, quicquid activitatis habent, in corporibus exercent utpote in vero humido radicali. Occasione data addimus parum de ea quæstione, an detur vacuum? quæ tantum inter philosophos disceptatur. Multi vacuum mechanicè probare, multi per eundem modum contrarium demonstrare voluerunt. Ast hoc in passu etiam verum est illud Platonis: qui benè distinguit, benè docet. Nam vacuum pluribus modis esse potest; utpote si corpus aliquod terrestre vel vitreum compactum, aquâ, quam continet, evacuetur, tunc sanè vacuum est humidâ illâ substantiâ, quam antea continebat: non autem sequitur, quod vacuum sit vapore rarificato: quod si verò & ille vapor, qui humiditas est rarefacta, per artificium aliquod è vase trahatur clauso, tunc etiam vacuum erit

An detur vacuum?

vapore illo, non autem vacuum aëre vero elementali, hoc est cœli seu firmamento: Hoc enim omnia corpora etiam minimè porosa penetrat unà cum lumine, vel etiam sine ipso: unde facilè patet, quod non detur vacuum, cum corpus adeò densum non reperiatur, quod naturæ cœlesti obstare possit. Quòd autem corpora in partes dissiliant, vapore omni evacuato, id non tantum videtur adscribendum naturæ plenitudinis, quam rupturæ, quæ fieret in ordine rerum, in quo primo reperitur corpus pulverulentum, mox aqueum, post salsum, & inde vapor: huic firmamentum, & firmamento lumen succedit. Quod si igitur pars aliqua istorum ordini suo subripi posset, tunc turbarentur gradus universi, regulæ naturæ, & leges Creatoris. Sequitur igitur quod potius conamen humanum, quam ista, sit rumpendum. Quâ enim ratione cœlum cohæreret pulveri subtracto phlegmate, sale, vapore? Qua ratione lumen? Laudetur ergo Deus naturæ qui ipsam in suis operibus non sinit vacillare nec à legibus suis recedere. Hujus auxilio ad finem tractatus secundi properemus.

Cap. VI.

De Materiis & Formis rerum.

Ante omnia observandum est, quod omnis specificatio vel differentia materiæ procedat à sua forma, quæ quò magis erit specifica, eò etiam majorem differentiam materiæ suæ introducit. Cum igitur præ omnibus rebus creatis corporeis, humanum genus maximè decoratum sit pulchritudine suæ Formæ, patet etiam, quod materia corporis humani differentiam suam cum reliquis materiis corporum inde recipiat. Huic autem proximè succedunt animalia per suos gradus, quibus vegetabilia, & his mineralia. Materia autem proxima horum corporum est semen, in quâ forma illa specifica nondum evoluta delitescit, de quibus in præcedentibus satis fuit tractatum. Omne autem corpus compositum, sive sit organicum, sive simpliciter mixtum, sive seminale, dividitur in suas partes, ex quibus proximè constat: & hæc divisio potest fieri tàm per artem, quàm per naturam.

Per hanc divisionem reperiuntur partes duplicis generis, in prima separatione. Primum genus istarum partium sunt Elementa simplicia: alterum elementa vel partes mixtæ, adhuc ulterius divisibiles. Elementa simplicia sunt pulvis terrestris & aqua phlegmatica, quæ ubi per separationem artificiosam perfectè ab omnibus extraneis fuerint liberata, non amplius existunt specificata ad hoc vel illud regnum rerum, sed sunt communia omnibus, & quidem elementa mortua nulla virtute activa prædita. Pulvis enim est cinis damnatus & terra maledicta, ut Chymici loquuntur: & phlegma similiter sine omni spiritu. Hæc duo elementa reliquis duabus partibus ex resolutione residuis subjacent tanquam materia suis formis, cum quibus juncta, esse specificum vel individuale alicujus corporis constituunt: & contra si fuerint separata, tum non habent nisi esse corporeum generale. Residuæ duæ partes sunt oleum combustibile, & substantia salsa: quæ nequaquam existunt simplicia sed iterum ex pluribus partibus mixta reperiuntur. Oleum combustibile autem

est

est duplicis generis, primum subtile, secundum crassum & piceum. Illud Avicenna in corporibus humanis vocat choleram rubeam; istud nigram. Horum oleorum naturam medici diligentissime examinare debent eorumq; virtutes & malignitates. Non enim, ut pulvis & phlegma, spiritualitate & activitate carent, quia ignis flammæ inde prodit, & similiter calor vitalis proficuus, si fuerit corpori proportionatus, maximè autem nocivus atq; mortalis, si superabundans & accensus; quæ quidem accensio licet non conspiciatur sub flamma, prodit se tamen per effectum in febribus calidis vel morbis sulphureis: ex oleo piceo autem morbi melancholici originem trahunt. Ita ut in hoc subjecto magna vis vitæ & mortis corporeæ subsistat, & causa præcipua, sine qua neutra earum prodire & subsistere valet. Nam quoniam olea ista lucem & spiritum vitæ sibi habent inclusum, ideo non minus posident virtutem medicam, eandemq; differentem, quatenus differentiam receperunt à specifica forma, vel animali, vel vegetabili, vel minerali: Imò in corporibus maximè variegatis reperiuntur etiam olea, virtutibus variis prædita; licet quoad

sub-

substantiam & visum non adeò differant. Aliud enim est oleum sanguinis, ossium, vel stercoris animalium, licet sub una forma specifica fuerint formata: hoc autem habent ex differentiis particularibus illius formæ. In vegetabilibus similia observabis. Nam aliud est oleum vini, aliud tartari, ligni, acinorum &c. Hoc oleum duplex rubeum & nigrum ubi perfectè separata fuerint, tunc rubeum est subtile, ut dictum, nigrum verò crassum adeò tenax evadit, ut in frigido in formam alicujus gummatis aut colophonij concrescat, unde mali inde provenientis infortunium, diuturnum & potius deplorandum, quam per medicamina vulgaria curabile. Vtrumq; autem est inflammabile, & tunc in partes simpliciores denuo dividitur. Lux enim cum suo diaphano æthereo evolans, lucis immiscentur naturis, quod verò pulverulentum, phlegmaticum, salsum superest, eorum quodlibet etiam propriam suam subit formam simplicem, à forma specifica, quæ destruitur, liberatum. Pars salsa autem ab heterogeneis terrestribus, aquaticis, & combustibilibus denudata, adhuc divisibilis est in partes suas homogeneas,

quas

quas si quis spiritum animam & corpus vocare voluerit, sive aliis etiam nominibus artistis cognitis, nil curo. In istis autem Scilicet oleum, et salem. *partibus tam separatis, quam conjunctis maxima latet virtus medica, quin spiritus vitæ in illa residet, & præcipua vis formæ specificæ in ea continetur, quam quidem aer* avs *conservare potest integram, vel etiam ignorantia destruere. Ergo inter salia distinguee.* vt, inter ... *Hoc etiam observatione dignum censeo, quod quamdiu ista virtus & forma specifica in medicinis sive crudis, sive præparatis non penitus fuerit destructa, tamdiu retineat proprietatem activam suæ naturæ: & quod non citius penitus destruatur, nisi ubi per vitam vegetativam animalis, partes istæ sanguini immixtæ, ex materia sanguinis in materiam corporis solidi transmutentur. Tunc enim forma, & vis specifica, quæ fuit in herbis vel aliis rebus, transmutatur in aliam formam, specificam nempè membri hujus vel illius in animali. In sanguine autem tanquā parte mobili alicujus corporis quæ potest adesse & abesse adhuc videtur retinere de virtute sua activa: quod nisi ita se haberet, tota medicinalis practica foret potius casualis quam causalis: Quòd autem for-*

ma

mæ istæ specificæ à vita vegetativa sic immutari possint, patet etiam ab experientia, ex mundo majore desumpta, & præcipuè in globo terræ, ubi cadavera animalium, formis suis totaliter privata, transeunt rursus per putrefactionem in elementa simplicia & formas generaliores, quousq; ab eadem vita novis iterum formis specificis induantur.

Omnibus ergo partibus perfectè separatis vel à natura vel ab arte: tunc in theatrum prodeunt partes simplices, quæ sunt, pulvis, phlegma, sal, cœlum, & lux, quæ libet decorata forma sua simpliciore, quam quisq; sibi imaginari potest. Abstracto enim specifico, quod forma est, non restat nisi generalius & tandem generalissimum. Concludimus igitur, quod materia proxima materiæ seminalis & mixtorum corporũ sint elementa ista simplicia, non ultrà destructibilia neq; ab arte neq; à natura, sed à solo Creatore, quod fiet, cùm ipsi placuerit. Quam elementorum constantiam & dissolutionem confirmat S. Petrus Ep. 1. c. 3. inquiens, quod cœli ac terra, qui nunc sunt, sermone Dei reconditi servantur igni &c. & quod cœli cum stridore peribunt, elementa verò æstuantia solventur, terraq;

&

& quæ in ea sunt opera exurentur, quam omnia hæc dissolvenda sint. Hæc igitur elementa generalia quamdiu nutu Dei servantur, ex additione formarum specificarum varietatem suscipiunt, quæ quidem additio fieri potest pluribus modis. Nam specificari possunt primo in genere, ad unum ex tribus regnis, utpote animale, vegetabile, vel minerale. Deinde specificari possunt iterum ad species animalium, vegetabilium, & mineralium: Postea ad individua: & tandem ad partes membrorum individualium, sicuti mox dictum est de sanguine, ossibus &c. Meminerit autem lector, virtutem specificã propriè non fieri activam nisi in partibus compositis, scilicet sale & oleo, per quæ informata, pulvis & aqua rursus informantur. Separatis igitur omnibus hisce formis specificis, tunc elementa prædicta non retinent nisi formas suas proprias, quæ tales sunt, ut corpora sua apta reddant ad formas quasvis specificas recipiendas. Hæ namq; formæ elementorum generales sunt, utpote calidum, humidum, frigidum, siccum, ponderosum, leve, densum, rarum &c. Ex quibus quædam respiciunt qualitates, quædam quantitates suæ materiæ, in qua continentur & recipiuntur.

Quatenus enim in elementis videmus differentias quasdam & contrarietates, quæ saltem à summa intensione qualitatum ita nominari possunt, eatenus etiam observamus aliquid commune in ipsis, per quod coire & ad invicem componi possunt: quod si non daretur, compositio etiam eorum vel mixtio esset impossibilis. Si enim ignis nihil in se haberet, & non existeret aliud, præterquam simplex forma caloris, qua ratione coire posset cum simplici forma frigiditatis? Sunt igitur non solum quædam ex supra nominatis formis inter quæ sunt quasi mediatrices contrarias & differentes: Sed est insuper aliud quoddam subjectum & quidem de necessitate, in quo hæc omnia suas mutationes, alterationes, actiones & passiones operantur. Elementa sanè cum sint plura, differentia, contraria, formata propriis suis formis generalibus, clarum est utiq; ipsa nequaquam existere primam & universalem rerum omnium materiam, sed hanc potius esse subjectum quoddam, quod in se ipso consideratum omni careat forma actuali, quodq; in consideratione, quatenus à prædictis formis jam fuerit definitum, aut certè à formis adhuc generalioribus occupatum, materia prima

ma formata dici possit: Quæ quatenus talis nihil aliud esset quam chaos universale. Hoc igitur chaos neq; est Forma, neq; Materia, neq; lux, neq; tenebræ, neq; rarum, neq; densum, ponderosum vel leve, siccum, humidum, frigidum, calidum, sed mixtum horum omnium cui materia sua propria subjacet omnibus formis generalibus suscipiendis aptata. Hæc igitur materia, quæ pars vel fundamentum hujus mixturæ existit, est vera Materia, quæ unica est, & nomen materiæ propriè loquendo meretur, quatenus scilicet in se ipsa consideratur, semota omni forma. Materiæ enim succedentes, utpote elementales, principia, semina, corpora mixta, omnes formatæ existunt, & ex materiis formatis resultantes, quarum mater est ista, de qua loquimur, & quæ in omnibus reliquis continetur. Hanc materiam, cum cognitu sit difficilis, non nisi sola ratione percipimus: quàm primùm enim consideratur ut aliquid formatum, tunc non amplius est materia illa simplex, sed vel elementum, principium, semen, individuum: unde fit, quod in sua natura subsistens sensui percipi non possit. Quæcunq; enim sub sensum cadunt, ea sentiri non possunt absq; dictis formis sensibilibus vel universalibus vel

ſpecificatis. Hinc igitur per ſolam rationē materia iſta poteſt videri, quæ novit ejus neceſſitatem pluribus de cauſis, ex quibus præcipuæ ſunt. 1. Illa, quam ſupra allegavi, quod ſcilicet ſine ipsa forma non concordantes in unum compoſitum coire non poſſint. 2. Quod niſi foret ſubjectum recipiens, formæ accidentales ſubſiſtere non poſſent; quia accidentalitas, quæ eſt eorum eſſe, penitus tolleretur: Nam ſi ſubſiſtere dicerentur ſine ſubjecto, tunc non forent accidentales ſed ſubſtantiales, Quia omne quod accidere dicitur, neceſſe eſt ut alicui accidat. 3. Non exiſtente materia iſta, nulla daretur actio & paſſio rerum. Forma enim ut forma, non agit in formã, quia iſto reſpectu ſibi non contrariantur, ſed in eodem genere, ſcilicet formali, conveniunt, licet in proprietate formali ſint ſpecificæ & differentes. Materia autem formata, & forma materiata in ſe invicem agunt & patiuntur. Illud, enim, quod patitur, ſemper eſt materia. Et quælibet forma agens in materiam, juxta ſuam proprietatem materiã pati facit. Quòd ſi igitur materia iſta ab alia forma jam fuerit paſſa, & rurſus ab alia pati debeat, neceſſe eſt ſane, quod forma debilior cedat fortiori, ut iſta materiã affici-

ficiat. Vnde patet, quâ ratione oriantur contrarietates formarum, nempè ex formarum differentia, & majori vel minori virtute vel potestate. Patet etiã, quod actio formæ per directum nõ tendat in formã, sed per indirectũ: Intentio enim cujuslibet formæ est informare materiam, quam si ab alia forma jam occupatam invenerit, tunc formã illam, quæ accidẽtalis est, expellit, non tam propter inimicitiã, quam habet in formã, quam propter desideriũ se ipsam perficiendi materiam informando. Patet insuper ex hisce non solum materiæ necessitas, sed etiam ipsius Vnitas, & formarum pluralitas & differentia. Si enim materia duplex foret, nulla daretur contrarietas actionum in subjectis diversis, sed quilibet rex in suo regno regnaret, non habens causam plus appetendi. Eadem contrarietas tolleretur, si non esset nisi unica forma: tunc enim formæ è materia pelli non possent, sed foret status perpetuus absq; omni motu & alteritate. Quanquam autem necessitas istius materiæ primæ per rationem optimè concludi atq; rimari possit, admodum tamen difficile est ipsi rationi, quidditatem ejus exprimere. Cum enim sit aliquid, quod actu omni formâ caret, impossibile quasi exi-

existit anima nostra, quæ forma est, & omnia per formas cognoscit, ipsius quidditatem vel concipere vel describere. Quatenus enim cogitatur absq; omni formâ separatâ, tunc non est aliquid perfectum actu, siquidem omne esse quod qualicunq; ratione perfectum est appellandum, à forma participare opus habet. Neq; tamen materia, vel absq; omni forma considerata, omnino est nihil, sed ut Marsilius Ficinus ait, entium potius infimum judicatur, quod differt à nihilo eatenus, quatenus nihilum omnino nullam habet proprietatatem aut conditionem, materia autem ista habet dispositionem vel ad simplicissimam vel ad omnem formam recipiendam sivè mediatè sive immediatè. Hanc autem appetitus & dispositionis potentiam non habet à se ipsa: Quia tanquam omnium rerum impotentissimum sibi ipsi potentiam dare non posset, sed à supremo Creatore, ab illo, qui Est & non Est, & qui quatenus Est, est super omnia existentia, & quatenus non Est, est omni essentia longè superior & eminentior. Ab hoc inquã Domino, materia esse suum qualecunq;, si modo esse sine forma dicere licitum sit, accepit. Hac igitur quoniam totaliter est carens forma

mâ, à philosophis variis nominibus circumscribitur: A quibusdam vocatur prima materia corporum, ab alijs potentia, ab aliis infinitum, quatenus scilicet nullum ad huc à forma recepit finẽ, vel terminum actualem, licèt in suo appetitu & Dispositione, non sit infinitum, sed jam ad certum & actuale esse ab ipso Deo potentialiter circumscripta. Hinc etiam Plotinus refutat Anaximenem vel Anaximandrum, qui materiā ita appellavit eo sensu (ut fertur) quasi ipsam pro Infinito ipso acciperet, quod falsum est, cum non sit nisi quadam ipsius Infiniti imago, neq; totaliter infinitū quid, sed infinitum tantum respectu formæ, quá caret actu, non autẽ infinitum respectu suæ dispositionis aut appetitus ad Formã, qui Formæ ipsius terminū excedere nō potest. Optimè igitur & pereleganter à Plotino vocatur Verū non Ens, quo vocabulo ipsam ab Entium serie & ordine excludit, & tamen à veritate essentiæ non penitus rejicit, & à natura nihili omninò sequestrat. Hæc igitur materia prima est Mater & materia omnium rerum, ex qua tanquam radice per successivas generationes, materiæ superius descripta producuntur: Difficilis captu cum omnis co-

Variæ ipsius appellationes

Est verum non Ens

Mater omnium rerum.

gnitio nobis per formas acquiratur, hæc autẽ per solam formarum privationem nobis innotescere possit. Ex ijs, quæ dicta sunt, observandum est, quod materia rerum in duas series distinguantur. 1. In Vniversales. 2. Specificas. Inter Vniversales est Vniversalissima & fundamentũ omnium materiarum, quam nunc descripsimus, cui mox succedunt Elementa communia. Ex specificis materiis remotior est materia Elementorum specificorum vel principiorum: Proxima verò materia seminalis. Vel sic etiam distingui possent, ut ponatur. 1. Materia universalissima, 2. Vniversalis. 3. Specificæ, 4. specialissima. Talem ordinem in rebus corporeis existere, ipsa experientia docet, & ratio suadet. Non enim in operibus naturæ datur transitus vel saltus ab uno extremorum ad aliud, ita ut ex materia universalissima subitò & immediatè specialissima proveniant, & è contra mixta corpora in illam materiam simplicem resolvantur: Sed potius per gradus rerum. Imò sicuti supra monuimus sub capite de elementis, materia prima nunquam spoliatur suis formis generalibus, quibus subjacet in elementorum simplicium substantiis,

cum

cum elementa neq; per artem neq; per naturam sint destructibilia, sed à solo Creatore in fine mundi. Vnde etiam sensui semper apparet formata, & non nisi per rationem interiora penetrantem apprehenditur, prout dictum est.

Modus autem, quo materia universaliter informatur per formas universales, est duplex. Vnus quatenus suscipit Formas substantiales, quæ sunt sphæra, Tenebræ, & Lux, quibus materia informata si rursus componatur, resultant inde formationes accidentales, quæ percipiuntur à quinq; sensibus, & hoc accidit in Elementis compositis ex materia prima formata. Nam ex natura centri fit congregatio, ex congregatione soliditas, ex centro & soliditate cum tenebris fit opacitas, quibus si addatur lumen, quod propter tenebras non potens penetrare in corpus opacum & solidum, reflectitur ad circumferentiam & efficit corpus coloratum, plus minusve juxta proportionem partium.

Corpus autem coloratum fit visibile tum per colorem proprium, tum per luminis externi illuminationem, & sic corpus terrestre fit sensibile quoad visum, & tactum ex

parte. Ex mixtura autem cum reliquis elementis recipit etiam cæteras qualitates secundum magis & minus. Proprietates tamen ejus propriæ atq; præcipuæ sunt de natura centri & tenebrarum, ex quibus fit solidum & opacum. In elemento aquæ autem cum sit corpus perspicuum, materia jam magis affecta est de natura seu forma lineæ & circumferentiæ & lucis: unde non tantum de soliditate participat quam terra, plus tamen quam aër seu firmamentũ & ignis vel lux separata, quàm suo loco spiritum vocavimus elementalẽ, vel elementum spirituale: & quatenus est per se magis visibile, quàm aër & ignis, eatenus etiam plus habet de natura tenebrarum & centri, quæ in ipsius diaphanitate non nihil de opaco constituentes lumen sibi proprium immixtum reflectunt ad circumferentiam vel superficiem. In cæteris autem qualitatibus & ista variatur ex mixtura vel actu reliquorum. Per tactum tamen in sua natura percipitur esse frigida, quod præcipue patet ex glacie, ita qualitatem frigidam sibi possidet tanquam propriam, & cæteras magis ex accidente. Aër seu firmamentum jam maximè diaphanum existens & rarum, multùm

de

de circumferentia & luce in se habet, & soliditatis apparentiam non participat nisi per accidens & per consequens etiam colorem & tenebras, in natura autem sua ferè nihil taliũ possidet, & de cæteris qualitatibus pro varietate mixturæ accidentalis: utpote versus terram calidus est vel frigidus pro reflexione lucis solaris ejusq; propinquitate vel absentia, & pro dispositione vaporum ascendentium, quibus semper est repletus aliqualiter. Sic etiam versus locum solarem necessariò calidus esse debet suo modo, quia ibi egressiò lucis naturaliter est fortis & unica, cujusvis calefaciens percipitur ex concentratione radiorum, dum feruntur in materiam calorem suscipiendi aptam. In medio autem est frigidior, quia ibi tam de calore solis disperso, quam de calore ex terra reflexo disperso afficitur. Ignis autem, cum sit rarissimus in sua natura, est invisibilis imò omnibus sensibus pene imperceptibilis, nisi cum elementis solidioribus commixtus fuerit, tunc enim vim suam maximam patefacit & fortitudinẽ, qua omnia corpora crassa vincit & ea fortificat, quod patet ex furia flammarum. Materia igitur in natura ignis,

Ignis

maxime afficitur de

ignis, maximè affecta est de forma circumferentiæ & lucis. cum nihil aliud sit nisi Lux ipsa, à Creatore ex chao primitus separata tàm formaliter quàm localiter. Hisce universi partibus elementalibus tàm solidioribus quàm subtilioribus & spiritualibus interpositum est vinculum substantiæ salsæ, quæ de omnium prædictarum partium æquali pondere & proportione juxta omnes formas participare videtur, unde etiam à Philosophis describitur tanquam quintum quid inter quatuor positum, ut eas vinciat atq; in unum commisceat, quæ veritas ab experientia patescit, hoc enim medio ex composito aliquo sublato illud destruitur, & in partes simplices est separabile. Hujus ergo vis magna existit, præsertim si in ultima sua perfectione conspiceretur.

Hactenus materiam per se, ejusq; mixturam cum formis consideravimus: Superest igitur, ut etiam Formas in se ipsis aliquantulũ conspiciamus. Formæ sunt tàm in Causis efficiẽtibus, quàm in se ipsis, si fuerint substãtiales, & in materia, si fuerint accidentales. Deus autem Creator & Causa Causarum est causa efficiens præcipua, cui succedunt vel angelicæ, vel rationales, vel naturales vel artifi-

tificiales. In Deo est Forma seu species ejus propria ex seipso & ab omni æternitate, infinita & incomprehensibilis, Facies cujus conspectus gloriosus mortalibus non est concessa. Reliquæ autem omnes ab ipso ex nihilo producuntur, quas quidem consideramus per comparationem quandam desumptam ex humana natura. Hæc enim sibi fabricat phantasmata, rationes, intelligentias, sic fermè Deus Creator producit formas substantiales corporeas, seu seminales tanquam phantasmata realia, & animas tanquam rationes essentiales, mentesq; angelicas ut intelligentias. Nam sicut homo imago Dei sibi fabricat imagines vel similitudines rerum, ita Deus cogitando & loquendo res ipsas producit. In angelis autem sunt formæ propriæ, ex creatione, & potestas formativa ex concessione Mentis vel sapientiæ vel lucis Divinæ: Sic etiam in animabus rationalibus: Sed tantummodo universaliter. In natura autem seu vita mundana vegetativa universali, tum generaliter, tum particulariter, juxta quod vel ad universum vel ad particularia operatur, ut in globis cœlestibus vel in terreno, dum plantas producit, insecta & animalia. Sic etiam in homine anima propria vegeta-

getativa possidet rationes suas seminales humanas particulares. Natura seu vita universi formas suas, quas destribuit, à Deo possidet, vel mediatè vel immediatè: Mediatè per naturã angelicam, quæ platonicorũ est sententia: Immediatè verò ab ipso Deo per Creationem sibi impressas participavit, quod verius est. Anima autẽ hominis quatenus immediatè à Deo creatur, eatenus etiam illas â Deo immediatè receptas possidet: adjuvatur tamen ab anima seu vita mundi in suis operationibus, per stellarũ influentias, terram, vel etiã fortè angelicas naturas. Et hæc vita vegetativa suas formas possidet particulares, etiam sive quod ipsas addiscat aliunde, vel sive quod ipse homo sciat rationẽ, quâ illa operatur. Formæ autem artificiales particulares in anima rationali tanquã causa efficiente artificiali non præexistunt tanquam participatæ â Deo: Sed mediantibus formis sibi propriis, ast universalibus, quas notiones communes vocamus, eas sibi acquirit ab objectis, mutuando per ostia sensuũ, & formas suas universales sic variando, & diversimodè proportionando sibi format particulares formas, juxta quas postea operatur. E.g. Pictor considerans faciẽ hominis, uni-

niversaliter omnia ea cognoscit, quæ in specifica forma sic vel sic disponuntur: ast particulares istas dispositiones sibi acquirit per sensum visus & cæteros, utpote imaginationem, phantasiam, & memoriam. & postea in tabula similem planè effingit, vel quasi, aut omnino differentem, attamen cùm specie vultus humani concordantem, quòd equidem facere non posset, nisi sibi ideam istam antea per visum ab objecto comparasset. In istis ergo commemoratis reperiuntur omnes formæ causarum efficientium, prout realiter causæ efficientes possunt distingui: In materia autem latent formæ seminales tanquam exemplaria rerum, perpetua circulatione generationis & corruptionis conservata: atq; hoc vel universaliter in materia prima elementari, vel particulariter in principiis corporum & seminibus. Hisce si causæ efficientes accedant tunc prodeunt inde res formatæ ad utramq; formam, efficientis scilicet & materiæ: & forma tertia inde resultans est figura externa unius cujusq; subjecti. Ex corporibus autem sic formatis resultant iterum species novæ, per luminis naturam reflexæ, effluentes & receptæ tàm in aëre, quàm in speciebus vel aliis Formæ seminales

cor-

corporibus oppositis, quæ quidem species vehuntur in lumine, & in animalibus per spiritus seu lumen visivum deportantur usq; ad locum imaginationis & memoriæ, ubi vocantur phantasmata Species istas lumen animalis internum, quod phantasia vocatur, iterum illuminat, sicut a sole vel aliis luminibus exterius illuminabantur & lucebant: Simili modo & in memoria lucent, & maximè tempore noctis & tenebrarum, ubi à speciebus exterioribus non supprimuntur. Istas species sic illuminatas Ratio particulariter transcurrit, inspiciendo, eligendo, & congregando, quæ sibi placent, & tandem adjuvante intellectu convenientia in unum quid componit, ex cujus consideratione & possessione sibi integram alicujus rei acquirit cognitionem.

Pars Tertia.

LAUS CREATORIS.

Tria dicimus Unum intelligimus.

PRAEFATIO.

RElIgio quidem omnibus hominibus adeò propria existit, ut potius connata, quàm acquisita videatur: per hanc enim à beitiis plus distinguimur, quàm per rationem, quæ alias communissimam definitionem hominis constituit. Illud enim maximè proprium existimandum, quod ali cui seu individuo, seu speciei, soli & semper convenit. Ratio quidem in hominibus regnat, scintillas tamen suas etiam infra hominem seminat: Nam & in brutis aliquo modo reperitur, minori quidem gradu, quam ut rationis nomine digna videatur: ast qualis quantaq; tandem existat, communem tamen eam habent cum hominibus, unde nos sola Religione à bestiis perfectè separamur, quæ tamen sine rationis instrumento raro gubernatur. * Quanquam autem religio omnibus hominibus sit communis, diversa tamen existit in plurimis, ex

duplici causa. Prima est varia Dei consideratio: secunda desiderium propriæ salutis. Deus quidem ab omnibus aliqua ratione cognoscitur: etiamsi reperti sint, qui ipsum vel mentis defectu, vel nefaria conscientia negare ausi, vel certè ægrota & debili ratione de ipso dubitare: paucissimis tamen hoc accidit, neq; unquam horum opinio in sectam coaluit, neque ulli persuasére, nisi sibimet ipsis; modo persuaserint. Maximè enim dubito, hoc in tantâ naturæ luce fieri potuisse. Integræ contrà nationes, provinciæ, partes terræ, unanimi consensu, Principium illud, vel prima cogitatione, attingunt, ita ut notio ejusmodi omnibus concreata, innata, & inseparabilis paucorum stultitiam subitò evellat. Cognitus autem evadit Deus aliquibus per naturam, aliquibus per revelationem, aliis per doctrinam. Naturalis duplici via incedit, ex duplici Creatoris opere perfecto; Mundo & Homine. Ex hominis quidem natura homini facilior divina cognitio ac promptior: siquidem domesticæ cogitationes omnia in proprio quærunt objecto, inveniunt, atq; perlustrant. Nam

mun-

mūdani opificii pulchritudo externa,& majori cum ſtudio ac labore inveſtiganda. Hinc quidem ſapientum philoſophorumq; nomen, quanquam nec minore ſapientia pollent, qui ſe ipſos noverunt. Utraq; autem hæc Dei inveſtigandi ratio laudabilis atq; probata, cujus neglectio impietas & injuſtitia irâ Dei digna; propterea quod notum Dei manifeſtum eſt in hominibus; nam Deus illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea,quæ facta ſunt,intellecta, conſpiciuntur, ipſaq; ſempiterna ej⁹ virtus atq; Divinitas. Hinc vani ſunt omnes homines naturâ, quibus ineſt ignoratio Dei,& qui ex iis,quæ ſpectāur,bonis eū, qui eſt, non potuerunt intelligere,neque ex operib⁹ conſideratis ipſum opificem. Cultus quidem ſummi Dei à quibusdam neglectus, non ea ex cauſa,quod ipſum non agnoverint, ſed ex opinione, excellentiſſimam divinitatis naturam rebus creaturarū ignobilibus non adeſſe. Hinc ad ſenſus voluptatem deflexio velut ad unicum vitæ ſolatium: hinc vitæ bona à creaturis nobilioribus potius quam ab ipſo Deo expectare malebant. Alii Deū

cognoſcebant atq; colebant, pauciſſimi verò ſolum. Quamvis enim per ſcripta Philoſophorum magnum illud Dei nomen ubiq; reſonet; creaturæ tamen & dii minores ipſi comuniter adducuntur. Chriſtiani veri eam tantum de divinitate veritatem confitentur, quam poſt Eccleſiæ univerſalis dogma, & ſacrarum literarũ confirmationes, S. Dionyſius Areopagita, ſummus Theologus & Philoſophus vocat Trinitatem, eſſentiâ, Deitate, bonitate ſuperiorem divinæ Chriſtianorum ſapientiæ ducem, quam unicum illud principium exiſtimamus. Judæi non niſi unicum aliquid agnoſcunt. Platonici mentem ſui præceptoris haud perfectè aſſecuti trinitatem quidem aſſerunt non autem in unitate: quia differentiam in eſſentia principiorum conſtituentes, unicum illud neque in Uno, neq; in Tribus, prout decet, agnoverunt. Nos itaq; duplici via ſuperius allegata veritatem hanc perſcrutabimur, ea qua convenit humilitate. Quamvis autem naturalis cognitio circa hæc minimè ſit valida, ſpero tamen me ſummæ lucis fulgore roboratum, cujus auxilium ardentiſsima ſupplicatione inclamo, myſteria in operibus Dei abſcondita ad utilitatem proximi patefacturum.

CAP.

CAP. I.

Indagatio Dei generalis in Microcosmo & Macrocosmo.

PEr viam naturæ ſcalam ab inferioribus aſcendentes, ad Deum tandem pervenimus, & hoc quidem in nobis ipſis. Conſidera umbram humani corporis, circumferentia ſua terminos ſolidi repræſentantem, & ſine dubio aliquid imperfectum reperiens, ſubito judicabis ipſam ab alicujus perfectioris præſentia formatam & dependentem. Conſidera rurſus imaginem ſpecularē, neq; tantum extremitates ſuperficiei, ſed & colores, diverſarumq; in una imagine partium formas naturalitater explicantem: nonnè & hæc tibi haud ſufficiens videbitur? Hanc igitur derelinquens, non modo figuræ, ſed etiam partium diſtinctionem in corpore ipſo clarius inſpiciens, obſervabis & ea, quæ mox confuſa videbas in umbra, & ea, quæ diſtincta, ſed falſa in imaginibus à ſpeculo. Senſus fortè hic acquieſceret, ſua jam inveniſſe arbitratus: aſt non homo: non anima rationalis. Hæc enim externæ figuræ aſpectu haud contenta, ſed internum illud, ex quo cor-

poris forma effluxerat, cognitione sua comprehendere cupiens, si solo sensu utatur, cæcam se sentit, nihilq́ reperit pro desiderio. Ad propriam itaq́ potentiam confugit, quæ ipsam certissimam reddit, externa hæc atq́ composita à virtute quadam interiore ac simplici provenire. Itaq́ neglectis sensilibus seipsam considerat, atq́ multiplicem adhuc inveniens & mobilem, ulterius scandit ad intellectum, ibique jam aliquid unum & magis stabile conspiciendo, paulisper ac quiescit. Intellectus enim noster neq́ corporis cõstructione, neq́ sensu, neq́ ratione contẽtus, seipsum qualis sit primò suspicatur, & mox intelligit. Ubi autem sui inspectione certior factus, seipsum, neque a seipso exstitisse, neq́ alia omnia externa effecisse: Esse principium aliquod excelsius, tum sui, tum rerum omnium, jam firmiter concludit. Ad hoc igitur se convertendo & inquirendo, quid offendit? Nihil sibi simile: Hac ergo ratione, primum illud principium omnibus superius, suo modo nequaquam comprehendens, certus quidem est illud existere, ast non cognoscit. Sed sicut sensus à ratione inspiratus, & sicut ratio ab intellectu perficiebatur, ita intellectus à DEO, dubitanti in auxilium veniente: Sic fide certâ ipsum at-

tin-

tingit. Etenim nec inquisitio illius, quod est supra sensum, ab ipso sensu procedere potest, sicut in brutis apparet, quæ neque vera neq; sufficiente ratione, neq; intellectu naturaliter ornata, sensum haud superare possunt. Et sicut ratio non absq; intellectus auxilio in intellectum progreditur, sic nullus intellectus ultra suam naturam sese exaltaret, nisi ab ipso Deo ad hanc divinam inquisitionem raperetur. Sed rapitur modo sit præsens, non quidem supernaturali, sed naturali modo. Raptus enim iste etiamsi ad Naturam illam intellectu superiorem ducat, nequaquam tamen est miraculosus ille, ubi sapientia summa in sanctas sese insinuans animas amicos Dei prophetasq; efficit: Sed potius est communis ille, cuilibet Dei naturam inquirenti Deum patefaciens. Hujus actionis effectus prima vice se ulterius non extendit, quam ut ejusmodi inquisitor certior fiat, existere aliquid intellectu superius, de quo omnia, quæ post Hoc ipsum sunt, & ab ipso, & per ipsum negari debent, & quod illud sit primum in & super omnem ordinem rerum, à quo altior ascensio non datur, cum hoc ipsum nullum habeat terminum. Ascensus autem iste ad intelligibilem Dei cognitionem non ducit. Anima tamen ejus- autē

mo-

modi fruitione gravida in se ipsam revertitur, atq; intelligibilia propria perfectius inquirens & absolutius agnoscens, tunc de Deo infinito atq; incomprehensibili, Deo ipso jam inspirante, quadam tum intelligibili, tum sensibili modo narrare seu affirmare nititur, rursusq; ad ulteriorem ipsius investigationem se accingit. Sed quomodo? Iis, quæ antea levi passu pertransierat, diligentius consideratis, ea quæ in majori mundo similia observat, adjungit, causasq; inquirit. Ex quantitatibus & qualitatibus, quæ nunquam per se existunt, sed semper alicui subjecto inhærent, suspicatur materiam, in qua mutantur: Ex figura corporum externa, formam internam: Et sic quicquid ad corpora pertinet comprehendit. Cum autem seipsam à corporea natura totam diversam agnoscat, tunc medium aliquod seu vinculum inquirit: subitoq; Spiritus vitalis sese offerens una cum lumine cœlesti, cum quo & vita illa apparet, quæ circa Spiritum & corpus versatur, sensus varios ac passiones ipsi repræsentat. Hisce ipsa succedit ratio & intellectus. Hæc igitur omnia, non modo in propria regione conspiciens, sed etiam plurima in universo, consonantiam utriusq; concludit ex effectibus, & sic ad causarum simi-

ſimilitudinem argumentatur. Nam ſicut humanus mundus ab unica anima & intellectu gubernatur, eadem ratione & ea, quæ ſunt in univerſo, ab uno dependere concludit. Videt autem, ſua ex partibus eſſe conſtituta, mundum vero ex totis, ſe ergo & ſua particulare quid exiſtere ritè fatetur: Mundo vero gubernatorem ſuum univerſali ratione adeſſe: Ita tamen, ut ſicut in homine mens & anima cum corpore haud permiſcentur: multo minus hoc Deo cum mundo accidere, ſed hujus Dominum omnibus eſſe ſuperiorem, cætera vero Hujus imagines. Hac itaq; ratione denuo illud ipſum Principium offendet, quod profecto, quale in ſe eſt, cognitione noſtra nullo modo comprehendimus. Hinc reſultat primus divinitatem attingendi modus, de quâ ſi aliquid certi proferre velimus, id fieri non poteſt. niſi per negationem omnium rerum de ipſâ. Hac quidem via ſine ullo errore incedimus, nullam autem Dei cognitionem nobis cognatam reportamus: Quo enim altius ſe extollit ratio, eô minus invenit, ita ut tandem quaſi in nihilum perveniſſe ſibi videatur. Cum enim Forma Dei ſit penitus ultra captum noſtrum, infinita exiſtens & cuncta ſupereminens, non mirum certè, quod anima

rati-

rationalis tanquam forma quadam finita & circumscripta, infinitam illam pulchritudinem, juxta proprium esse comprehendere non possit. Dum enim anima ad informe aliquid, ut sibi videtur, se vertit, cum illud capere nequeat, propterea quod non determinetur, neq; velut figuretur varietate quadam, tunc nisi à virtute illius objecti vigorem acceperit, protinus inde prolabitur metuens, ne forte nihil inde reportet: quamobrem in rebus ejusmodi valdè laborat, libenterq; inde ad sua descendit, quousq; aliquid sibi cognitum promat, ubi quasi in solido acquiescat. Inde ergo aliam viam cognoscendi ingreditur, priori plane contrariam, scilicet descensionis & affirmationis. Cum autem à Deo descendit, ~~hunc~~ tunc utiq; divina de Deo affirmare non potest, sed mundana atq; humana. Hæc est via locutionis, illa silentii, ignorantiæ, caliginis, infinitatis, quam omnes viri docti prius ingressi sunt, sive divinitus sive naturaliter Deum venerantes, ex quorum numero Moses, Trismegistus, Plato, Dionysius, Plotinus, Marsilius, Cusanus. De his quæ dicta sunt, Mercurius in monade sic loquitur: Cernis ô fili, quod corpora cœlestia transcendere nos opus est, quodq; choris mentium ab-

esse

esse, ambitumq; astrorum, eorumq; progressus superare, ut ad unum solumq; Deum tendamus, insuperabile enim bonum est, sine termino, infinitum, quoad se nunquam incipiens, quoad humanam cognitionem principium habens. Ejusmodi tamen cognitio non ejus initium est, sed nobis ipsius cogniti principium exhibet. Principium itaq; complectamur, hoc enim cognito, universa celeriter discurremus. Arduum est autem, consueta ac præsentia relinquentem ad superiora se potioraq; convertere: illa enim quæ oculis cernimus nimium nos delectant: latentia diffidentiam pariunt; patentia autem sanè omnia mala sunt : Bonum occultum iis, qui manifestis incumbunt; nec enim Forma ejus ulla, nec figura; hac de causa sibi tantum simile, cæteris horum verò dissimile: etenim corpori incorporeum apparere non potest. Simili modo loquitur in libro, quod Deus latens simul ac patens est : Quodcunq; se offert aspectui, genitum, quod vero latet, sempiternum : neq; enim opus est, ut appareat, quandoquidem esse nunquam desinit: id quidem reliqua ante oculos ponit, ipsum verò secretum manet; utpote quod vita fruitur sempiterna. Nam phantasia solùm circa ea

versatur, quæ genita sunt, in quâ præter generationem nihil existit: at unicum id ingenitum incomprehensibile phantasiæ.

Cum autem de Deo & cogitare & loqui omni homini incumbat, & hoc non divinâ, sed humana ratione fieri possit, multum solliciti esse debemus, ut dignè de eo loquamur. Plures sunt modi Deum perscrutandi, considerandi, & de eo loquendi, qui tamen omnes referuntur vel ad duos prædictos, vel ad mixtum ex ipsis. Ille modus, quo omnia de ipso negamus, duplicem habet respectum. Vel enim res omnes, & ea, quæ ipsis adsunt, vel etiam desunt, à Deo abesse omninò pronunciamus, sive sint existentiæ, sive privationes rerum: ut cum dicimus, res sunt bonæ, res sunt malæ, Deus autem tali modo neq; bonus, nequè malus. Homo sapiens est & ignorans, Deus autē neq; sapiens neq; ignorans, videlicet ut homo: Hæc negatio creaturarum naturas respicit; utpote quibus talia adesse & abesse consueverunt: Atq; Deus sic consideratus dicitur infinitus. Alio vero modo respectu nostræ cognitionis dicimus ipsum incomprehensibilem, incognitum, latentem, absconditum: atq; tunc duplici respectu nobis ut infinitus apparet. Primò quatenus cum rebus, quæ non sunt,

nisi

nisi per formam finitam, reverà discrepat. Secundo, quatenus ut talis à nobis non capitur. Est & alius modus mixtus, per quem etiam universaliter attingitur, dum negando ipsum nihil tale existere fatemur, sub eâ tamen conditione, quod quamvis nobis propter debilitatem capacitatis nostræ non illucescat, non tamen ipsum planè nihil esse pronunciamus, sed potius affirmando hæc omnia & plura ast sua Divinâq; ratione Deum existere, ita ut omnia sit perfectismè, tanquam rerum omniũ causa, sed etiam quod sit omne, quicquid vult ipse in seipso: & sic respectu Dei affirmamus, & respectu rerum & nostri negando procedimus. Verũ cum ex his omnibus nulla nobis acquiratur cognitio, cujus tamen desiderio flagramus, ita mox omnia, quæ in rebus reperiuntur, de ipso affirmamus, vel usq; ad passiones nostras ipsi affingendo; utpote iras, crapulas, ebrietates, quod tamen sine auctoritate ipsius DEI *& verbi sui fieri non debet. Rursus quædam affirmamus, & quædam negamus, ut perfectiones, & imperfectiones rerum, virtutes ponendo, vitia removendo. Lumen nominamus, tenebras negamus. Econtra perfectiones rerum tollimus, imperfectiones ponentes, ut tenebras*

quate-

quatenus nobis latet. Et iterum ejusmodi contrarietates in ipso confundimus, ut: Lux apud Deum est ut tenebræ, & tenebræ ut Lux. Hæc omnia autem considerantur aliquando figuratâ consideratione, tàm respectu Dei quàm respectu rerum: aliquando respectu Dei solùm, aliquando respectu rerum solum: aliquando sine omni metaphorâ, tàm respectu Dei quàm respectu nostri; aliquando verò sine metaphorâ respectu Dei, & cum metaphorâ respectu nostri, ac vice versa: & hoc totum peragitur partim ascendendo, partim descendendo, tam respectu negationis, quàm affirmationis. Per ascensum multitudinem diminuimus, eò ut cognitio facilior nobis eveniat, quæ in plurium consideratione, confusione nimia laborat, descendendo autem scientiam quasi deperditam, iterum dilatamus, quousq; in multitudine tandem Infinitum similiter ac in unitate offendentes, ab ea iterum ad mediam viam regredi cogamur. Hanc mediocrem nostram cognitionem, Deus Esaiæ apparens repræsentat in forma illa totaliter miraculosa atq; mystica, quam considerans S. Hieronymus observavit, quod per alas Seraphim oculis nostris, & facies, & pedes Dei tegantur, id est, Principium atq;

finis

finis ejus, qui æternus est, media tamen quædam de ejus mirabili natura conspicere permittantur. Hac ergo Divinâ gratiâ fretus, & ego ausus sum Deo annuente quædam de sanctissima ejus Triunitate ex observatione imaginis ejus, quam operibus suis impressit, proferre, addens simul sententias virorum præcipuorum, qui in mundo vixerunt, ut appareat, quousq; Mens humana in cognitionem sui Creatoris ascendere possit. Divina oracula hic non tango, utpote quorum luculenta testimonia in hac materiâ edita, librum singularem requirant, ea tamen, quæ ex apocryphis quibusdam observavi, ad numerum dictorum à sapientibus prolatorum ponere aptum judicavi.

Cap. II.

Indagatio Dei specifica ex
Formis quantitativis.

OMnes quidem prædicti modi, inquirentibus cognitionem Divinam inserviunt, nobis tamẽ ad nostrum institutum nullus magis appropriatus existit, quàm

ut naturam Quantitatis examini subjiciamus. Cum enim Christianis de quantitate seu numero Naturæ Divinæ convenienti cum Arrianis, Mahometanis, Judæis præcipua oriatur controversia, ex nullâ profectò re (post revelationes ipsius Divinitatis, quas semper ut præcipuum fundamentum venerari oportet) major certitudo elicietur, quàm ex ipsâ naturâ Numerorum & Quantitatis. Nam cuncta, quæ sunt in mundo, sunt opera Dei, per quæ sola ipsorum Artifex ratiocinando inveniri potest: Sequitur ergo, quod & numeri Artificem suum hominibus detegant; cum enim ratio numerandi, quâ dotatæ sunt omnes animæ rationales, & quæ apud omnes homines unica reperitur, non solùm sit opus & donum divinum, quo per creationem animarum omne humanum individuum est decoratum, sed etiam maximè concordans apud omnes: necesse est utiq; quod maximum inde trahi possit cognitionis argumentum atq; concordia de natura opificis numerorum, qui imaginem sui omnibus suis operibus plus minusve pro graduum dignitate impressit. Jam verò omnibus notum est, quod anima rationalis sit Dei imago præcipua: & omnis anima rationalis à Deo istas

ra-

rationes, & proportiones in sua substantia impressas habet, tanquam unam de proprietatibus suis specificis: certum est ergò, quod numeri in omnibus hominum animabus habitantes, sine ulla differentia hujus vel illius, sint de Imagine divina, & quidem tanquam præcipui ex ejus Characteribus. Cur ergò ab imagine naturam exemplaris haud perscrutabimur? Sicut enim in opifice est omnis scientia rerum juxta propriam naturam, sic in ipsius imagine etiam apparebunt rerum signaturæ, tanquam reflexiones quædam ab ipsa Divinitatis scientia. Et sicuti omnes res ad Divinam naturam repræsentandam numero & pondere factæ sunt, sed pro capacitate: Ita rursus ex omnibus rebus juxta eandem naturam, Divinam Essentiam aliqua ratione suspicabimur, siquidem per numeros in rebus definitur. Inveniemus ergo, quod quærimus humana possibilitate, non autem vera ac Divina ratione, quæ creaturas supereminet, attamen ea veritate, ultra quam scandere nobis prostatu præsente haud est concessum. Aggrediamur igitur hanc inquisitionem per modum dialogi, more Socratico & Platonico, siquidem ad eam tractandam Plato quandam obtulit occasionem.

Ch. Multa sane revera esse concedimus? Ph. Omninò. Ch. Et cum major numerus semper sequatur minorem, necesse est, ut minimus omnes prioritate antecedat. Ph. Verum. Ch. Iste numerus igitur erit omnium primus & principium reliquorum, quod dicitur Vnum, & designabit Vnum, ita ut hac ratione certi simus, Vnum revera existere, atq; per Vnum numerorum significari. Ph. Ita se habet. Ch. Multa igitur sunt post Vnum: & Vnum est in multis, quia quodlibet multorũ est Vnum. Ph. conceditur, ita tamen, ut nonsint unum simpliciter, sed Vnum cum multitudine. Ch. Si itaq; Vnum revera existit, atq; illud sit Primũ: dabitur utiq; & Secundum, & Tertiũ, & quartum, & hoc usq; ad Decem, ubi ratio numerãdi per Vnum explicit, & ea quæ per Denarium progreditur, hujus locũ supplet, & hac ratione numeri augentur in infinitum. Ph. Sine dubio. Ch. Jam verò Primum est Vnum. Ph. Sic est. Ch. Secundum verò nonnè etiã unum existit? Ph. Necesse est. Ch. neq; secundum duo erit sed unum. Ph. Profectò. Ch. dualitas autem unde oritur? Nam neq; primum est dualitas neq; secundum: neq; primum solum ipsã efficit, neq; secundum solum. Ph. à primo & secundo simul. Ch. rectè. Primum igitur atq; secundum qua-

tenus unū sunt, absq; ulla differentia naturæ, unio, dualitatem constituunt. Ph. Quomodo? Ch. Si enim quodlibet seorsum existeret, nunquā dualitas produceretur: Sed quodlibet Vnū permaneret. Ph. Hoc sequitur. Ch. Ecquod horum constituit dualitatem? Ph. Neq; unum neq; alterum sed ambo. Ch. sed horū quodlibet per se est Vnum perfectum, antequā inde resultet dualitas. Ph. Ita est. Ch. Vnum autem solum est non differens à se ipso, neq; duo dantur una? Ph. Profectò de re quadā sola dicitur Vnum, & unum nisi consideretur ut solum, tollitur ejus natura. Ch. Sequitur ergò, quod Primū & secundum sint unum: Et hæc dualitatē constituunt. Ph. concessum. Ch. Multitudo igitur continetur in uno. Ph. Hoc etiā Plotinus concedit, quod ipsum unū quatenꝰ tale nō sit multitudo, hæc tamē in uno resultet, quando se ipsum multiplicet primum per secundū, & hac ratione Vnum quidē sine multitudine existit, quatenus solum permanet, quatenus tamen se ipsum multiplicat, evadit etiam diversum. Ch. Veritas ista de Causa rerum etiam ex ipsa effectuum consideratione elucescit. Si enim Vnum est principium rerum, omnes autem res sint Vnum pariter atq; multa, nempè Vniversum, necessarium certè erit, ut cum res omnes

sint hujus natura, Causa etiam rerum, quæ exemplar suum imitantur, rerum naturæ similis existere debet: Similis dico, non æqualis omninò, sed ita ut æquivoca ratione similia dicantur, servatâ scilicet dignitate Causæ præ rebus. Licet autem Vnitas & multitudo rerum quoad essentiam multum differant ab Essentia Causæ, quoad rationem tamen unitatis & multitudinis utraq; suo modo considerata, necesse est, ut conveniant, cum certum sit, quod effectus à similibus non autem à contrariis necessariò producantur. Ph. Assentior. Ch. Progrediamur igitur ad institutum. Si datur primum & secundum, dabitur etiam tertium. Ph. Vtiq;. Ch. Hoc tertium, unumne est an tria? Ph. Vnum. Ch. Sed illius adventu Trinitas constituitur? Ph. Vtiq;. Ch. Ita ut primum, secundum, tertium, Vnum sint, dum Trinitatem constituunt, eadem ratione, sicut de dualitatis productione demonstratum. Ph. Hoc sequitur. Ch. Trinitas ergo est in uno. Ph. Videamus quomodo quartum sequatur. Ch. Primum est Vnum, & secundum est unum, & in Vno est Vnitas. Ph. Sic est. Ch. Sed unitas & dualitas suntne eadem? Ph. Nequaquam. Ch. Quid igitur. Ph. Diversa quia hac est multitu-

titudo. Ch. Sic & trinitas & quaternitas. Ph. Omninò. Ch. in primo autem & in secundo existit dualitas. Ph. hoc etiam concessimus. Ch. Ergo dualitas simul & unitas sunt in primo & secundo, quæ sunt unum. Et ita unitas & dualitas simul erunt in uno, quamvis diversitatem constituant. Ph. Hoc sequitur eadem ratione, sicut de Unitate & multitudine est dictum. Ch. Sed eadem ratione licet argumentari de tertio & quarto: de Trinitate & quaternitate. Ph. Quidni? Ch. Ita ut sint in uno, atq; diversitatem ibi constituant. Ph. Et istud. Ch. Trinitas autem quid constituit ultra diversitatem cum primo, secundo, tertio; unitate, dualitate? Ph. Nihil nisi Trinitatem seu seipsam. Ch. Rectè. Ita ut sicut tertium est triplicatum Unum, ita & Trinitas sit triplicata unitas in Uno. Ph. Concedo. Ch. Et quaternitas quadruplicata Unitas. Ph. Hoc etiam. Ch. Verum quaternitas ultra quod sit quadruplicata Unitas, nonnè est etiam duplicata dualitas? Ph. omninò. Ch. Et quidem proximè, ita ut sit duplicata dualitas, antequam quadruplicata Unitas, & ut dualitas sit proxima ejus causa, & pater non Unitas. Ph. ita planè se habet. Ch. Quartum igitur & quaternitas non sunt de Essentia

causæ, sed primus ejus effectus, dependens à formâ dualitatis immediatè, illius videlicet dualitatis, quæ in ipso uno est de Essentiâ causæ. Ab unitate verò dependet tantum mediante dualitate: & sic quartum existit unum in uno, scilicet mediatè non immediatè sicut secundum & tertium. Diversum est ergò plane hoc quartum, cum in Essentia unitatis non comprehendatur. Vnitatis enim ordo in & cum Trinitate finitur: neq; se amplius immediatè multiplicat, sed per dualitatis formam. Ph. Et sic quaternitas & quartũ non sunt essentialiter cum illis, & cum illorum Vnitate, sed potius Vnum quiddam secundi ordinis seu gradus ac revera aliquid separatum, quod ordinẽ Existentiæ primum jam egreditur. Ch. Concludo itaq; Trinitatem solam cum Vnitate esse Vnicum illud Principium, in quo & multitudo Triuna continetur: Cætera autẽ non nisi post ipsã: Et hoc principium esse causam omnium rerum, quam DEum appellamus.

Age demonstrationem eandem aliomodo aggrediamur. Primum est Vnum & secundum etiam. Ph. Ita. Ch. Secundum autem est multiplicatio primi proximè & immediatè. Ph. Hoc etiam. Ch. Tertium estne multiplicatio primi aut secundi. ph. Nescio. Nam primum est

est Vnum, secundum etiam, & similiter tertium. Ch. Erit igitur multiplicatio tàm primi quàm secundi; Quia ambo sunt unum. Ph. Sic se habet. Ch. Sed tertium est post secundum, & est triplicatum unum, sicut secundum duplicatum. Ph. Omninò. Ch. Et hac ratione quartum erit quadruplicatum unum. ph. Sine dubio. Ch. Et erit multiplicatio tàm primi quàm secundi & tertij, eâdem ratione, sicut tertium non erat multiplicatio primi vel secundi, sed amborum, ita istud trium simul, quatenus videlicet sunt unum. ph. Ita planè. Ch. In uno autē ex primo & secundo constante est duplicitas, & in illo, quod per tertium constituitur Trinitas, & in eo quod sequitur, quaternitas. ph. Quidni? Ch. Sed duplicitas est multiplicatio Vnitatis, sicut secundum existit multiplicatio primi. ph. Ita se habet. Ch. Trinitas itaq; erit eadem ratione multiplicatio tàm dualitatis quam unitatis, quia tertium ex ambobus dependet. ph. Hoc etiam Ch. Quaternitas autem proximè erit Trinitatis multiplicatio. ph. Quare non dualitatis ut supra? Ch. Quia Vnitas & dualitas in trinitate comprehenduntur. ph. intelligo. Ch. Ast quaternitas ultra quod sit multiplicatio trinitatis, est etiam multiplicatio dualitatis,

& quidem proximè. Ph. Imò. Ch. Quaternitas igitur conjungitur Vnitati, & dependet ab ea per trinitatem atq; dualitatem: & ita ab unitatis simplicis natura revera recedit, quia non simpliciter illi cohæret, ut e contrario trinitas & dualitas Vnitati simplici simpliciter conjunguntur, quanquam trinitas & cum dualitate insuper proximè etiam cohæreat sicut cum unitate. Existit enim tàm cum primo quàm cum secundo simili ratione, qua & unum & duo constituunt. Et hac ratione finitur ordo ad unum spectans cum trinitate, & in quarto incipit novum quiddam & differens ab illo, licet ab illo dependeat tanquam à sua Causa. Hæc itaq; Vna Trinitas & Trina Vnitas est Principium illud & Causa rerum, quam DEVM appellamus.

Admodùm delectat veritatis lumen; quare non possum, quin ea, quæ dicta sunt, diversis elocutionibus prout fœcunditas animæ eas protrudit, alia vice repetam: quò sæpius enim Vna eademq; cogitatio aliter enunciatur, eò plus confirmationis conclusioni accedit: Dico itaq;, quod omnis processus ab Vno dirigatur, tum multiplicatione, tum additione. Multiplicatio primi producit secundum, hæc duo juncta dualitatem, quæ causa

est

est multitudinis. Multiplicatio primi & secundi simul producit tertium: primum enim est unum, secundum itidem, ergo & tertium. Additione autem tertij ad primum & secundum fit trinitas. Neq; enim primum neq; secundum aut tertium per se trinitatem constituunt, sed simul. Hinc itaq; resultat tàm unitas rerum, quàm multitudo, ab Vnitate videlicet & multitudine causa. Primum enim per se solùm constituit unitatem, sic etiam secundum & tertium, & rursus omnia tria simul. Sed juncta insuper producunt & dualitatem & Trinitatem. In his itaq; consistit omnis causa rerum, quatenus videlicet res cunctæ sunt aliquid unum, & quatenus rursus etiam sunt multa. Multiplicatio quarti à totâ dependet Trinitate simul, quatenus quodlibet horum seipsum multiplicat, primò ut unum per se, & postea omnia tria ut unum simul. Est itaq; in quarto non una multiplicatio, sed duplex. Ergo nec essentia una, sed multiplex tàm ratione suæ causæ, quàm ratione sui ipsius, & hinc effectus causæ quidem similis ut effectus, in suâ essentia verò ab illa planè diversus. Nam ultra essentiam suæ unitatis, quæ differens est cum Essentia Trinitatis, differen-

rentem etiam formam recipit; quæ est multiplicatio dualitatis. Illorum autem trium Forma unitatis est multiplicatio. Differt igitur natura quarti ab illis tàm Formâ, quam essentiâ, ita ut Vnitatis & Trinitatis seriem totaliter egrediatur, & ita cum ipsis cohæret tantum per præsentiam, non autem per essentiam. Ab unitate enim non nisi mediante dualitate & trinitate dependet. ex quibus dualitas inter unum & quatuor dupla proportionis forma collocatur. Est igitur quaternitas prima omnium creatura sive character, qui primæ creaturæ naturam refert, eadem ratione, sicut præcedentes numeri opificis: cum autem reliquæ creaturæ sint post istã, concludimus, eandem rationem in cæteris etiam ita se habere. Ex his considerent illi, qui quadraturam circuli quærunt, quod impossibile quid aggrediantur, cum circulus sit de natura sphæræ, quæ similiter perfectus character S. Trinitatis existit. Huic ergo quaternarium essentialiter introducere, est simile quid, ac primam creaturam ipsius Creatoris essentiæ velle conjungere; cujus stoliditatis & superbiæ pœnas, lucifer à gradu suæ bonitatis dejectus, in æternum ferre cogitur. Considera sphæram, reperies

in ea

in ea imaginem perfectam Infiniti, unius, & Trini, in omnibus suis partibus vel diversitatibus. Centrum enim ejus est coarctabile in infinitum: Circumferentia verò sine fine dilatabilis, unà cum linea in rectum sese extendente. Centrum est divisibile sine fine, si in materia formam sphæricam conspexeris; Extensio autem continua tàm in linea, quàm circumferentiâ similiter non habet terminum. In circumferentia continetur centrum, & in centro circumferentia & in utroq; linea. Quid enim est circumferētia quàm centrum dilatatum mediante extēsione lineari recta? Quid centrum, nisi circumferentia arctata simili modo. In circumferentiâ centrum est, & in centro centrum in infinitum, & sic quod respectu circumferentiæ centrum est, id respectu sui centri est circumferentia, & ita centrum non est nisi globus vel sphæra minor, si ad majorem comparaveris, & major si ad minorem, cujus considerationis non datur finis. Ex quibus clarissimè patet, quod sphæra sit unum quid constans uno trino simili & differenti. Quis enim centrum dixerit esse circumferentiam & contra? & tamē essentialiter non differunt in Forma sphærica, nam neq; linea nec circumferentia est cogitabilis

sive centro vel puncto, & contra nec centrum sine prædictis, sunt itaq; unum differens infinitum, cujus naturam nos potius admirari cogimur, quam quod illam cogitatione concipere valeamus. Videmus quidem omnia tria unum esse, sed ut unum considerare non valemus propter Rationis naturam & intellectus imbecillitatem: Ratio quippe per partes progreditur, intellectus autem divisa in Vnum congregat, eâdem ratione, ac supra in demonstratione numerorum id facere cogebamur. Hoc cognoscentes mathematici, quod fundamentum eorum semper est mobile similiter & stabile, ideò punctum stabile saltem pro concesso præsupponunt, ex quo reliqua omnia derivare possint; hoc enim si ipsis adimatur, in perpetuum illud contrahendo vel dividendo, ædificium eorum semper corruit. Vnum ergò & Trinum infinitum revera existit super omnem Essentiam creatã, neq; ulla in illo accidit separatio essentialis. Hoc autem (sicuti nos illud concipimus) neq; unum est, neq; Trinum, neq; Essentia &c. E contra autem posita Essentia juxta conformitatem captus nostri, statim ponitur & Vnum & Trinum: Sublato Trino tollitur & Vnum, & Essentia, & quæcunq; de ipso dice-

dicere valemus. Separatio autem, quam facimus, fit respectu rationis nostræ, quæ hæc ut Unum simul atq; diversum unâ eademq; vice non comprehendit, sed suo modo, scilicet per partes, prout dictum est. Rationis enim munus est, ita procedere circa omnia, quæ considerat, non solùm partibilia dividendo, sed etiam iis, quæ integra sunt, partitionem affingendo: fermè sicut oculus domum quidem integram conspicit, non autem ubiq; æquali atq; perfecta ratione per omnē ejus distantiam: Sed illud tantummodo punctum exactè videmus, quod centro oculi nostri directè opponitur, reliqua verò confusè, cùm tamen ipsa minimè sint confusa. Sic & ratio dum per integra & tota vagatur, ea non ut tota & integra simul attingit, sed per partes, illamq; tantummodo partem unâ vice comprehendit, quam suo ordine considerat & colligit. Neq; etiam nos hisce inquisitionibus objectum ipsum Divinitatis speculamur, sed per effectus Divinos Causam ipsam quærimus, cujus signatura rebus est impressa. Numerorum species sensibiles sunt, & subsensibilibus omnia consideramus, non autē omnia ut sensibilia, sed ut ea, quæ per ejusmodi ima-

gi-

gines designantur. Hæc itaq; phantasmata sive sensibiles istæ species sese ut partiliter offerunt, licet impartibilis Essentiæ signa existunt. Sensus itaq; sua comprehendit, Ratio huic annexa sua subistis, quæ tandem intellectus ipse, in Vnum consolidat, tacitè nos simul monendo, ne veritatem in signis, sed in significatis recipiamus; licet mediantibus signis, quæ causa existunt, sine quâ res ipsas non conciperemus. Cogimur itaq; dum Trinum consideramus, Vnum amittere, & unum ponendo Trinum semovere, etiamsi ipsa Divinitatis Essentia interim talis permaneat, qualis reverà existit, id est aliquid supra Vnum, supra Trinum, supra Essentiam ea ratione, qua nos hæc omnia concipimus. Verum hac ratione loquentes non loquimur, sed silemus, non affirmamus, sed negamus, ad veritatem quidem objecti propinquius accedentes, à cognitione autem nostra longinquiùs. Ex rebus igitur creatis Divinitatem Causæ inquirentibus impossibile est plura decerpere, impossibile etiam alio modo quàm juxta signaturas ad similitudinem Causæ ipsis impressas, de qua quidem similitudine ratio dubitare non potest, tùm quia opus causæ existunt, tùm quia omnis testatur

ex-

experientia, effectus produci à similibus non à contrariis: hæc enim se invicem destruunt non fovent. Causa tamen efficiens semper reperitur effectibus suis nobilior.

Eandem autem veritatẽ non tantum ex Numeris & sphæra consideratione colligere possumus, verum etiam ex structurà tota totius Universi & ejus partium. Quatenus enim res sibi existunt similes, eatenus etiam judicamus Causam ipsam à se non discrepare, & è contrario ex earundem diversitate, Causa diversitatem similiter colligimus. Licet enim diversitas in multitudine semper seipsam dilatet, ita ut omni momento magis diversa evadat, eadẽ tamen potestate tandem se ipsam vincit, atq; ex diversitate in infinitatem excrescit, & sic in idem recurrit principium, ex quo ut una & paucissima, imo ut nulla (de creaturis loquor) originem duxit. In Infinito igitur æqualiter jacet tàm Vnitas, quàm diversitas aut multitudo, hâc solummodo differentiâ, ut ex ipso primo sub charactere Vnius progrediatur, mox autem sub multitudinis idea in idẽ redeat. Nos verò de cognitione nostra solliciti facilius illud per paucitatem capimus,

quàm per multitudinem: In hâc enim ratio & intellectus simul confunduntur, fermè sicut oculorum radij magnitudinem amittunt. Hinc plurima & omnia in paucissima redigimus, partes in tota, individua in species, has in genera, quousq; tandem etiam Vnum amittendo rursus in infinitum incidimus, quod in multitudinis copia deferebamus. Vnde in medio subsistentes quicquid consideramus, id omne Vnitatem simul & multitudinem repræsentat: quorum omnium fundamentum est Trinitas cum Vnitate, quæ omnia sub finem specialius demonstrabuntur.

Cap. III.

Dicta Sapientum de S. Trinitate.

Hanc Trinitatem cognovit Democritus Philosophus antiquissimus ex indagatione rerum naturalium: hic enim Trinitatem vel Ternarium vocat terminum unitatis; Divinitati similem, & numerum superfluum Vnitatis, excellenti descriptione. Illud enim quod est supra Vnum, & Plus quam unum,

unum, & plus multum, nullo modo per unum potest definiri, unde superabundans ista Unitas in Ternarium, qui est multitudinis Unitas, degenerat. Hanc Trinitatem similiter cognovit Mercurius ille verè magnus, si naturales scientias sapientiamq; consideres, hic enim de ea tam clarè loquitur in suo Pimandro, ut nihil lucidius desiderari posset, sic enim Deum introducit dicentem: Lumen illud Ego sum, Mens, Deus tuus antiquior quàm humida natura, quæ ex umbra effulsit, mentis verò germen lucens Dei filius, quod in te vides & audis verbum Dei; Mens autem Pater Deus neq; distant ab invicem, horum unio Vita est. Hunc modum loquendi de Deo adeo approbat S. Dionysius Areopagita, ut fateatur, ipsũ Sanctis eloquiis esse convenientem, & ipsius Hermetis verba videtur imitari dum dicit: Accepimus insuper à sanctis eloquiis, Patrem quidem esse fontanam (ut ita dixerim) Deitatem; Filium vero spiritumq; fœcundæ Deitatis, si modo ita loqui licet, germina divinitus pullulantia & quasi flores, & super substantialia lumina. Plato autem in dicto illo famoso de tribus regibus demonstrationem nostram supra fusius propositam breviter comprehendit dicens:

 Cir-

Circa Regem omnium sunt omnia: Circa Secundum Secunda: Circa Tertium tertia. Humanus animus affectat qualia sint illa intelligere. aspiciens in ea, quæ sibi cognata sunt, quorum nihil sufficienter se habet. Sed in Rege ipso & in his quæ dixi nihil est tale: Quod autem post hoc est animus dicit. Hanc doctrinam excellentissimam sequentes Platonici magistrum haud sufficienter intelligentes depravarunt, separando Trinum ab uno, & distinctas substantias in gradu Essentiæ & perfectionis introduxerunt. Et licet post Christum ejusq; completam de hoc mysterio perfectamq; ipsiq; soli competentem revelationem, Platonicorum secta eam doctrinam rursus resumpserit, nullo tamen modo ad illius veritatem pervenerunt, utpote ab ore veritatis ad suas cogitationes secedentes, quod etiam Arrio, & suis sequacibus accidit, qui proprias cogitationes doctrinæ Ecclesiæ publicæ prætulerunt, Platonicorum placita verbo Dei immiscentes. Platonicorum dico, qui tamen hoc nomen hoc in passu non merentur, cum ab intentione sui præceptoris totaliter discedant. Hic enim tres reges ponit: Quid est Rex?

Non-

Nonne Monarcha? Quid est Monarcha? Nonne is, qui solus gubernat? Tres ergo reges tres monarchæ sunt, Monarcha autem unus est, Ergo & tres isti monarchæ in Vnitate sua non differunt, sed tantum ordine primi secundi & tertij. Cum autem primum vocet Regem omnium, tunc sane secundum & tertium ipsi videtur subjicere tanquam filios vel germina, ut loquitur Trismegistus, dum autem rursus illos in regno adæquat priori, tunc iterum in eadem potestate constituit. Quis enim in Regno succedit regi nisi filius? In Regno autem infinito, ubi non datur finis, ibi nec successio temporanea, sed æterna & per consequens æqua potestas omnium trium. Quod autem per Trinum Regem unum intelligat, patet ex iis, ubi dicit: Sed in Rege ipso, & in his, quæ dixi nihil est tale. His verbis utiq; Regem sub Vnitate comprehendit, quem antea sub Trinitate depinxit; Vbi autem dicit: In his quæ dixi; ibi iterum, tangit, omnia, secunda, & Tertia, quæ Creaturæ sunt, & præcipuè Angelicæ & menti humanæ superiores. Etenim tam de Rege & Regibus quam de omnibus istis ait: Humanus animus affectat qualia sint illa intelligere, aspiciens in

ea, quæ sibi cognata sunt, quorum nihil sufficienter se habet: his innuit sensibilia, quæ in cognitione nostra generaliter nobis inserviunt, sed imperfectè. Nam in Rege ipso & in his quæ dixi nihil est tale: quod autem post hoc est, hoc est post Deum & Superiores creaturas, hoc est quod humanum est, & quod sensibile est animus dicit.

Cap. IV.

Doctrina Christianorum de S. Trinitate.

QVicquid sit, profectò rerum disquisitio ad fontem deducit. Ex Vno solo quatenus tale nihil nisi unum progredi potest: Diversitas non unum respicit, sed multitudinem, & hinc omnis rerum natura Vnum & Multum reclamat: hanc autem multitudinem captus humanus in solo trinitatis numero cum Vnitate perfectè & proximè reperit. Nos autem veri Christiani Trinitatem istam unam, quam Solam Divinitatem confitemur, tanquam majori lumine gratiæ præditi, non tàm ex rerum naturalium conside-

considerationibus, sed ex sacrorum eloquiorum revelatione mirificâ, & ex Filij ipsius Dei patentissimâ declaratione venamur & veneramur: quibus tanquam ornamenta veritatis ea addimus, quæ ratio sibi speculando fabricat super fundamentum solidum atq; petrale. Quapropter etiam omnia reliqua ejus nomina tollentes, iis utimur, quæ Deus ipse sibi imposuit & nobis revelavit, quæ sunt: Pater, Filius & Spiritus Sanctus, sub uno Sanctissimæ Trinitatis nomine comprehensi. Hanc in nostris symbolis perpetuis laudamus, ut Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, neq; tamen ut tres Deos sed ut Vnum, ut bonum, sapientem, viventem, quemlibet ex tribus, non tamen ut tres bonos, sapientes, viventes, sed ut unum: Sicut enim (ut docet S. Dionysius) ea, quæ theologia nostra tradit unita, non licet separare, ita nec ea, quæ discretè cuilibet personarum conveniunt, confundere permittitur. Qui secus facit, scindere audet temeritate nefandâ Vnitatem ipsam super Vnitatem. Hanc unitatem & Vnitates appellat, Excellentes quasdam Deitatis plusquam ineffabilis, & supra modum incognitæ singularitatis, stabilitatisve firmitates, secretas

penitus & nusquam prodeuntes. Discretiones, autem beneficas supremæ Deitatis progressiones & expressiones (id est Spiritum progredientem & verbum.) De his autem omnibus dicit, quod qua ratione ita se habeant, nos neq; loqui neq; intelligere possimus, nisi per similia, quorum ipse ponit sequens dicendo: Personarum, ratione principij dominantium (id est Regum ut Plato loquitur) si dicere ita licet, mansio in se invicem atq; sedes, luminibus lampadum similis: quæ in domo una cum sint, tota in totis mutuò sunt, etsi certa interim exactaq; à se invicem discretione propria secernantur: Discretione quidem conjuncta & vicissim unione inter se discreta. Lumina hac adeò conjuncta sunt atq; unita, ut eorum discretio à nemine cerni possit, nisi quis lampadem unam è medio tollat: (scilicet ut unum lumen post alterum considerare possit, sicut nos supra fecimus cum numeris) tunc enim lumen quoq; proprium ejus totum abeuntem lampadem comitabitur, nec quicquam aliorum luminum secum trahens, neq; ex suo cæteris relinquens. Aliam experientiam addit Marsilius Ficinus: Si ingentem tabulam lucernis opponas, cujus in medio sit foramen, lucernæ

tres

tres per foramen unicũ tria lumina trajiciũt in oppositum; unde conjicimus, emicantia lumina in aëre invicem non confundi, sed quamvis sint conjuncta loco, pura tamen sunt, suamq; proprietatem servant inter se discretam; spiritualis enim eorum natura facit, ut non commisceantur. Verum hæc exempla à rebus petita, quæ divisioni subjecta sunt, potius demonstrant secretionem quàm unionem, & sensibus inserviunt, unde & proprium adducimus de Animâ Rationali, pro Ratione illustranda. In Unâ enim anima Essentiâ plures facultates per suas proprietates & operationes exactè discernuntur, Ratio, sensus, Vita, neq; in ea invicem separantur, quâlibet interim harum non nisi sua peragente. Illa enim, quæ in pede sensum exercet, non ratiocinatur, sed ea quæ in capite; & tamen sibi invicem tùm discretè tùm unitè operantes adsunt atq; assistunt, oculis phantasia & imaginatio, his ratio, huic intellectus atq; voluntas; Quod autem sint revera differentes, inde patet, quod sæpius in cognitionis judicio sibi contradicant, utpote dum sensus voluptates fovent, intellectus autem eas ut perniciosas omninò rejicit.

Cùm igitur difficile imò impoſſibile nobis ſit, hoc Vnum & multum ſimul conſiderare, & anima tamen fœcunditate & deſiderio laudum Divinarum turgida & flagrans: per canticum bonitatis, ſapientiæ & Amoris, tanquam omnis unitatis, multitudinis & motus creati cauſam, Gloriam Summi Dei noſtri exaltemus; Separatim unum & multum illud etiam in ſuis operationibus & operibus conſiderando. Cum enim in Primo Vnitatis fons conſtituatur, quod ut tale nullum producit effectum, niſi ſibi ſimilem, ſemper utiq; produceret imaginem Vnitatis, non autem diverſitatis; Itaq; per ſolam unius multiplicationem nulla fit diverſitas; Inde etiam Primum Vnum non immeritò prima unitatis causa rerum judicatur. Eâdem ratione & ſecundum, cujus combinatione cum primo reſultat pluralitas, non malè præcipua omnis diverſitatis cauſa nominabitur, etiamſi per ſe & ſolum nullam diverſitatem conſtituat. Niſi autem ſecundum primo jungeretur, nil niſi unitas ſola in rebus ab uno & altero, vel primo & ſecundo uno per ſe æqualiter prodiret, quatenus videlicet quodlibet horum eſt unum. Sed quatenus primum & ſecundum unitatis cauſa æqualiter

exi-

existunt, ita etiam dualitatis. Ast primi multiplicatio non nisi viam sternit ad diversitatem, non autem eam protinus perficit, sed potius præsentia secundi, quod est multiplicatio prioris; hinc licitum fortè erit, in hoc ipsum fontem multitudinis retulisse, sicut in illud unionis. Eâdem ratione unitatis & multitudinis à rebus simul participatis ut causam præcipuam & proximam, ipsum Tertium appellabimus, licet & toti trinitati & unitati hoc conveniat, cum unum sine altero non agat. Primum Secundum & Tertium unum sunt & rursus diversa: Illud unitatem fovet, secundum dualitatem, hoc trinitatem, unde in primo omnia unitè spectantur, in secundo multiplicativè, in tertio verò utraq; ratione simul; & omnia in omnibus tribus, tanquam in Causâ Causarum atq; principio mirabili, quod in se ipso non nisi per unitatem essentialem animæ nostræ attingimus, in nobis autem atq; creaturis cæteris pro capacitate rationis & intellectus. Hâc itaq; regulâ duce ad laudem S. Trinitatis in suis Personis resonandam cum reverentiâ humili & devota accedimus.

Ipsum Bonum & Vnum est idem ac Primum Principium universi. Si enim principi-

cipium aliud esset; Bonum ipsum inde necessariò penderet: Si aliud bonum; hoc quidem de quo loquimur foret, imperfectum, utpote perfectionem suam, quæ in bonitate consistit, ab alio non à seipso recipiens, quod tamen propter sufficientiam sui ante omnia collocandum: ante omnia dico, quæ ab ipso fiunt; De quo etiam omnia neganda, quæ omnibus aliis, quàm Deo attribuuntur: Ita tamen ut perfectio ejus maxima inde clarescat, non vero defectus. Sicuti enim intellectui visum negamus, cæcitatem verò, quæ obscuritas est, minimè affingentes, ita Deo intellectum & reliqua sine positione imperfectionum, quæ tantum hominibus accidunt. Omnia ei rursus tribuenda, de quibus omnia alia participant, sed in se ipso & unico quodam incomprehensibili & indivisibili actu. In seipso quidem, ne aliquid alieni ipsi inducatur, atq; ita egenus evadat, unico actu, ne qualicunq; divisione imperfectus. Causa est omnium, itaq; nihil horum: Causa est multitudinis, ideoq; simplex, ac propterea neq; genus neq; species dici potest; Genus in species derivatur: Principium in nihil: Species à genere: hoc à nullo Actus est omnium, quatenus per ipsum agunt

omnia

omnia & ad ipsum. Forma eſt omnium, non quod ſit formatū, eſt enim ſine termino; neq; quod formet ſuâ præſentiâ & eſſentiâ, ſed quod in ipſo formentur omnia & ad ipsum. Eſt indiviſibile Centrum univerſi, quia in ipſo continentur omnia, ipsum in nullo, quia eſt ubiq;. Eſt libertas omnium, etiam ſuæ naturæ, quia poteſtas & dominus omnium. Eſt poteſtas omnium, quia cætera per ipsum ſunt potentia ad agendum. Eſt Lux omnium, quæ vident, & Pater luminum. Antecedit omnia, non contingentiâ vel caſu, neq; neceſſitate, ſed voluntate.

Atq; hæc omnia ſunt unum in ipso & plusquam unum absq; ulla diverſitate imaginabili aut intelligibili. Non itaq; eſt Ens tale, cujus ratio diverſa eſt quam unius. Non eſt intellectus, attamen ſe ipso fruitur modo quodam intellectum ſuperante. Non eſt vita, quæ mobilis eſt, ſi enim ipsum moveretur, nihil foret ſtabile in iis, quæ ſunt poſt ipſum. Non eſt pulchritudo diviſibilis, ſed Forma unita. Itaq; ſi illi aliquid attribuere velis, vide ne ſit alienum, ne aliquid appetiiſſe videatur: Intelligentia ipſius non deſideret, Vita ſit absq; motu, actio non faciens, ſed

ut omnia fiant ipso non faciente, sicut & ipso non mutato mutantur. Esse suum non sit finitum, neq; ab extra, neq; intrinsecè. Stabile etiam, sed ne stare statu cogatur, neq; tanquam Principium in communicatione sui amplissima impediatur. Forma tandem ipsius omnes excedat terminos atq; mensuras, ita ut sub luce unica omnis varietas dissipetur. Ad ipsum enim pertinet, nihil quærere, nihil accipere, nihil amittere, tollenda itaq; ab ipso Principio omnis adjunctio, simul & omnis ablatio, ne aliquis ipsi defectus inducatur.

Hoc itaq; principium cum sit maximè communicativum sui, utpote optimum, perfectissimè etiam se communicat, tanquam potentissimum, fœcunditate suâ æternâ, æternum in se generans Filium naturæ suæ motu, vitalem, intellectulem, & optimum. Effectus quidem causarum Efficientium perfectionē minimè totam participant. Illud autem, quod generatione producitur, semper patri est simile. Necesse est igitur, ut Filius Boni, participatione ipsius æterna, ipsi sit coessentialis, & immediatè bonus procedat ac simplex. Necesse est etiam, ut sicut Pater est unus, hic tanquam ipsius imago substantialis

æter-

æterna in æternum & unus per se & cum patre permaneat. Principium etiam ut ille & virtus rerum creatrix æterna illa Sapientia & Verbum Dei, quod artifex mundi vocatur. Hic filius mens divina est, quatenus in Deo omnia creaturarum exemplaria perfectissimè continentur. In hac mente virtus omnium potens, est ipsa Dei essentia actusq; essendi. Ipsi bono enim nihil accidit, ita nec illi quod à bono gignitur perfectissimum à perfectissimo. Hæc Essentia tanquam unica est simplicissima, neq; ullo modo composita: Vnde enim talis foret, si à simplice generatur? Ast cum sit sapientia creatrix, quæ circa omnia versatur, simplex illud patris donum primo in se ipsis mox & in rebus efficit multiplex, in Deo tamen absq; ulla divisione essentiali. Et quoniã est creatrix rerum, atq; creaturæ suum esse habeant per formã, illa est forma perfectissima, uniformis quoad essentiam, omniformis quoad intellectum. Essentia etiam ipsius in Forma consistit, & Forma sua omnia formata sustinet. Habet igitur & formã vitæ, ast optimæ atq; æternæ. Hinc in mente Divina Essentia, Vita, Intellectus, sunt eadem. Sed ordine quodam distinguuntur à nobis. Essentiam

enim

enim consideramus tanquam infantiam, cujus perfectio à vitâ dependet, & ab intellectu totius consummatio, ubi tandem omnia in bonum ipsum cedunt, ac quasi commutantur. Intellectus enim est summa creaturarum perfectio, in cujus summitate bonum lucet, quod si defuerit, cætera omninò sunt imperfecta. Talia itaq; in Divinis conjecturamus, ordine tamen non temporaneo, sed æterno quodam, ac, si ita dicendum, momentaneo actu. Vitalis autem motus, per quem ut Essentia à patre egreditur, tanquam perficienda ab intellectu, est idem ille regressus, quo intellectus patrem respiciendo in se ipso evadit perfectus, atq; essentiam suam eodem actu perficit. Evadit enim perfectus, cum à Patre plenus seipsum respicit, qui ipse est idem cum sua essentia & vita. Plenitudo hæc, quam à Patre reportat, est pulchritudo illa omniformis, quam in Sapientiâ vigere diximus, quæ etiam quoad effectus suos à vita essentiaq; distinguitur. Tota autem mens Divina in seipsa agit & patre, quoniam in seipsa & in illo verum actionis suæ objectum invenit, quod est perfectissimum intelligibile: Hoc autem est id quod est boniforme & omniforme. Ipsa igitur mens

per-

perfectißimum intelligibile ac perfectißimum intelligens: agit enim in se intelligendo se talem, nam intelligentia per formam fit, quia ipsa est forma. Sed intelligendo non videt solum sed efficit. Quid autem? Mentes particulares, atq; efficiendo his imprimit pulchritudinis suæ sigillum ac idearum notas, ab intellectu in imaginationem & naturam descendentes. Ac in natura communi ordinat omnia sapienter, etiam ea, quæ nos contingentia nominamus ex ordinis ignorantiâ, quem casu accidere putamus. Efficit autem, ut dictum, agendo non extra, sed intra fæcundi[illegible]e lucis exuberante, se quasi in plurimos intus propagans radios, unde rerum formæ extra profluunt in animas, tanquam lumina quædam seu radij innumeris virtutibus referti. Effectibus hisce Divinæ Sapientiæ totus mundus repletur, cui adest ubiq; tota: non autem ita, ut extendatur loco, ne corporea evadat, sed ut talis, quæ omni materiæ ad opus à se præparatæ dominari poßit. Neq; etiam, dum movetur ad hæc, movetur tempore, aliâs enim per accidens & minus ordinatè ageret: Sed semper & perfectè sua dona distribuit illis, quæ per præparationem facta sunt receptacula For-

marum: Praeest mundo tanquam dominus & supereminens. Etenim tanquam summum bonum summi boni filius patrem nunquam deserit, sed haereditario jure semper cum illo manet & ubiq;: per quam aeternitatem individuam totum tempus adaequat, & superat, sicut per motum essentiae indivisibilis totum spatium obtinet & excedit. Omnia itaq; ad sapientiam Divinam tanquam centrum recurrunt, quia ipsa est omnia. Omnia in ipsa continentur, ipsa in patre. Quatenus filius est ipsius boni, bonus est, unus, principium, causa, centrum: Quatenus multiplex est, Intellectus, forma, lux, formosus, pulcher & alia formans: Quatenus mobilis, vivens & omnia vivificans: Quatenus stabilis, in unione cuncta continens. Neq; tibi mirum videatur, quod sit multiplex; Unus enim apparet antequam talis, & multa una cum patre procreat, non tanquam compositus ex multis: sed perfectio ejus cum patre eadem à perfectione patris diversa est, quatenus & ipse diversus & idem: Ille ut pater, hic ut filius: Ille in unitate & multitudine, hic in multitudine & unitate. Natura etiam mentis requirit, cum intelligibilis sit simul & intelligens sui ipsius, ut diver-

sa sit à se ipsa & rursus eadem, & unum omnia. Nec motus tibi scrupulum addat: est enim vitalis & sempiternus in se ipso nec extra vigens, quia ipse est status, quem forte desideras, æternum dico & motum; non enim privatio istius. Itaq; Deum tibi imaginare Vnum Essentia, multiformem sapientia, & clementia erga creaturas bonum, atq; in pulchritudine & æternitate perfectum: Cujus beneficio necesse est ut patrem cognoscas, quem non vidit homo unquam, cui filius, qui est in sinu patris, hunc ipsum non enarraverit: quia solus principium illud, sicuti est, intelligit, se autem in se beneficio tamen ab illo accepto.

Optimus pater simulac pulchrum suum filium generat, specie ipsius delectatur, æternoq; amore eum prosequitur: Filius autem præstantiam patris ac bonitatem in illo & in se ipso cognoscens, eodem ipsum amore vitali & igneo comprehendit: amorq; idem dum spirando & respirando movetur, simul cum patre & filio ab æterno existit. Nunquam enim fuit tempus, quo Pater filium non generaverit (si modo in tempore æternum generari dicere liceat:) nunquam etiam quo ipsum non amaverit, ab eodem rursus & in æter-

num redamatus. Quomodo enim amor absq; amantium ardore? Cum autem pater amet filium ob similitudinem cum ipso perfectissimam, quæ omnium maxima & optima existit, sicut & ille: cum etiam filius patrem rursus redamet, eadem proportione, pro perfectione recepta tradita & possessa æquali: Nonne & in patre & in filio idem amor; Siquidem ob eandem causam & circa idem objectum atq; in eadẽ essentia? Nonnè etiam perfectissimus sicut amantes? Quid ergo: Nonne seipsum amabit & illos, sicuti & pater filium amat & propter filium & propter seipsum, & eadem ratione à filio rursus amatur? Nonne etiam à patre amabitur itidem & filio, tum propter ipsius præstantiã, tum propter seipsos, quia ea quæ habet, perfectissima possessione inde accipit. Itaq; & pater in filio manet, & filius in patre per istũ, & iste rursus in ambobus per unũ & alterũ; Sed pater delectatꝰ divinis ejusmodi germinibus, penes seipsum ea continuit, & rursus exuberãs gaudio, aliis etiam hoc ipsum communicare desiderans, creavit mundũ, ac pulchritudinẽ suam per filium in ipso extẽdit, ita ut nõ solum procapacitate plenitudinem ejus participaret, verum etiam beatitudinem: bonum enim beatum maximum, est maximè

sui

sui communicativum. Creavit insuper & hominem, qui tum ex seipso, tum ex universo miracula hæc cognitione caperet. Sed quomodo hæc omnia fecit? Per Amorem. Nisi enim Deus Creaturarum esse amaßet, nequaquam sui ipsius imaginis illas participes effecisset: Sed quoniam tradidit, certe per amorem tradidisse affirmandum. Progreditur itaq; amor vitalis, spiraculum illud divinum à patre & filio. Sed quorsum? In mundū: In hominē: Seu potiꝰ mundus & homo, illo procedēte, ex nihilo in principio temporis egrediūtur. Spiratur autē à patre, spiratur à filio, spiratur in mundū, spiratur in hominem: In mundo auctor & rex naturæ existit; homo autem ipsius virtute in animam viventem. Quid verò secum ducit? Omnia, quæ à Patre & filio acceperat, ea rursus creaturis communicando: Essentiam, Vitam, & intellectum pro capacitate cujuslibet; bonum autem omnibus sine discrimine vel universaliter; Sed sicuti & ipse in æterna unitate conservatur à patre & filio: ita rursus & omnia amabili quadam harmonia (quæ signum est ejus præsentiæ) contemperat, gubernat, & conservat. Spiratur, autē mobili quadam sed inseparabili virtute à Deitate: Hinc omnia rursus ubiq; vivificat

ſpirando vitam univerſalem pariter & particulares, partim proximè à ſeipso, partim verò mediante illa vita, quæ ab ipſius potentia creativa exnihilo proceſſerat. Sed quoniam ex pulchritudine Divina, & una cum ipſa ortum ducit, eadem etiam ratione pulchra omnia & habet & benigne diſtribuit. Mundum totum in toto & partibus perfectè adornat. Sed ſicut ipſe ex unitate & multitudine progreditur, ita pariter unum & multa exiſtit, & rurſus unum efficit pariter atq; multa. Sic mundo præſens totaliter, calorem ſuum velut ignis Divinus ubiq; circumfundit, patris potentia nixus & bonitate, reſpiciens filium in operibus ſuis, ut omnia perfectiſsimè producantur. Dum autem à patre progreditur in filium, & ab iſto in patrem, movetur quidem, ſed ſtabiliter, quia in æternitate & intra deitatem: Dum verò extra quaſi procedit ad opera mundi, nihil aliud exiſtit quam exuberantia plenitudinis. Quicquid itaq; vides in patre, vides in filio; Quicquid in patre & filio, vides in ſpiritu Divino, & hæc omnia in te & in mundo, ubiq; enim imago divinitatis reſplendet.

Hisce pro viribus ſupereſſentialis Divinitas laudata eſto; Ego quidem de tanta ſancti-

tate verba haud fecissem, nisi propria ipsius eloquia sermonibus meis stimulum addidissent: Scio enim memorias meas esse cineres, in conspectu excellentiæ Divinitatis. Quantus enim est ipse, cujus annorum numeri investigatio non est? Terribilis est Dominus & per quam magnus, potentiaq; ipsius mirabilis: quem si proviribus nostris laudando extollamus, adhuc omni laude major erit. Quis extollet ipsum sicuti est? Multa enim ipsius occulta sunt his majora, nam operum ejus pauca videmus. Vt ergo anima magnificentia ejus perterrita confirmetur, iisdem verbis, iisdem descriptionibus in verbo suo benigniter tradito dese utitur, quarum figuras & similitudines rerum naturis impressit: Nequaquam enim patitur animam devotam & humilem titubantem cadere, sed intelligibilibus se depingit nominibus, ne ipsa metuat: Formatus apparet, ut illa videat, figuratus, ut illa veritatem assequatur, non solum incorporeis sed etiam solidis se comparans: Imagini suæ se reddit similem, ut tandem etiam imago similis evadat. Hoc autem fit, ^ ipsi / *dum homo cognoscit, faciem Dei esse invisibilem, manus ejus infinitis viribus omnia excedere, & posteriora tantum ejus in caligine*

gine clarescere: Vnde certior evadit, illum ipsum esse hunc Deum, quem antea invenerat, non quidem talem, ut ipsi apparuit, sed qualem ipsa videre nequit. Ratio itaq; dum sola Deum accedit, pro capacitate quidem propria ipsum inveniet, verum si Deus ipsi obviam non venerit ut talis, hæsitando recedit. Rationē tamen ideo non rejiciamus, hanc enim nobis Deus largitus est; ut ipsum per illam investigemus: est enim oculus noster internus, ideo datus, ut ea aspiciat, quo sensus penetrare non possit. Quæramus ergo, quo confortari possit ejus debilitas, lucem nempè divinam per verba sibi placentia resplendentē. Cum autem Sacrorum eloquiorum tam amplum existat testimonium, ut illud brevis iste tractatus capere non possit, relictis in præsentiarum profundissimis ipsius Dei verbis, audiamus saltem, quæ homines in sanctitate Sapientes de hisce protulerunt. Sapiens inquirit, quod sit nomen Dei, aut quod nomen filij ejus, idem & Spiritum Dei sanctum nominat; Vnde Deus Vnus; Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Hic Deus Creator est, quia omnia facit: Bonus est, quia omnia benefaciens isq; benedicens, hinc etiā ipsius opera omnia bona. Et quatenus bonus est, eatenus etiam est

cau-

causa finalis, in quā tendunt omnia: per hunc enim fœlicem suum finem consequuntur: Et propter eum facta sunt omnia: major est omnibus suis operibus: hinc ante omnia & nihil omnium: Et rursùs summa dictorum est, ipsum esse omnia, quatenus causa omnium: cujus opera desiderabilia ad scintillam spectanda: cui cuncta obediunt tanquam actui & formæ omnium, similiter ut potestati, quæ perspicit omnia, ut lux æterna & vivens: cujus gloriam loquuntur omnes res creatæ, & tamen majestatis ejus perfectio investigatione non invenitur. Est enim altior cælo, profundior inferno, cujus mensura longior est ipsa terra, & latior mari, ex quā magnifica ipsius opera. Ipse verò cum existat ante omne ævum in ævum sempiternum, non auctus, non diminutus, est incognoscibilis. Quatenus enim Creator est operum, apparet omnipotens manibus, quibus mundum ex informi materia effecit, ut fortis viribus, amplus, sapiens corde, oculis perspicacibus, facie tamen invisibili ab ullo mortalium; ut opifex loquens verboq; omnia producens, spirans animas humanas: & mox quiescens ab operibus, sed confirmans & servans omnia, siquidem per

omnia transit. Sapientiam autem Dei itidem
Prov.4. *vocat Principium, atq; ob id ad acquisitionem*
7. *ejus hortatur, utpote quæ exaltata exaltet, &*
omni substantia ipsam amplectentes glorifi-
cet. Ne autem quis credat, quod Vnum pri-
mum describat, distinctionem ejus ponit pro-
priam, appellans ipsam genitam seu ortam
Sap.6. *atq; formatam. Ne autem rursus nos ipsos*
24. *decipere volentes, ita ortam dicamus, ut cre-*
aturas reliquas, subjungit tempus & alias
Divinitatis proprietates, quæ nulli creatu-
rarum conveniunt. Tunc enim genitam
dicit, cum nondum essent voragines, nec fon-
tes abundantes aquis, antequam montes
Prov.8. *fundati essent, ante colles: Quam Jehova*
possedit à principio viæ suæ, ante opera sua,
ante ullum tempus; quæ ante Seculum inun-
cta fuit, ante principium, ante primordia
terræ, & quæ sequuntur. Item: Quæ in corde
Sap.9,1. *Dei & sic in centro divinitatis habitat: &*
c.7. *cum ipso una est: Et Vnica. Quæ cum bona*
sit sicut Jehova, & Vna cum ipso, mala ea-
dem, odit & abominatione habet sicut ipse.
Prov.6. *Cum autem talis sit tantaq;, homo non novit*
16. *pretium ejus, neq; invenitur in terra viven-*
tium. Vorago dicit non est in me, mare quoq;
dicit non est mecum: Verum Deus intelligit
vi-

viam ejus & ipse cognoscit locum ejus. Proinde etiam ipsius verbo utitur in Creatione, & annummerat cælos in Sapientia. Hæc enim erat illic, quando ipsos præparabat atq; firmabat desuper, quando describebat circulum in superficie abyssi, quando roborabat ipsius fontes, & ponebat mari statutum suum & aquis ne transirent littus suum, quando describebat fundamenta terræ. Dum ipse loquitur, hæc efficit & ludit coram illo omni tempore, ludit in orbe terræ ejus, & delectationes ipsius cum filiis hominum. Nam creavit omnia verbo suo, atq; hominem sapientia sua effecit. Pertingit ab extremo ad extremum fortiter, atq; omnia utiliter moderatur, Sap. 9.
Nobilitatem ejus hoc illustrat, quod una cum Deo vivit, Dominusq; omnium illam dilexit. Est enim perita scientiæ Dei, atq; ei initiata, ejusq; operum electrix. Hinc omnia in ipsa descripta; quia omnia per ipsam facta, & Sap. 8.
pulchra, quia est speciosior Sole. Est igitur omnipotens, perfectissima, simplicissima pa- Sap. 7.
riter & multiplex, est indivisibilis forma, omniformis, pulcherrima, causa omnis ordinis in rebus, quia in se ipsa manens, innovat Sap. 7.
omnia. Est eadē intelligens atq; intelligibilis.

Præ-

Præclara etiam est, nunquam marcescit, facileq; perspicitur ab iis, qui eam diligunt, & invenitur ab iis, qui illam quærunt, antevertens sui studiosus se offert cognoscendam. Hanc si quæsiveris tanquam argentum, & sicut thesaurum scrutatus fueris, intelliges timorem Jehovæ, & cognitionem Dei invenies. Tunc intelliges justitiam & rectitudinem & omnem semitam bonam. Hæc enim cum Deo una est, quæ ipsius novit opera, quæq; tunc affuit, cum mundum efficeret, & quæ scit,
Sap. 9 *quid in oculis ipsius gratum sit ac rectum in*
1. *suis præceptis.*

Spiritus etiam Dei Sanctus idem est ac spiritus disciplinæ, ac spiritus sapientiæ benignus. Est spiritus potentiæ, per quem Deus omnia diligit, qui omnibus inest incorruptus. Hic est Spiritus Domini, qui incumbit aquis, dum Deus creat, dum sapientia format. Hic est spiritus Dei, qui replet orbem terrarum, qui continet omnia, qui cognitionem vocis habet. Hic est Spiritus, qui in Sapientia habitat, intelligens, sanctus, simplex, multiplex, subtilis, mobilis, illustris, impollutus, perspicuus, innoxius, boni studiosus, acutus expeditus, beneficus, humanus, stabilis, certus, securus, omnipotens, omnia per-

spi-

ſpiciens, atq; per omnes ſpiritus intelligentes puros, ſubtiliſſimosq; permeans. Nonne hæ ſunt proprietates merè divinæ? Profectò quisquis fuit, qui librum hunc compoſuit, ſive Rex ſapiens, ſive alius, veræ utiq; Sapientiæ poſſeſſor, verusq; laudator Dei exſtitit. Sapientiæ lucis Divinæ in locis allegatis duas proprietates maximè inſignes tribuit; altera quidem, quod ſit genita ſeu orta; altera verò, quod ſit una cum Deo, per quæ tàm à Patre ſuo, quàm à Creaturis excellenter diſtinguitur, ita tamen, ut ab eſſentiâ Dei non ſeparetur. Si enim ipsam à Deo nequaquam differre dixeris, Deum ipsum pro Sapientiâ ſumens, quomodo ipsum genitum appellabis. Si enim Primum generatũ dixeris, nunquã primum aliquid reperies, ſed in infinitum in hoc labyrintho circum errabis. Generari itaq; non niſi ad ſecundum pertinet, & poſt ipsum ad creata. Jam verò Sapientia illa genita dicitur ſeu orta, concludo igitur quod à Primo orta ſit, atq; quod ut ſecundum, non autem ut primum ibi inducatur, & ſic ordine, relatione & genitura à primo differens. Quod ſi hanc ſententiam aſpernatus ad cætera deflectas, ipſamq; ex creaturis eſſe dixeris; quomodo ipſi ater- Sap. 7.

æternitas conveniet? Quomodo una cum Deo erit? Sed forte objectionem quandam ex verbis Ecclesiastici petitam formabis. Hic enim summis ipsam laudibus attollit, minus tamen quàm pro dignitate. Verum si accuratè respexeris, reperies, quod Sapientiam à Deo genitam & Creatam confundit. Ait enim: Omnis Sapientia à Domino, atq; apud ipsum est in seculum. Si à Deo egreditur vel manat, defluxus Dei existit: Si autem cum eo est in perpetuum, Divinitatis utiq; est particeps. Hæc sapientiæ Divinæ perfectè conveniunt. Sed ita prosequitur: Prior omnibus creata est Sapientia, & intellectus prudentiæ, ab æternitate. Si creata, quomodo æterna. Fons Sapientiæ est Sermo Dei: Ergo ex Deo & verbo ejus promanat; ergo non est creata ex nihilo. Et viæ ejus mandata æterna: Si capax est mandatorum æternorum & per vias æternas incedit, quomodo creata dicenda? Radix Sapientiæ cui retecta est, & callida ejus facta quis novit. His verbis utiq; declarat sapientiam habere radicem Divinam. Unus est sapiens reverendus valde, insidens throno suo Dominus. Hujus ergo est Sapientia illa æterna. Is creavit eam, & novit ac recensuit eam, & effudit eam in

omnia

omnia opera sua, adest omni carni, & suppeditavit eam diligentibus ipsam. Hac ergo sapientia creata & participata à creaturis differt ab illa, cujus Fons in Deitate existit. Est certe & creata ista sapientia in Vniverso valde conspicua: hanc enim testantur omnes formæ tam corporeæ quàm incorporeæ, omnis ordo, omnis ratio, omnis intellectus, quibus omnibus adest ea, quam Deus cuiq; impressit, Sapientia. Tota natura ipsam sequitur, opera sua ordine sapientissimo producens; omnes cœli ipsius jussu circumvolvuntur, ac stata certaq; tempora efficiunt. Omnia corpora tanto artificio exstructa, tanta varietate ordinata ipsam testantur? Et quid est in mundo, quod eâ sit privatum? Magna quidem est hæc Sapientia, quæ etiam Divina dici meretur, sed cōsensu, ut omnia ejus opera: Magna quidem, sed admodum ab ea differens, quæ cum Deo habitat ab æterno, & quæ à Deo generatur. Hæc enim nequaquam omnibus adest operibus, nisi per illam; & si prout decet ejus naturam & præsentiam acceperis, tunc eam non nisi cum paucissimis mentibus habitare invenies, & quidem haud semper, neq; ex creatione, sed ex gratia speciali. Hujus descriptionem excellentissi-

tissimam ponit discipulus ejus super laudatus. Ait autem: Quod sit Vapor virtutis Dei & defluxus gloriæ omnipotentis syncerus, quapropter nihil polluti in eam cadit: Etenim Lucis æternæ splendor est atq; speculum virtutis Dei, nulla macula aspersum, ejusq; imago bonitatis. Videamus quæso, quid dicant hæc verba, magna enim atq; divina continent. Vapor in rebus elementaribus est medium quid inter aquam & aërem, in corporibus verò odoriferis exhalatio quadã illius, quod est optimum in illis atq; præcipuum: Vides itaq;, quæ sit generatio sapientiæ Divinæ, nempè exhalatio virtutis Dei. Virtus hæc potentia summa existit, Vapor autem hujus virtutis quid erit? nonne optimũ in Divinitate? si modo de illo, quod totum est optimũ, ita loqui liceat; optimum igitur, quod è Divinitate exhalat. Qualis autem est hæc exhalatio? Iste Vapor? Virtutis Dei, omnipotentiæ Divinæ. Vapor ergo virtutis infinitæ & ipse infinitus: ergo semper in illa permanet, neq; unquam radicẽ suam penitus egreditur, ne ipsa egressione finiatur sed permanens in infinitâ virtute, perfectione sua spirat odorem Divinitatis suæ æternum. Rosa quidem vaporem suum

emit-

emittendo seipsam debilitat, ita ut virtute amissa protinus marcescat. Divinitas autem infinita virtute spirando, vaporem emittit infinitum, qui nunquam debilitatur sicut nec ipsa, sed potius eum spirando corroboratur. In rosa autem spiratio vera est & substantialis: qua igitur ratione divina virtus aliena spirabit? Essentialia itaq; superessentialia atq; Divina: odorem gratum, vaporem patri acceptum, atq; infinitatis viribus ac robore aeternitatis fumantem. Verùm non tantum vapor est, sed defluxus insuper. Quatenus vapor Divinitatis internus, nonnè unus idemq; cum spirante? Si verò defluxus: nonnè diversus? Id enim quod defluit, non jam idem cum suo subjecto existit, sed diversum quiddam defluendo evadit; defluere enim est aliqua ratione separari. Aliud itaq; est defluxus, quàm suum subjectum, atq; distinctum ab ipso: Sed qualis defluxus? Non sanè effluxus totalis, sed defluxus infinitus: ergo rursus & unus, quia sine fine ab illo separatur. Ast si absq; fine, nonnè & separatur, & unum permanet? Sed unde infinitus? quia omnipotētis. Essentialis est atq; Divinus, quia sincerus, & inde totalis, ita ut tota, sincera, omnipotens, infinita patris virtus in

filio ab ipso defluat, neq; tamen ab ipso in æternum separetur. Est autem defluxus purissimus, est defluxus gloriæ omnipotentis. Ex quo clarissimè patet, hunc defluxum esse intra Divinitatem. Omnia enim, quæ Deo tribuuntur, reliquis etiam creaturis sua ratione pro capacitate data invenies; Vt bonitatem, unitatem, Essentiam, Intellectum, Vitam, & Divinitatem quandam aliquibus: Gloriæ autem Divinæ qualem creaturarum participem dixeris? Quis se usq; ad ipsam attollere auderet? Majestas enim tanta est, ante cujus aspectum omnia diffluunt, ac eo ipso momento in malum protruduntur, quod dæmonibus accidit, atq; hominibus, licet isti non gloriam Dei, sicut illi, sed Sapientiam tantum similē desideraverint. Sapientia itaq; divina verè talis existit, siquidem defluxus est gloriæ & majestatis Divinæ, id est ipsa gloria. Quodsi itaq; defluxus sit gloriæ hujus, nonnè Vna cum patre permanet? Si enim effectivè ab illo separaretur, nonnè Deum gloriâ suâ defluendo privaret? Sed Gloria Dei cum Deo in æternum permanet, ergò & ipsius defluxus. Sole etiam clarius splendet æterna Sapientia, quia lucis æternæ splendor existit, nullis interruptus noctis tenebris. Si solem consideraveris,

tria observabis; Lumen ex ipso undiq; circumfusum, & simul in perpetuo annexum: radios etiam ex ipso diffusos, & tandē splendorem corporis solaris intimum: Lumen & radij progrediūtur, splendor intus permanet. Sic lux & sapientia Dei intra Deitatem in æternum resplendet; Per ipsam tamen patrem videmus, qui aliàs nos omninò lateret, sicut & forma lucis per splendorem nobis solummodò clarescit. Ex his concludes, quale sit speculum illud, nullâ maculâ aspersum, qualis imago bonitatis. Est speculum pariter atq; imago, recipiens atq; receptum, id est, seipsum recipiens: se dico, id est, totum illud, quod est in patre: nihil enim aliud est, nihil aliud recipit, quàm id quod pater ipsi tradit, id est, Deitatem. Imago itaq; est, sed qualis? Non effluens quiddam sive radiale sive accidentale, sicut imagines nostræ corporeæ, quæ in speculo vitreo recipiuntur; Sed Divina imago, essentialis & plusquam talis, patrem repræsentans suum, fermè sicut filius hominis imaginem sui patris, cujus etiam imago vocatur, id est, omnia ferè similia possidens non imaginaria. Quid enim imaginarium tradideiit summa Veritas & bonitas, dum se ipsā communicare intendit? Dum Divinitatem

tradere infinitam? Dum enim generare incipit, ab infinito generat: dum bonitatem, In æternum. O quanta qualisq; hæc est sapientia! breviter tibi dicam, imò non ego sed sapiens: Tanta est, ut thronis Dei assideat, atq; in solio Gloriæ ipsius collocetur. Visne alia? Sanctam hanc atq; benignam & optimam precare sapientiam, revelabit tibi multò majora, si dignum te eâ præbueris, non quidem in hâc mortalitate, quæ Gloriam & Faciem ejus propriam non capit, sed in beatitudine futurâ. Ecclesiasticus igitur effectus sapientiæ cum causâ permiscet, non tamen confundit: nam facilis existit solutio hujus ambiguitatis iis, qui res ipsas & proprietates considerant atq; discernunt, neq; tantum ad cortices verborum intenti exteriora respiciunt. Nucleus rerum ex verbis eligendus, sonus non nisi pro vehiculo serviat. Alia certè est Sapientia Dei in Deo, alia quæ participatur ab intelligentibus substantiis, alia quæ circa corporea ex Sapientiæ motu dependens pulchritudo visibiliter effusa, alia quæ circa materiam ipsam fluctuat, ad omnifariam formarum corporearum dispositionem. Illa enim, quæ cum Deo habitat, Causa existit, cæteræ effectus, & quicquid creatur

extra Deum sit, quicquid verò ab æterno est atq; cum Deo vivit & manet, his omnibus est superior. Sic & Spiritus Dei nomen diversis & differentibus subjectis applicatur: Ultra enim quod dicatur omnipotens, & omnium spirituum subtilißimorum perscrutator & penetrator, dicitur etiam anima hominis, aliquando & angeli spiritus Dei appellantur, imò & spiritus Dei malus nominatur veluti in vindictam scelerum missus dæmon: ventus etiam spiritus Dei nomen gerit, non autem vocantur omnipotentes, sed spiritus sunt, spiritus Dei, creaturæ, & famuli. Sic & verbum Dei diversis rebus applicatur: aliud enim est, dum ipse loquitur, ut in Creatione, aliud dum per Creaturas, aut per prophetas & sanctos Dei homines, quorum sonus intelligibilis Divini verbi instrumentum: Sed & vox ejus in rebus minimè intelligentibus, nec intelligibilibus resonat. Audite cum tremore vocem ejus & eloquium, quod ex ore ejus egreditur, sub toto cœlo dirigit illud, & lumen ejus super extrema terræ: post ipsum rugit sonitu & tonat voce superbiæ suæ, neq; retardat illa, cum auditur vox ejus, Tonat voce sua Deus mirabilia. Sic & Clangor buccinæ in monte, & vox sensibilis, quæ Moysi respondebat.

Comprehendamus ergo breviter, quæ dicta sunt de Divinitate, quam appellabamus Principium ac Deitatem Vnam Trinamq́; In patre tanquam principio simplicissimo, habitat filius, sapientia & verbum Dei, Sapientia à Deo generata & orta: In hâc spiritus Dei & Sapientiæ. Pater omnibus dat esse bonum, sapientia formosum, spiritus vitale, & quodlibet horum dat omnia tria, quia sunt unum pariter atq́; discreta: Sicut & potestas ipsorum, quæ differenti pariter & simili ratione exercetur. Pater enim immobilis loquitur, Filius autem in ore patris resonans intus agit atq́; in Deo motu quodam perfectissimo: Spiritus autem verbum excipiens, exterius jam progreditur, atq́; res ipsæ cum eo, ad unum Deitatis nutum, tanquam ab una æqualiq́; potentia propulsæ. Sunt autem & lux & essentia una, infinita, perfecta, vita stabili seu æterna intus; exterius autem mobili spirante. Centrum sunt unum & triplex: pater enim simplicissimum principium in corde suo fovet sapientiam, sapientia simul cum patre Spiritum. Est itaq́; radix Trinitatis in corde Deitatis unius in Centro uno, linea & circumferentia. Ipsis est una forma atq́; diversa, infinita, perfectio, infinitæ essentiæ, sapientiæ,

vitæ, atq; uno verbo Bonitatis: Convoluta in patre, evoluta in filio, sed solummodo intra Deitatem: in spiritu autem Divino insuper & exterius resplendens. Causa sunt omnium: Pater finalis tanquam Principium primũ & ultimum, filius exemplaris, Spiritus sanctus efficiens, & tota sanctissima Trinitas unica etiam causa simul. Quodlibet horum sive principiorum sive principium in una Deitate, omnia est, omnia possidet, atq; participantibus sua benignè largitur. Concludat liber Hiob Trinitatis Divinæ laudem. Potentia ejus quiescit mare, & intelligentia sua percutit elationem ejus, spiritus ejus cœlos ornavit: En ista sunt partes viarum ejus. Sed quam pusillum est, quod audivimus de ea, & tumultum fortitudinum ejus quis intelligit?

Vidimus jam imaginem S. Trinitatis in quantitatibus creatis: Laudavimus etiam eam ipsam sub nominibus intelligibilibus Essentiæ bonitatis, Formæ, sapientiæ, & Amoris vitalis. Opus ergò est paucis respondere ad objectionem inimicorum Dei argumentantium: quod si Essentia, Sapientia, Vita Dei differentiam in personis efficiant, idem etiam accidere per nomina Providentiæ, Prævidentiæ & similium. Respondeo ergo negando istã

consequentiam. Nam sicuti sunt quædam nomina, Deo universaliter convenientia, ita ista Tria præcipuam in tota natura creata efficiunt differentiã, cum omnia quæ sunt qualicunq; modo, & similiter omnia, quæ vel de Creaturis vel de Creatore dici possunt, ad ista tria referantur, quæ tamen revera distinctum quid existunt in toto Vniverso. Essentiæ enim dominium multo latius sese extendit quam Vitæ, cum vita sine Essentia vita non existat, Essentia tamen sine vita existere posit. Sapientia etiam & intelligentiæ regimen multis denegatur, quibus illa duo conceduntur. Quatenus ergò opificem ex opere dijudicamus & agnoscimus, idem quod de opere, concludimus de opifice ast suo modo. Quid enim sunt Justitia, Prudentia, prævidẽtia, providentia, prædestinatio Dei? Nonnè istæ omnes sunt species multiformis sapientiæ? Quæ tamen & ipsæ certo respectu ad opera differunt, sed tantum particulariter, ad radicem tamen dictam omnibus annexis. Justitia enim Divina est ea, quæ cuncta conservat in pondere, numero et mensura, quæ sapientia ordinavit: justitia enim sine sapientia foret injustitia. Prævidentia Divina ejusdẽ sapientiæ, quatenus novit omnia temporanea,

ut temporanea, antequam in tempore fiant, non respectu ipsius Dei, in quo nullum est tempus, sed respectu creaturarum in tempore factarum. Providentia Dei omnium conservationi prospicit, ast juxta ordinem justitiæ, quæ unicuiq; sua tribuit. Prædestinatio Dei etiam ad sapientiam pertinet, quatenus ea, quæ præviderat, juxta futurum ordinem justitiæ conformem, disponit. Omnia ista Dei attributa differunt, nō respectu Essentiæ divinæ, sed respectu creaturarum. Hic nullum datur absolutum decretum ad malum, sed omnia à Sapientiá ex absoluta summi Boni voluntate per quā benè & ad solùm bonum ordinantur, antequā à creatore producantur: quo quidem fit, ut non solùm respiciat res producendas, sed ante ipsas summi boni voluntatem, quæ est objectū Divinæ Sapientiæ respectu creandorum: Filio enim patris voluntatem facit semper. Justitia verò est custos & conservatrix ordinum, quos summa illa Sapientia ordinavit, & reductrix malorum accidentaliter supervenientium in gradum bonitatis. Prævidentia perlustrat omnia futura, eò ut justitia unicuiq; sua distribuere possit, hujus objectū sunt res ipsæ nondum existentes, sed quatenus sunt à Creatore producendæ. Providentia

disponit media, per quæ ea, quæ à justitia unicuiq; sunt ordinata, in actum ducantur. Prædestinatio autem jam ipso actu ordinare incipit, quæ Providentia consilio disposuit. Similiter quilibet de cæteris Dei attributis inquirens, reperiet, quod omnia, quæ de Deo dicuntur qualicunq; respectu, vel sint nomina totaliter universalia, vel in Deo ipso considerata, ut Infinitudo, Bonitas &c. vel respectu ad ejus operationes & opera, utpote omnipotentia, bonitatis, essentia &c. Divinitas itaq; est Principium mediũ & finis sui ipsius & omnium, constans in natura essentiæ, sapientiæ, vita æterna. Vbi tandem omnia coincidunt in Bonitatem Dei infinitam, sicuti & finis totius Creationis est bonitas creaturarum. Nam sicuti in omnibus observatur quædam distinctio prædictorum, ita etiam ex effectu ad causam argumentando in Deo concludimus Trinitatem sub unitate summæ bonitatis, quæ omnibus est unica communio.

Aliam quandam objectionem faciunt Judæi in Satyra sua Gentiana, ubi passim contra doctrinam de S. Trinitate arguunt, dicentes, quòd Plures & Vnus (scilicet Deus, ut ipsi præsupponunt, Christianos sentire) ex diametro pugnent. Vbi quidem primo loco notetur

sophi-

ſophisma, quo utuntur, dum plures ſubſtãtias differentes in unam conjungunt, disputando, non contra nos, qui hoc ſuppoſitum negamus; ſed contra nullum: fermè ſicut athletæ, qui armis ſuis contra murum ſe ſtrenuè exercent, cum umbris ſuis dimicantes, tanquam cum inimicis: Deinde etiam magna iſtorum magiſtrorum notetur ignorantia: Contrarietatẽ namq; & pugnam numeris attribuunt, in quibus nulla penitus exiſtit, ſed ſaltem in qualitatibus: Si modo exiſtat. Si enim Vnum & Multum, ſibi eſſent contraria, qua ratione multitudo ex unitate generaretur? Nunquã neq; in natura rerum, neq; in congruitate rarationis obſervatum, quod contrarium ſibi contrarium producat ex ſuis viſceribus. Nunquam in æternum calor ex frigore generabitur, vel mundũ ex immundo, vel mors ex vita. Materia qualitatum mutationes ſuſcipit, dum Forma formæ cedere cogitur, dum fortior victoriâ potitur, & poſſeſſionem acquiſitam occupat. Nos igitur præfata de uno & multo, non aliter intelligimus quàm juxta ſenſum & doctrinam Vniverſalis Chriſtianorum Eccleſiæ, diviſionem eſſentialem in Deitate minimè concedentes; relationem autem Perſonarum, Patris, Filij, & Spiritus ſancti,

pri-

primi, secundi, tertij, eorumq́ unitatem, non solùm existere, sed etiam ex rebus creatis mirificè apparere, probamus: quod exempla numerorum, luminum, animarum, & quæ alia præcesserunt, testantur. Existentiam Rei demonstrantes, objectionem impossibilitatis tollimus, licet modum, quo in summa Deitate hæc ita se habeant, non possimus designare. I gnorantia modi non tollit scientiam rei, multa in rerum natura novimus existere, quâ autem ratione ita sint, ut plurimum nos latet. Difficilis est perscrutatio absoluta Trinitatis, difficilior Vnitatis: quàmvis primo aspectu leve quid tibi videatur, Vnum concipere. Cognito Vno Trinitatem inquirere potes facilius, quam Vnum ex Trinitate: Vtrumq́ in utroq́ reperimus: utrumq́ etiam separatim. Parmenides apud Platonem hunc labyrinthi ingressus, nullum reperiebat exitum, sicut nec Socrates. Ille quidem per multas ambages & circumstantias hoc Vnum inquirit, modo ipsum ut existens considerat, modo ut non existens, modo ut Vnum, modo ut multa, modo magnũ modo, parvum affirmat, & quæcunq́ similes considerationes circa hoc ipsum accidunt, ipsi attribuendo. Socrates autem sapiẽs & senex & jam jam moriturus planè & dilu-

cid

eidè fatetur, se rationem Vnius nondum percipere. Ita enim loquitur: Procul equidem mihi abesse videor, ut alicujus horum causam me putem intelligere, qui nondum mihi ipsi persuadere possum, ut quando quis Vni addat Vnum, an tunc vel illud Vnum, cui Vnum adjunctum est, fiat duo: vel & adjunctum, & illud, cui adjunctum est, propter alterius ad alterum adjunctionem evadant duo. Admiror equidem, si, cum utrumq; horum separatū erat, utrumq; unum erat, neq; erant tunc duo, postquā invicem cohæserunt, hæc ipsa causa fuerit, ut duo fierent, congressio videlicet, per quam propiùs jam posita sunt. Neq; etiam si quis unum dividat, adhuc possum persuaderi, hanc ipsam divisionem causam esse, ut duo evadant. Contrariâ enim tunc atq; superius causâ fit, quâ duo fiunt. Tunc enim, quia conjungebantur propius invicem, alterumq; ad movebatur alteri: nunc verò, quoniam removetur alterum ab altero, atq; separatur. Neq; propter quid unum fiat, adhuc scire me arbitror, neq; ut summatim dicam &c. Sapiens itaq; Theologia nostra in hisce fidem à nobis postulat, cum doctrinam istā ex revelatione Divina possideat. Hæc enim nisi à Deo tradita fuisset, difficultate & excellen-

riâ mysterij huj9 terribilis fortè hæsitaremus. Via autem signata facilius reperitur. Concedo, quod cum de creaturis tanquam substantiis definitis, unum & plura affirmamus, id aliter fieri nec posit, nec debeat, nisi essentialiter dividendo, aliàs enim tolleretur singularitas substantiarum: Corpus tamen & incorporeum suâ ratione Vnum & multum re vera existunt, quatenus Vnitatis & multitudinis summæ indivisibilis imaginem omnia repræsentant. Hæc ex verbis Socratis optimè confirmantur, quòd videlicet rem ita se habere simus certi, modum verò omninò ignoremus. Dualitatem enim tam in unione quam in discretione observamus. Nam per viam compositionis duo fiunt, quæ antea Vnum erant, mediante unione, & sic unum cum multo, multum efficit, & multũ per & in Vno resultat. Per modum divisionis autem, Vnum evadit multum; Ita tamen, ut in ipsa divisione unum permaneat: & insuper duo fiat. Semper itaq; Vnum & alterum, & unio & discretio quædam requiritur ad multitudinem quamcunq; producendam, quæ tamen semper post & cum Vno generatur. Differentia tamen fiat in consideratione effectuum & in consideratione effectuum, & in consideratione

cau-

causæ. Nam in creaturis per divisionem oritur differentia realis, ubi in Causâ ipsâ nihil est nisi discretio personalis. In rebus creatis post divisionem, compositio, conjunctio, additio requiritur: In Causa verò, ubi nulla divisio essentialis præcedit, sed tantum generatio multiplicativa in ipsa Unitate est ab æterno, nec compositio est necessaria, nisi pro captu nostræ rationis. In ipsa etenim discretione Causæ, permanet Unio neq; unquam alterum ab altero separatur tali separatione, ut novæ compositionis egena evadat. Quid enim prima componeret cùm prima sint? Quid divideret? Profectò si ab alio quodam hæc paterentur, tunc utique non amplius prima essent, sed quædam ex numero sequentium: non Causa rerum, sed ex numero creaturarum. Sed neq; primi Essentia hoc permittit: Ut prima enim infinitum existunt: Si enim ab aliquo definirentur, terminans ipsum hæc præcederet: & sic in infinitum primum quæreretur. Ipsâ enim divisione Essentiali, primum in partibus suis terminum pateretur, si verò terminum: utiq; & superius. In effectibus igitur solis, divisio essentiæ seu substantiæ locum habet, in Causâ verò nequaquam. Discretio autem & unio Essentiæ, simul in Causa requiruntur;

his

kis enim sublatis, tolleretur & Vnitas & multitudo in effectibus. Hinc etiam solvitur & alia objectio Judaeorum, ubi iterum falsò supponunt, Patrem Filio esse priorem tempore, ut Filium ab aeternitate excludant: In Infinito profectò non dantur articuli temporum, unde nec prius neq; posterius, nisi solà relatione & respectu ordinis. Nunquam enim fuit Causa illa Infinita, quod non simul una exstiterit atq; discreta: & ipsa discretio nihil aliud est nisi aeterna generatio filij à Patre & in ipso, nullo modo à patre distantis, quam quod ab ipso procedat. Quando itaq; datur Pater, datur & Filius, & cum hisce Spiritus Sanctus, dato uno, datur & multitudo Triuna, de quâ loquimur; neq; unum relatorum rectè consideratur sine alio, nisi ex imbecillitate rationis, quae singulatim inspicere cogitur ea, quae simul capere deberet. Posito igitur Vno in summo illo Principio, subitò etiam sese offert illius multitudo: multitudo, inquam, ejus in ipso: multitudo vero ac unitas participatae extra ipsum in creaturis, necessariò sunt distinguendae. Lubet autem hoc locö duplicem Socratis errorem notare, quorum primus est, quod quandoq; videatur Vnum & multum in Causa essentialiter

di-

divisisse, quod quidem adhuc juvenis à Parmenide didicerat. Hic enim Vnum Causæ inquirens, ipsum primo separat ab omnibus, & iterum ipsum ponit cum omnibus, & tandem cum multis, & hoc tanquam essentialiter divisum & discrepans in se ipso. Errat igitur non considerans, quod nullam ipsius differentiam essentialẽ offenderit, sed tantum quoad suum conceptum, qui incapax erat Vnum & multum simul capiendi. Idem enim est Vnum, quod cum omnibus ponit, quæ in causa existũt, quam illud, quod separatim considerat: Et omnia, quæ sunt in causa, in eodem uno continẽtur. Hoc est: in Deo omnia, quæ ad ejus essentiã pertinent, unum sunt: & Vnum est omnia. Nihil igitur novi ponit, sed idem differenti ratione considerat, quatenus videlicet in se ipso discernitur. Hoc autem Vnum Causæ, cum suis effectibus collatum; revera diversum existit: primò quatenus omnibus hisce est superius; secundò, quatenus omnes illius creaturæ ejus imaginẽ participarunt, non verò ejus Essentiam. Eadem enim ipsi competit excellentia, tàm quatenus Non Causa dicitur, quàm quatenus Causa. Quacunq; enim ratione Divinitatem consideremus, in se ipsa semper manet ab iis, quæ cogitamus, perfectißimè

separata ac transcendens. Alter autem error Socratis fuit: Quod, dum in Uno ut Unum solum considerato modum reperire non posset, quo omnia & multa creata ab illo ut tali penderent, Illud unum totaliter deserens, ad pluralitatem causæ solam se contulerit, majorem ibi certitudinem se reperisse ratus; quâ tamen sententia admodum fallebatur. Illud enim Unum & multum coessentiale, quod ex proprietate numerorum & rerum creatarum pro certò invenerat, rursus amisit, atq; perfectiorem scientiam cum imperfectiore commutavit. Dum enim Ideas, quas in Sapientia Divina cum veritate præsupponebat, sub forma pluralitatis & unitatis singularis, causas rerum primas constitueret, utpote dualitatē ipsam dualitatis in effectibus, magnitudinē ipsam magnitudinis &c. tunc indoctior evasit quàm erat antea. Rationem enim & Principium ipsius dualitatis, quæ sine Uno non subsistit, tanquam ignorans supponebat, aut certè tanquam oblitus: quam tamen antea perfectè sciebat. Nequaquam enim in multitudine sola indagationis cursus sistitur; Ulterius quippe inquirere cogor, quid sit ipsa dualitas & unde? Cujus quidem definitio ex ante dictis patescit, tam ex verbis Socratis quam ex

nu-

nostris. Hac utiq; rectè diceretur Vnius discretio simul & Vnio in Vno. Vtraq; enim ad dualitatis constitutionem requiritur. Huc usq; Rationi datur accessus, quod videlicet hæc ita sese habeant. Si verò ulterius progredi niteretur, ac Modum in Ipso Infinito quærere: eo ipso progressu sanè se ipsam privaret Vnione summi istius Principij. Nam modum in Infinito ponere, est idem ac ponere terminum: & hoc nil aliud nisi ab Infinito recessus.

Cap. V.

Imago S. Trinitatis apparens per totum Vniversum.

UT igitur perfectiorem adhuc certitudinem nobis acquiramus, consideremus etiam eandem Dei imaginem in cæteris creatis, quam consideravimus in numeris & quantitatibus. Cum omnes res in mundo multitudine quâdam & Vnitate constare videamus, ritè etiam & naturali judicio colligimus ipsum principium in seipso sua quadam unitate & multitudine constare. Nihil enim est in effectibus, quod non sit in causis, licet effectus causarum suarum efficientium identitatem & nobilitatem non assequantur, sed semper decrescant, & quidē in multitudine;

Vnde colligere licet, in ipso etiam Principio unitatem præcedere multitudinem, non quidem tempore, sed ordine quodam. Cum tamen omnia incipiant ex infinito Vno, & tendant in infinitum multum, concludimus, infinitum illud tanquam causam esse unum pariter & multum: Ita ut Infinitum includat omnem Vnitatem, multitudinē, & numerum, quæ in Vno, pari, & impari consistunt, tanquā summè perfectum, ex propria voluntate & potestate. Ad hujus ergo similitudinē cum omnia producta sint tanquā ex respectu ad suam causam, nihil profectò mirandum, quod omnia in Vno & multo consistant, cum hæc duo se invicem sustineant. Sed sicuti Principium est omne illud, quod vult, bonum excellens: Ita cuncta, quæ sunt post ipsū, bona sunt pro gradu ad similitudinē illius, sed tamē non sunt aliter, nisi prout vult illud ipsum eis esse suum largiri. Quâ enim ratione Creaturæ essent aliud quoddam bonum quam illud, quod vult Creator: Siquidem ipse Creator non potest esse aliud, nisi quod vult ipse. Differentia igitur Creaturarū, tam cum Creatore, quàm inter se ipsas, pendet ex voluntate & dispositione Creatoris. Quatenus tamen & de similitudine sive imagine ejus participant

similitu...

pant

pant, eatenus illud etiam aliquâ ratione in se habent, quod ipse Creator: differenti tamen ratione, ut dictum. Quicquid itaq; habent Creaturæ, illud participant ex duplici respectu: nempè ex similitudine & voluntate illius. Ex similitudine quidem, ut sint unum & multum: ex voluntate, ut sint unum & multum cũ differentiâ juxta voluntatem Creatoris, quæ dispositionem omnem ordinat ex summâ sapientia & justitia, certi ponderis, numeri & mensuræ, quæ tamen non constat nisi ad similitudinẽ naturæ ipsius principij. Dispositio igitur ista seu Providentia est exemplar Chaos creati, in quo omnia quasi ut nondum producta resident, non quidem in confusione. Quid enim confusum posset produci à summâ Sapientia, & quidem proximè, immediatè, imò adhuc in ipsa Divinitate residens? Ergò potius ordinatissimum: à cujus perfectione creatorum ordo paulatim vel gradatim secedens potius confusioni subjicitur juxta captum nostrum. Quò enim major multitudo, eò major nobis apparet confusio. Ab uno autem multitudo semper progreditur ulterius, donec tãdem in confusionis cujusdam infinitæ speciem quasi evanescant. Respectu ipsius Principij verò ne minima quidem confusio esse potest,

sed potius perfectissimus ordo totius, ita ut ne capillus quidem in terram decidat sine ipsius ordine & voluntate. Ergò ingens iste multitudinis numerus in unum coactus nobis est confusio. Respectu principij autem & rerum producendarum convolutio potius dicenda, similitudine quâdam desumpta à tela, in quâ summo artificio pictura aliqua exarata sit, quæ cum adhuc convoluta, & tantum ab exteriori parte percipiatur, nondum ostendit, quid contineat; licet omnia in se contineat, quæ evoluta ob oculos ponere possit. Et talis est mundus intelligibilis juxta sententiam Platonis plenus idearum Divinarum, quæ sunt exemplaria specifica rerum creandarum. Cum autē dictum sit, dispositionem illam seu Providentiam seu Chaos Divinum respectu rerum in se continere Unitatis & Multitudinis divinæ imaginem juxta ordinem, mensuram, pondus & numerum: cum etiam ex effectibus ipsis consideremus, omnia constare natura quadam patiente & agente, Concludimus principia proximè a Deo facta respicere tàm unitatem ipsius quàm multitudinem, ita tamen, ut à perfectione Unitatis & multitudinis Principij jam recedant, tanquam imago à suo exemplari, atq; in duobus referant,

quod

quod illud habet in Vno: Ita tamen, ut quodlibet horum in se contineat imaginem totius, ast diverso respectu. Primum quidem ordine Vnitatem & multitudinem referat, plus tamen Vnitatem quam multitudinē: Secundum autem multitudinem & unitatem, plus tamen illam quam istam: Ita ut unumquodq; sit unū & multum velut imago illius, cum eâ tamen conditione vel differentia, quâ dictum. Hæc autē sunt Forma & materia, ex quibus omnia, quæ facta sunt, participare videntur. Quatenus autem neq; in Divinitate infinitum unum & infinitum multum separatim existere possunt, sed potius simul ut infinitum in seipsis se comprehendant. Ita enim nec Forma illa & materia separatè subsistunt, sed unum aliquid ex duobus constans se invicem continendo, tanquam basis & fundamentum totius universi. Sed quatenus Principium ipsum in infinito quidem convenit, in uno autem & multo discrepat, eatenus elicitur necessitas vinculi similiter infiniti ex utroq; participantis, quod non solùm in infinito ipsis simile sit, sed etiam in Vnitate & multitudine, ut videlicet utrumq; in unicam naturam reciproco amore vinciatur: atq; hâc ratione in Tribus & uno infinito, Totum illud, quicquid sit, juxta suam

perfectiõnem in se ipso contineatur. Eadem sanè ratione tertium quiddam inter formam & materiam requiritur, quod sit non solum ipsorum unio vinculum & ligamentum, sed etiam quasi instrumentum ad cætera ex ipsis in actum producenda, unione quâdam & multitudine, quam in omnibus rebus totius mundi non solùm per acumen rationis & subtilitatem intellectus, sed etiam per oculos sensibiliter videmus & comprehendimus: Hoc itaq; tertium nequaquam erit Privatio, quæ nihil est: quid enim nihilo cum Creatore & creaturis realibus? Sed potius ejus contrarium, amor nempe existentium & vita quædam, omnia in omnibus operans, quã in rebus corporeis Platonici Naturam vocant, specificè sic appellando: quatenus videlicet à vocabulo naturæ per æquivocationem omnibus rebus imò ipsi Divinitati attributo, realiter distinguitur. Jam verò sicuti ista Principia creata ad normam & similitudinem Divinitatis prodiere, ita rursus cuncta ad normam istorum; sive potius in subsistentia & ordine istorum. Licet enim hæc principia non de Essentia ipsa primi Principij producta sint, non tamen putandum, quod sine principij illius præsentia, licet separatâ, subsistant: neq;

etiam

etiam ea, quæ sunt ex istis. Ita & omnia, quæ post principia sunt creata, prodierunt sive ex ipsorum motu proximè sive immediatè à Deo: attamen in istis, & non sine istis, ita ut etiam in istis subsistant, simul atq; in Deo, sicut illa in Deo simpliciter. Quæ autem in istis à Deo facta sunt, ea juxta diversitatem illorum sunt producta, quæ quidem in tribus consistere apparuit: videlicet in exuberantia imaginis unitatis, in abundantiâ imaginis multitudinis, & inconvenientia utriusq; Unde tres rerum naturæ prodierunt. Prima quidem, quæ dicitur incorporea. Secunda corporea. Tertia ex utroq; participans & media, quæ propriè spiritualis dici meretur. Incorporea respectum ad Formam habet, corporea ad materiam, spiritualis ad vitam. Quodlibet tamen suâ ratione participat de communi, donec per rerum gradus sensim quasi separentur atq; decrescant, præsertim ab unitate & similitudine, atq; in multitudinem & diversitatem incidunt, quousq; tandem in ipsum infinitum rursus redeant, ita ut Deus sit principium rerum & finis, punctum, linea, & circumferentia, semper sublimis & gloriosus solus, in secula seculorum. Corporeæ substantiæ materiales

I i 5 præ-

præcipuè dici consveverunt, atq; id sive casu sive certis considerationibus: optimè tamen ipsis convenit ejusmodi nomen, siquidem plus multitudinis in se continent quàm unitatis, quia ex atomis componuntur. Incorporeæ autem immateriales dictæ, impropriè tamẽ, cum potius Formales dici deberent, tũ propter superabundantiam Vnitatis in ipsis, ex qua etiã immortales & indissolubiles existunt: tum propterea, quod per compositionem & determinationem ab ipso Deo infinito discrepent & discernantur, sicuti supra ex parte patuit, ubi de naturâ quaternarij actum est, sicuti etiam mox specialius demonstrabitur. De media autem naturâ inquirenda, quæ duarum prædictarum proprietatem ex æquo participat, pauci fuere solliciti, ita ut ex defectu exactioris considerationis potius ad corpoream substantiam relata sit, quam ad incorpoream, cum revera in istarum medio constituatur.

De utraq; natura Corporea videlicet & mediâ in hoc libello sufficienter est tractatum: De natura autem Animali seu animæ, quæ cognitiva existit, ferè nihil, propter causas in præfatione expositas. Ne tamen hoc quamvis breve opusculum incompletum relinquatur, pauca etiam pro sufficientia instituti addere pla-

auca etia.

placuit, eò videlicet, ut appareat, quatenus incorporeæ etiam substantiæ ut definitæ cum Deo infinito differant, & quomodo Deus suam imaginem toti universo communicaverit.

Deus in sua Essentia, Forma, Vita est Infinitus. Creaturæ autem omnes finitæ existunt. Quæcunque autem definiuntur vel determinantur, illa definiuntur in materia per formam, sed modo differenti. Nam sicuti Res incorporeæ in sua natura differunt à corporeis, ita etiam earum partes constitutivæ ad minus quoad Formam. Et licet in omnibus rebus sit quædam compositio, attamen hæc juxta naturas Creaturarum est maximè differens. Communiter res corporeæ solæ vocantur materiales: Incorporeæ verò immateriales, quæ tamẽ aliter sese habere videntur. Corporeæ quidem materiales existunt, incorporeæ verò materiæ non penitus expertes. In hisce enim Essentia propria est loco materiæ: Vt Plotinus in libro de materia subtiliter demonstrat: Vbi duplicem ponit materiam, sicut & duplicem formã. Materia tamen si exactè consideres, realiter non differt, cum omnis differentia procedat à Formâ propriè, à materia autem impropriè. Necesse est quippe, ut non minus Forma intelligibilium tanquã masculus, sub

je-

jectam habeat materiam, tanquam fœminā, cum quâ per vitam unita substantiam intelligibilem constituit, quæ quidem maximè existit Formalis propter superabundantiam Formæ, unde etiam omnes istæ substantiæ rursus tanquam formæ considerantur, respectu reliquarum, & valdè simplices, non tamen simplicitate Divinâ, vel ut formæ infinitæ, sed determinatæ. Necesse est enim, quod in omni definita substantia sit aliquid quod definiatur, & aliquid quod definiat, & ista sunt tàm materia, quàm forma: ergo etiam in incorporeis substantiis est aliquid definibile, ratione cujus patiuntur terminum vel circumscriptionem. Essentia itaq; incorporeorum est veluti fundamentum ad finem certum atq; mensuram dispositum, ut per formam suam Intelligibilem & incorpoream, in actum ducatur perfectum. Similiter materia in corporibus est dispositio ad recipiendam formam suam corpoream quantitativam quâ præsente ex materia & forma fit corpus mediante extensione utriusq;, quæ est tertium complens & repræsentans motum vitalem in incorporeis. Eadem ratione ex essentia & sua forma fit substantia incorporea, quæ est vel intelligens, vel sentiens, vel vita simplex vegetativa.

tiva. Apparet autem accuratè intuenti, quod omnis forma atq; etiam materia habeat imaginem Infinitatis divinæ, sicut & motus vitalis perpetuus, & proinde opus est, ut determinentur. Forma quidem multum de materia posset informare, si sibi supponeretur. Exempli gratia: Forma sphærica in sua materia informanda nunquam deficeret, nisi deficeret materia subjecta: extenderetur enim vel usq; in infinitum, nisi cohiberetur. Definitio ergo & descriptio illius dependet à creatore, qui eam determinat vel sola sua voluntate, vel per materiam ad hanc vel similem mensuram creatam, in potentia recipiendi tantum de sua forma, quantum ipsi Creator tribuit de possibilitate receptionis: Licet interim formæ natura foret adeò efficax, ut ipsi multò majora & plura de sui natura communicare posset. Materia interim similiter infinita est, & determinanda à Forma in actum, licet à Deo Creatore jam sit definita in sua potētia. Terminus autē revera vocatur ipsa forma, quia ex materia informi reddet materiā formatā pro posse materia, & substātiam vel Ens verum, ex simplici verò nōEnte. Formæ quippe præsentia constituit substantiā

&

& esse verum hujus vel illius substantiæ finitæ, & simul apparet Terminus materiæ, sicut & materia formæ, licet separatim considerata utraq; sit aliquid indeterminatũ, infinitam Dei imaginẽ repræsentans. Ex ista autem ligatura Materiæ cum Forma, triplex resultat compositionis species. Primò: si materia definita in potentia coeat cum quadam forma Majore: Secundò si materia & Forma in æquali proportione componantur. Tertiò si materiæ plus quam formæ in aliquo subjecto existat: ita ut tota materiæ dispositio per defectũ formæ seu potius ejus contractionem non circumscribatur vel definiatur completè. Prima compositionis species reperitur in incorporeis substantiis, & in lucidis corporibus: Secunda in corporibus pulchrè coloratis, quæ etiam aliquid luminis emittunt, non tamen lucendo per radios, neq; lumẽ circumfundendo à splendore distinctum. Tertia vero in corporibus opacis & tenebrosis, in quibus tamen sæpe excellentes lucis scintillæ inclusæ & incarceratæ reperiuntur ab iis, qui ipsas norunt elicere. In consideratione lucidorũ primi gradus, videmus in sole & quovis corpore, lucem ex se emittente, quod forma superat materiã, quia per radios & lumen circumfusum corpus suũ egre-

egreditur, cum tamen hoc lumen, quoad essentiam formalem non differat ab illo, quod est in corpore ipso solari, nisi in quantum illud ibi est plus congregatum; egrediens autem magis dispersum: Et quoniam forma ista lucis tanti est vigoris atq; virtutis, ut totum suum corpus materiale ipsam occupare non possit, egreditur inde & occupat aliud. Hoc autem in corporibus per se, & sine illuminatione non lucentibus non accidit: quia licet & illa habeant suum lumen, per quod videri possunt & informantur, attamen lumen illud per se non fit conspicuum: cujus ratio est, quod forma ibi tantum sufficit pro suo corpore vel materiâ informanda, non autem ut aliis insuper aliquid largiri possit. Et talia videntur luna, reliquæ stellæ, & noster globus terrenus cum suis partibus, & quodlibet plus vel minus pro natura & virtute suæ propriæ formæ, non tamē sine beneficio lucis solaris superabundantis & illuminantis. Quamvis autem superius dixi, quod quælibet forma aliquid de infiniti imagine in se possideat, videtur tamen requiri exceptio ab ista regula, nequaquam enim ea applicari potest formis qualitativis & secundariis, sed tantum illis, quæ naturam sphæræ, centri, lineæ, & circumferentiæ habent:

qua-

qualitates enim ex forma sphæræ & lucis resultantes secus apparent. Nam licet corpus solare perfectam possideat formam sphæricā, atq; etiam lumen suum superfluum sub sphærica forma emittat: nequaquam tamē dicendum, quod lumen istud egrediens in infinitum sese extendere possit, sed tantum pro potestate à Deo creatore sibi tradita, ultra quam terminus ejus qualitativus nequaquā dominatur. In specie autem incorporeorum Forma summoperè superabundat; Licet enim essentia seu fundamentum materiale sit aliquid finitum, forma tamen de imagine infinitatis divinæ perfectißimè participat; cujus signum perfectißimum atq; certißimum est, quod Infinitū ipsum attingat sua cognitione, licet ipsum tanquam incomprehensibile non comprehendat, quod neq; corporeæ, neq; luminosæ Speciei convenit: hoc autem donum poßident intelligibiles substantiæ, ratione cognitionis & liberæ voluntatis, quarum etiā animæ rationales existunt participes. Sed neq; vitales substantiæ ab hac infinitatis participatione excludūtur, utpote tales, quæ licet in Essentia finita, ipsam tamen infinitatē perpetua sua & immortali duratione repræsentare possent, nisi Creatori aliter foret visum, inde enim semper

per subsistere & perfici possent, cum, ut Socrates demonstrat, vita contrarium suum naturaliter admittere non possit.

Patet igitur, quâ ratione differant Creator cum creaturis, eo scilicet modo, quod in Creatore sint omnia & plus in Veritate Infinita, quæ in creaturis veritate quidem creaturis conveniente, ast imaginariâ ratione in comparatione cum Creatore, ita tamen, ut perfectiores illæ existant, quæ in suâ Forma propius ad infinitum Deum accedunt. Istis enim datum est, ut ultra propriam Characteris Divini possessionem, etiam cognitionem habeant istius characteris tàm in seipsis, quàm in aliis non cognoscentibus creaturis impressi; imò & exemplaris in ipso Deo existentis, attamen pro suo captu. Et ex hoc fundamento prodit origo veritatis in cognitionibus rerum: Dum nempè character cognoscentis substantiæ cum charactere cogniti perfectè concordat; tunc enim fit adæquatio operum Dei in utraq; substantia, quæ adæquatio, si ritè instituatur, necesse est, ut evadat vera: gaudet enim sigillo composito per digitum veritatis.

Hactenus vidimus Imaginem sanctæ Trinitatis in pluribus locis istius libelli dispersam.

Super est ergò, ut proconclusione, effusionem suam specialius observemus. Hæc autem nobis apparuit. 1. In ipso Deo, tanquam opifice & causa efficiente Triuna, scilicet, Deo silente, loquente, & se ipsum movente: quæ est Essentia bonitatis, sapientia Formalis, & vita æterna, existens super omnia. 2. In Materiâ, Formâ & Vitâ Universi, quæ sibi perfectè correspondent: Nam materia disposita est ad suã formam triunam recipiendam, & forma triuna ad materiam sic dispositam occupandam. Constat autẽ forma sphærica ex triplici imagine infiniti Dei: Centrali, lineari rectâ, & circulari seu circumferentiæ, ubi quælibet in suo compari reperitur, nempè centrũ in sphærica circumferentia & in linea & rursus ista duæ in centro, in infinita coarctatione & extensione, ita ut quod certo respectu centrum erat, id alio respectu fit circumferentia, de quo supra fusius actum. 3. In Causâ instrumentali, quæ ab ipsa efficiente non differt, non enim admittimus sententias, quæ creaturas Deo Creanti adjungunt. Moses enim divinitus docet omnia per silentium, verbum & motum Dei fuisse facta atq; producta, scilicet sola voluntate & potestate Dei. 4. In triplici modo operandi, quorum primus

fuit

fuit Creatio ; Secundus separatio generalis : tertius, specifica. 5. In triplici loco universi, supercœlesti, cœlesti, & inferiori. 6. In triplici genere Creaturarum, quorum primum est Animarum, vel incorporearum aut cognoscentium substantiarum, secundum spiritualis media : tertium Corporum. 7. In triplici specie cujuslibet generis. Nam in Animarum ordine sunt, intelligentia, (nam ratio ad intellectum pertinet, quia non differunt, nisi ut divisum & unitum) sentientia, Viventia. 8. In natura vel genere spirituali, sunt calor centralis, lumen circumferentiæ & motus linearis. 9. Hoc genus spirituale habet etiam tres virtutes speciales, quæ sunt ; attractio conservans, distinctiva formans, & vivifica movens. 10. In genere corporeo reperitur natura pura, quæ est volatilis media & fixa. Participans de natura vivente, lucente & subsistente. 11. Triplex corpus, simplex ; pulvis terræ, aqua phlegmatica, & firmamentum cœleste : in quibus apparet forma densi, mediocriter rara & rarissima. 12. In tribus elementis mixtis, quæ sub triplici vapore conspiciuntur, videlicet sub illo, in quo terra abundat, qui vocatur siccus ; Deinde in illo ubi

aqua superat, qui vocatur humidus; tertio in vapore igneo seu flamma, ubi natura vel substantia ignis Dominum habet. Et hæc nihil aliud sunt quàm tria principia Chymicorum videl. cinis, in quo sal latet, mercurius, in quo sal & phlegma, sulphur seu oleum, in quo sal & ignis. 13. Hæc sequitur triplex species corporum mixtorum inde productorum, sub regno animali vegetabili & minerali. 14. Horum qualibet iterum suas tres possidet species utpote Minerale, majora, media, atq; minora. 15. Vegetabilis, Arbores, frutices, Herbas. 16. Triplex Genus animalium, terrena, aquatica, aërea: nos enim irridemus salamandrã, progeniem Ranæ Talmudicæ; scientes, quid per figmentum istud philo sophi Sapientes intelligant, considerantesq;. Mosen nec igneam sphæram, nec animalia ignea in descriptione creationis docuisse. 17. In triplici temporis articulo sunt principium, medium, finis, præteritum, præsens, & futurum. 18. In triplici quantitatis proportione, quæ in pondere numero & mensura consistit. 19. In numero Ternario simplici & triplicato Vno, pari & impari. Et quis potest omnes S. Trinitatis reflexiones ex operibus Dei, vel observare vel enarrare? Quicunq; hanc Divinæ Trinitatis

tatis imaginem in natura non videt diffusã, per omnia ejus membra & præcipuè post gratiosam sui revelationem, per os Filij Dei, is profectò cæcus est, nec ipsi ocularia Galilæi quicquam proderunt, ad oculorum suorum lumen confortandum: quâpropter nec nos plura de ea loquentes ad finem properamus.

Cap. VI.

Quomodo Creator infinitus se definiverit in Creaturis suis.

UT opus nostrum Sphæricum perfectam suam formam recipiat, & finis cum principio & medio concordet, superest, ut pro conclusione totius fœlici, consideremus miraculum maximum, quod Deus Teroptimus Maximus in opere Creationis perpetravit. illud videlicet, quod Deus infinitus se ipsum definiverit in suis creaturis. Cum enim in Natura sua infinita & prorsus beata sibi ipsi sufficeret, perfectione suâ summâ fruendo, statuit ex ineffabili & incomprehensibili sua benignitate, se insuper & aliis communicare, per bonitatis suæ omnipotentis exuberantiã. Quæ cum non essent, creavit, & simul tradi-

dit ipsis per participationem imaginis suæ proprietatem, quam ipsis in diversis characteribus impressit: per participationem dico talem scilicet, quæ ipsi de sua perfectione infinita nihil detraheret. Creaturarum enim esse produxit ex nihilo, & infinitatis suæ imaginem in ipsis reddidit finitam. An non hoc ipsum est miraculum miraculorum? An non mirabilis est maxima hæc Dei potentia, qui aliquid præter se ipsum, qui infinitus est potuerit creare? Cum enim ipse in se ipso est omnia; quâ ratione aliquid præter ipsum potuit prodire? Laudetur ergò opifex maximus, qui produxit creaturas solum suæ voluntatis & omnipotentiæ virtute, & conclusit eas in se ipso sub materia & forma sphærica Universi, in quo generaliter omnis Creatura continetur. Hanc jam divisimus in triplex genus: Non omnibus enim omnia tradidit; sed pro sua sapientia voluntate diversas fecit, atq; diversis tradidit diversa. Omnibus tamen impressit suæ imaginis characterem. In corporeis tamen ultra istum tradidit insuper & imaginem ipsam, ita ut non tantum possessione characteris, sed etiam cognitionem ejusdem tàm in se ipsis, quàm in iis, quæ extra *se*

se essent, mediante imagine ista cognoscente divina possiderent, sicut & ipse Deus per sapientiam suam infinitam seipsum cognoscit, & ea quæ fecit. Mediæ autem naturæ cujus beneficio cognoscens & cognita creatura univentur, dedit ultra formæ propriæ possessionem etiam potestatem possidendi alienas, scilicet species rerum corporearum, quas in se recipit & cognoscenti naturæ offert, ut iis amicabilius frui possit. Corporeæ namq; substantiæ suas formas tantum possident simpliciter. Spirituales autem atq; vitales, suas formas & aliorum sed sine cognitione: In corporeæ verò & suas & alienas cum cognitione: Totum autem tàm cognitum quàm cognoscibile ex trino Dei dono universali, Essentiâ, forma, vita, sed juxta proportionem ac secundum Diversum modum & gradum remansit dotatum, quæ etiam in praxi cognitionis, ubi cognita & cognoscens natura semper coeunt, veritatē istius dicti sufficienter testantur. Formavit itaq; Deus opus suum sphæricū illudq; sua omni præsentia, aſt in caligine sua & abysso habitando conclusit, cum interim & in cælis & in terris & in inferno ipso reperiatur & tamen neq; à cælis cælorum capi aut includi possit:

 adeo

adeò ut & in Circumferentiâ & medio & centro universi seipsum definiverit, concluserit, atq; ex infinitate sua quasi finitum aliquid repræsentet, cum tamen & extra suum opus sit solus ille gloriosus Deus qui fuit & erit in secula seculorum.

Sed sicuti in mundo corporeo seipsum definivit per formæ corporeæ imaginē in materiâ, atq; præcipuè ratione suæ existentiæ vel Essentiæ, non tamen excludendo Sapientiam & motum per formam ejusq; extensionem in materiâ subsistente vel essentiali: Ita rursus & in mundo incorporeo eadem operatus est, at multò perfectius atq; nobilius, introducendo in ejus Essentiam terminum suæ intelligentiæ multiformis & motum vitalem, distribuendoq; ista in diversitatem substantiarum, tum vitalium simpliciter, tùm cognoscentium vel per sensum, rationem, intelligentiam, vel per se vel in conjunctione, ubi benè est observandum, quod nulla ex istis totaliter sed privata reliquis donis, licet in hoc vel illo ex prædictis quasi abundantiâ quadam excellat; quod quidem maximè patet ex vitâ vegetativâ simpliciter considerata, quæ nequaquam caret possessione formarum pulcherrimarum,

quas

quas in mundo corporeo producit, licet sine cognitione, sed tantum ex practica. Sic & sentientes animæ suis gaudet formis ac phantasmatibus: & rationales ac intelligentes suis, & una quæq; existis participat simul de vita & essentia, quamvis aliæ plus vigeant in motu, & aliæ in statu.

Cum igitur Deus utrumq; mundum effecisset, & corporeum quidem in suis partibus generalibus, atq; has omnes sub forma quadā aquosa primùm formasset: tunc chaos illud in diversas separavit partes, universales quidem, sed minus quàm priores, ita videlicet, ut ista partes Elementa forent tertij generis, individualis scilicet, mox inde producendi & componendi: Quod quidem opus ex utroq; mundo tàm corporeo quàm incorporeo per vinculum suum peractum & constitutum est. Licet enim natura corporea, ut dictū, in materia sua etiam possideret formas suas universales corporeas sub suo motu in ipsa extensas, & in occulto insuper per introductionem Spiritus Dei haberet formas corporeas specificas, radicales & seminales individuorum, indeq; producendorum varietates: attamen hoc minimè fieri potuit, sine accessione & compositione naturæ incorporeæ cum corpo-

veâ: ex qua unione naturarum adeò diversarum resultavit substantia mixta non tamen confusa vel unita per minima, sed talis quæ iterum in suas partes esset separabilis: & ita prodierunt substantiæ compositæ viventes & sentientes, corporeæ & incorporeæ naturæ, cum elementa universalia, in se ipsis considerata non nisi corpoream naturam per se subsistentem continerent, unde etiam fuissent in efficacia producendi ex seipsis solis composita ista individua nisi per vitam & animas incorporeas formæ ipsarum seminales cum istis proportionatæ & correspondentes fuissent ex tenebris eductæ atq; in lucem attractæ.

Interim considerandum est in mundo incorporeo separato, quod quædam ejus substantiæ quasi totaliter separatæ remanserint à natura corporea; ita ut cum ipsa non coeant in composita & individuales substantias particulares; Sed tantummodò naturam nobiliorem corpoream, quæ est supercœleste firmamentum, absq; alia particulari in ea definitione vel circumscriptione inhabitent, quæ sunt Angelorum beatorum catervæ in cœlorum summitate collocatæ. Insuper & hoc summoperè est observandum, quod

sicut

ſicut Deus mundum corporeum in unicâ quadam maſſa creavit, & poſtea in partes diviſit atq; iterum ex partibus iſtis compoſuit, tùm in partes univerſi, tùm in unum aliquid maximè decoratum multifario formarum & ſubſtantiarum ornatu: ſic è contrario mundum corporeum in pluribus ſubſtantiis per ſe creatis produxit ita, ut qualibet in ſe ipſa ſit mundus quidam integer, qui ſeſe in varias formas poteſtates, facultates, virtutes, partes incorporeas & radios dividit atq; extendit, attamen absq; diviſione partium eſſentiali, ſed tantum egreſſione in naturam ſphæricam: quæ tandem omnes ſubſtantiæ vel eſſentiæ in corporeæ in unum collectæ & congregatæ, conſtituunt mundum illum admirabilem creaturarum cognoſcentium, mirifico ſuo lumine intellectui ſplendentem, tùm in ſe ipſo, tùm etiam in mundo inferiore pro occaſione & adaptatione utriusq;. In mundo igitur corporeo Deus ſe definivit, præcipuè & primò per characterem ſuæ unitatis, & ſecundariò per ſuæ multitudinis imaginem, congregando unitatem & multitudinem per diviſionem & novam compoſitionem diviſorum: In incorporeo autem per multitudinem Sapientiæ in unionem eſſentiæ ten-

dentem; Et in utroq; imprimens motum, vel extensivum, vel vitalem.

Jam vero mundo corporeo & incorporeo existente tùm per se creato, tùm etiam de novo composito ex utraq; Natura, & sic universum totum & undiq; perfectum, ita tamẽ ut nequaquam pars ejus aliqua, totum & omne, sed partes totius, omnia progradu & ordine possiderent: tunc addidit insuper per summam benignitatis suæ voluntatem, creationem illius creaturæ, in qua Deus omnia tanquam in centro & abbreviatura quadam universi congregaret, unde etiam microcosmus per quam benè appellatur. Hanc igitur tanquam Centrum totius in centro universi, quo terrenus globus est, collocavit, opus suum perfectum & absolutum reddendo, atq; omnia sub Bonitate sua concludendo, sicuti dicit conclusio capitis 1. Gen. Inspexit Deus quicquid fecerat: ecce autem bonum erat valdè. Quod si igitur compositionem istam secundariam mundi scilicet corporei & incorporei ad invicem consideremus, ita ut mundum corporeum, licet jam suis formis ornatum & decoratum, pro materia subjecta; mundum autem incorporeum pro parte informante capiamus, reperiemus etiam easdem differentias

&

& proportiones formarum, quas in præcedentibus distinguendo proposuimus. Summi enim cæli, licet in se contineant habitatores suos Angelicos, unde etiam decorati atq; summopere formati redduntur: nequaquam tamen adeo ipsos includunt & comprehendunt, quod tantum in illis hæreant, neq; sua operatione cognitiva ipsos egrediantur: Sed intellectus ipsorum vel usq; ad Faciem Dei contemplandam sese extendit, quam semper vident, ita tamen ut ipsam non videant, nisi quatenus est & se conspiciendam præbet in cælis ipsis, non autem quatenus sese abscondit in suis abyssis tenebrosis atq; caligine, totum universum & omnes creaturas circumdante. Eâdem ratione si compositum humanum consideres oculis apertis, & mente serenâ, reperies, quod forma ejus intelligens seu anima rationalis minimè includatur aut captivetur à suo corpore, sed quod non solum hoc ipsum inhabitet atq; informet & dirigat, verùm etiam extra ipsum sua potestate egrediatur usq; in cælum & naturam incorpoream, imo usq; ad ipsum infinitum Deum, eum suâ substantia attingendo & venerando. Similiter in animalibus perfectioribus conspicere licet, quod anima eorum sensitiva nequaquam totaliter in corporibus

suis

suis includatur, sed quod etiam ista forma materiam suam seperando egrediatur, eo usq; quo oculorum, aurium & olfactus munus deducit. In vegetativo etiam genere virtutis vitalis exhalatio, ipso sensu percipitur, ita ut etiam ibi, forma subjectum superet non tamen nimis constanter siquidem ista egressio compositum debilitet, atq; paulatim ad dissolutionem deducat, non tamen totaliter, quia etiam in herbis & speciebus aridis & siccis, maximæ virtutes vitales conclusæ retinentur. In genere tandem minerali, quod infimum est etiam vitalis ista vis, multum tam abstrusa & conclusa reperitur, quamvis in specie gemmarum miranda etiam in manifestum emittat, & talia quæ ferè incredibili videntur. Occulta tamen & in metallis per artem educi & manifestari potest, unde quidem patet quod Formæ virtus in istis mixti materiam suam adæquare non possit, siquiden ab ea tàm strictè & parcè captivatur. Interim tamen ne minimus corporei mundi atomus incorporei mundi dono & compositione ad minus in aliqua imagine naturæ vitali totaliter existit privatus.

Postquam autem Mundus undiq; perfecte creatus in suis partibus tàm Incorporeis quàm

Corporeis, Universalibus, & particularibus productus compositusq; esset, atq; omnia ut dictum sub bonitatis divinæ charactere conclusa, eò ut Creaturæ cognoscentes per ejusmodi Divinitatis infinitæ benignam definitionem ejus perfectionem concipere, possidere, ea frui, & ipsam dignis laudibus exornare potuissent ac debuissent: tunc factus est lapsus tàm angelorum quàm hominum ex potestate libertatis propriæ in sui Creatoris imagine possessæ, abusu, quæ causa fuit, ut totum penè Universum in pejus rueret atq; in gradibus bonitatis suæ receptæ deformaretur: adeò ut intelligentiæ prævaricatæ peccando contra summam Dei gloriam & bonitatem, bonitate participatâ per creationem totaliter fuerint privatæ, ita ut quicquid in ipsis remansit de essentiâ boni, totum & semper agat ad malum. Homo autem peccando in sapientiam Dei, in cognitionis suæ virtute valdè fuerit debilitatus & à subsistentia perpetuæ prædestinatione in mortem & pœnam perpetuam fuerit condemnatus atq; dejectus. Cum tamen per istud peccatum totaliter à Deo non fuisset, aversus, statuit Deus optimus maximus, qui malum perferre nō potest, ut malū istud nostrum adhuc curabile sanaretur, ad

ad quam intentionem pro duplici imperfectione irrepta, duobus etiam auxiliis nobis subvenit; Ex quibus primum erat verbum proprium, ex singulari gratia hominibus vel proprio ore vel per sanctos homines angelosq; elocutum: In quo quidem verbo sese de novo definivit variis nominibus & attributis, tàm intelligibilibus, quàm sensibilibus, cum Natura ab ipso creata perfectè convenientibus, eò ut captivitas nostri intellectus in corpore, quæ per sola creationis objecta non potuit liberari, nisi difficulter, ut verum suum Dominum & Creatorem cognosceret, ut, inquã, per novam revelationem Verbi potentiùs excitaretur, ac in majorem cognitionem & amorem Dei sui raperetur. Verum cum nec ista licet Dei benigna definitio totam perfectionem induceret, supererat, ut etiam à malo peccati & ejus pœna, morte æterna, liberaret, & totum mundum reformando, similem sui Creaturam in Unionem sui & vitam verè beatam deduceret, quod fieri non potuit, nisi ita, ut sese non tantum in imagine cum humana natura uniret, sed in ipsa Essentia vera suæ Infinitatis, in qua quidem compositione superavit omnia miracula miraculorum. Sicut enim in prima Creatione partes Universi

versi generales, & mundum corporeum ac incorporeum ex sua materia & forma composuerat, quemlibet separatũ; et in secunda compositione creaturas corporeas & incorporeas in unam reduxerat; ita in tertia ista & ultima se ipsum cum abbreviatura universi, quæ utramq; naturam, corpoream scilicet & incorpoream, complectitur, composuit, ita ut inde resultaverit unio Creatoris cum utraq; creaturarum, Infiniti cum finito, ex qua quidem compositione qualis resultet perfectio, is facilè videbit, qui oculos cognitionis suæ ultra corpoream in incorpoream & ulterius in Divinam naturam sublevaverit. In hoc enim actu consummatur perfectissima absolutio participationis Divinæ beatitudinis & totius suæ bonitatis (quam Mosi revelavit Ex. 33. v. 19.) quæ non potest esse nisi infinita & æterna, siquidem Deus ipse Infinitus in sua Creatura Formæ Dominium exercet, eam gubernando & fovendo, & summè beatam perfectamq; reddendo: Cui pro summa ista benignitate, sit gloria & honor & laus in omnia secula seculorum.

Amen.

CONCLUSIO.

Summma rerum.

1. Est DEus, Infinitus, Causa Causarum subsistens ex se ipso, illud quod vult: qualis autem sit in se ipso, à nobis non potest cognosci: sed ex operibus ejus patet, quod non possit esse, nisi summè bonus, id est, ipsa bonitas, quæ est Causa Efficiens & opifex totius Universi.

2. Est ejus imago infinita creata, quæ dicitur abyssus, quæ qualis sit, non minus definiri potest quam Deus: habet quidem superficiem sed tenebrosam, & esse non definitum, quod si definiretur, fieret aliud quiddam quam abyssus.

3. Est quod ex hâc abysso proximè resultat, dum recipit dispositionem quandam certam & determinatam ad esse completum, quod recipit per Formam; & hoc est Materia; quæ unica est ratione illius, quod non est ens reale, sed tantum dispositio vera ad illud: triplex autem ratione suæ triplicis dispositionis, quæ respicit triplicem Formam, unde resultant tres partes totius universi principales.

4. Est Forma, id est Mensura & proporti[o]

cer-

ta à Causâ Causarum procreata, quæ juncta Materiæ dispositæ efficit cum ipsa entia realia, quæ sine alterutra dictarum partium non prodirent. Hæc autem forma triplex est; Animæ vel animalis, spiritualis, & corporea. Forma Animalis rursus triplex est, intelligens, ratiocinans, & sentiens; spiritualis similiter: Calefaciens, lucens, extensionis vel motus &c. Forma corporea similiter: Centrum, linea & circumferentia. Et omnes istæ formæ sub una generali continentur, scilicet sphærica: ita ut unaquæque suo modo naturam sphæricam possideat tanquam radicem aut fundamentum.

5. *Ex regno vel natura Animæ, vel incorporea, prodeunt triplices substantiæ, Intelligentiæ, animæ rationales, animæ sentientes, quibus omnibus inest genericum esse vitale: quælibet enim ex istis est substantia vivens, non autem quælibet similis aliis, licet juxta gradus pluris vel minoris unaquæque participet aliquid de aliis, hoc tamen ita fit, ut semper præcipua differentiarum prævaleat.*

6. *Anima ergo Universalis nihil aliud est quam simplex Vita.*

7. Ex natura corporea itidem resultant tres substantiæ corporeæ simplices, quæ sunt, densum, liquidum, & rarum, id est Terra, Aqua, & cœlum, seu pulvis, phlegma, & æther, qui est aer verè elementaris. Sed sicuti in natura incorporea natura quædam communis observatur: Ita & in natura corporea est substantia salsa, quæ omnibus tribus prædictis immixta est, tanquam vinculum earum separabile, ubi è contra in natura incorporea vinculum, quod vita est, inseparabile reperitur. Similiter, sicut in natura incorporea qualibet differentiarum participat nonnihil de altera, ita tamen, ut una reliquis semper prævaleat: sic & in istis substantiis corporeis, elementa de se participant; attamen tam firmiter à voluntate creatoris ligata, sunt inseparabilia, quæ in unoquoq; corpore elementari continentur: unde etiam meritò & cum veritate elementa vocari possunt, tanquam principia & fundamenta rerum constantia.

8. Ex natura spirituali itidem prodit substantia triplex, Lux scilicet rara, quæ est invisibilis, Lux condensata visibilis, & Lux à tenebris aliqualiter suppressa, quod

color est seu luminale propriè loquendo, nam color est accidens, quod resultat ex compositione lucis & materiæ formatæ per quantitatẽ. Vel sic: Lux diffusa, lucens & illuminata, quæ itidem participant de seipsis, habentq; proprietatem communẽ, quæ est continuum, seu extensionem continuã.

In prædictis igitur continentur omnes partes generales & simplices totius naturæ unà cum Causa efficiente.

Dum autem partes istæ denuò componuntur, vel intra sua regna, vel ad se invicẽ, tunc resultant inde varia composita.

1. *Ex terra pulverulenta & phlegmate simplici fit lutum.*
2. *Ex pulvere & salsa substantia fit aliquid mediũ, quod non est tam siccum ut pulvis, neq; tã liquidum ut Sal, e.g. cinis pinguis.*
3. *Ex sale & phlegmate fit compositum oleosum, vel aqua acris, quæ à Chymicis vocatur spiritus.*
4. *Prædictis si accesserit pars spiritualis seu ignea, tunc fit compositum aliquod juxta substantias, quæ prævalent: utpote, sulphur seu bitumen ex prædominio terræ & salis; vel nitrum ex prædominio salis &*

aquæ, vel oleum quoddam flagrans ex prædominio ignis seu lucis, & aquæ: vel aqua quædam ardens ex prædominio aquæ, ignis &c. atq; hæc omnia talia sunt, antequam recipiant formam flammæ; tunc enim vertuntur in aliam naturam.

5. *Ex compositione prædictorum cum aëre fiunt vapores per modum rarefactionis, tunc enim formam quandam aëream suscipiunt. Vt: pulvis dum dißipatur per aërem fit illud, quod Germani vocant* ſtaub *& Galli poußiere, apud Latinos autem vocatur pulvis, sive immotus maneat, sive in aërem dispergatur. Ex phlegmate autem per rarefactionem simpliciter cum aëre unito fit vapor aqueus pluvialis, utpote nebula vel simile aliquid. Si autem natura salsa accesserit, tunc fit vapor roridus: Si ignea: Nitrosus & Sulphureus, materia fulguris & fulminis; ex natura salsa ignea pulverulenta cum pauca aquositate fit vapor lapideus ut perhibent de ceraunijs vel alijs lapidibus, quæ per condensationem reiteratam in terram cadunt. Si autem & seminales materiæ simul eleventur, tunc fiunt insecta, etiam ranæ, quæ in aëre formatæ super terram decidunt.*

6. E-

6. *Elementum autem aëris magnum nunquam miſcetur cum iſtis, mixtura tam forti, ut in compoſitum quoddam intret, niſi fortè cum luce tanquam Diaphanum ejus inſeparabile vehiculum, niſi etiam in quantum prædictæ partes elementales ſimplices de ejus natura ab ipſo Creatore receperunt. In naturalibus autem mixturis & compoſitionibus ipse aër vadit per omnia, cui nullum corpus craſſius ipso reſiſtere poteſt, & ſic omnia replet, & ab omnibus etiam reliquis corporibus repletur, ſicut ſupra dictum de vacuo.*

7. *Cum autem elementum aëris miſcetur cum ſubſtantia ſpirituali ſeu lucida, tunc inde reſultat ignis, qui elementaris vocari poteſt, ſi videlicet mixtura fuerit inſeparablis, ut lucis & diaphani; ſi verò cum diſtinctione miſcentur, tunc fit inde aliquid de natura rari & calidi, utpote dum firmamentum per lumen ſolis repletur, vel à Luna, vel aliis ſtellis reflexum, vel per lumen circumfuſum cujuscunq; corporis lucidi: hæc autem compoſitio nequaquam nomen elementi meretur, cum ſit merè accidentalis.*

8. *Lux autem ſeparata per ſe ſola conſidera-*

ta est verum Elementum ignis, quod de omnium naturis participat, omnibusq; naturis permiscetur separabiliter & inseparabiliter, conspicitur enim in pulvere, phlegmate, sale, firmamento licet oculis nō pateant omnia ista, nisi fuerint illuminata, unitur etiam cum vita & omni anima, cum omnibus formis, & tamen differt ab omnibus, unde est verum vinculum totius universi.

9. Si lux in compositionem venerit cum vita generaliter & simpliciter sumpta, tunc fit inde spiritus vitalis, totum permeans universum corporeum. Si autem cum Anima sensitiva, tunc fit spiritus phantasticus seu animalis, subtilissimus, lucens, & illuminans formas & materias seu species internas, in loco memoriæ animalium residentes. Et tunc est instrumentum animæ rationalis proximum ad operationes suas in corpore exercendas: cum qua tamen facultate rationali immediatè non copulatur, sed tantum cum duabus facultatibus prædictis, vita scilicet & sensu.

10. Si Vita & sensus tantum conjungantur & componantur in natura animarum, tunc

fiunt

fiunt animæ Zoophitorum, & stupidiorum ex animalibus, & quò plus sensus cum vita coeat, eò perfectior fit creatura sentiens. Hic si aliquid de forma vel natura rationis accesserit, resultat inde animal sagax & aliquantulum accedens ad naturam hominis.

11. *Si autem Ratio perfecta uniatur cum vita & sensitiva natura, tunc fit inde creatura verè rationalis: Cui si de natura intellectus accesserit, fit aliquid supra statum hominis ordinarium: hæc tamen differentia nobis tantum apparet ratione usus seu exercitij intellectus. Omnes enim animæ rationales de intellectu participāt necessariò, cum Ratio nihil aliud sit quam lumen quoddam intelligibile, dispersum in essentia vitali, cujus centrum est ipse intellectus.*

12. *Si autem intellectus cum ratione prævaluerit sensitivæ & vitali naturæ, tunc fortè aliqua resultat creatura Angelica ex inferioribus: Et si intellectus summoperè prævaleat, tunc sane erit natura Angelica perfectior.*

13. *Quod si tandem tota natura animæ coeat cum natura spirituali vel lucida, tunc*

 fortè

forte erit excellens quædam natura angelica.

14. Et si tota natura animæ perfecto modo cum lucida simul & corporea copuletur, tunc necessariò inde resultat natura humana excellentissima, qualis videtur fuisse Adami ante lapsum. Si autem conjunctio fiat cum natura corrupta, tunc nobis exemplum præbet S. Joannes baptista, qui à Deo ipso vocatur Angelus, & à Christo prædicatur major omnibus, qui ex mulieribus fuerat natus,

15. Quòd si verò Deus ipse conjunctionem introiverit cum tota Creatura creata, tūc meritò Universum vocari potest, non quod Deus consideretur tanquam pars compositi, sed tanquam Dominus & gubernator, & quia tunc omnia sunt unita, & à Deo possessa.

16. Quòd si verò conjungatur Deus cum mundo minori seu centro, quod est homo, tunc etiam fiet talis conjunctio, qualis est ipse mundus minor & præsentia Dei, quā conjunctionem universi abbreviati vocare possumus. Hac autem considerari potest tripliciter: primo si spiritus Dei aliquem hominem ad tempus repleat, ut Prophetas &

arip. homine.

& Apostolos. Deinde, ubi Divinitas semper & perfectè copulatur cum humanitate, ast imperfecta ratione passibilitatis, qualis fuit Christi in statu suæ humilitatis: Tertio si humanitas fuerit iterum renovata & glorificata, sicut in Christo post resurrectionem & ascensionem in cœlis, qualis erit & nostra, quam beati facti in & per Christum possidebimus in vita futura.

17. Quòd si tandem mundus major corporeus novus atq; perfectus, & mundus minor seu homo, similiter perfectus redditus, cum tota natura lucis & angelorum in unum perfecto modo conjuncti fuerint cum Deo & Domino suo infinito: tunc utiq; inde resultat compositum perfectissimum & infinitum, ultra quod nullus humanus intellectus ascendere potest. Hic ergò est solus desideriorum terminus & vera beatitudo. Ad hanc omnis, qui verè beatus esse desiderat, tendat necesse est, aliàs sine fine desiderij per infinitum bonum adimpleto erit infœlix. Fugiamus ergo hinc, ut cum Deo uniamur in æternum, quod mihi & omnibus bonis concedat Deus sanctissimus, gloriosissimus, & omni laude major, & tamen laudatus in secula seculorum, qui est

Deus

Deus Unus in substantia sua, Trinus in Personis sine divisione: & tandem infinitus in sua perfectione: Infinitus unitate substantiali: Infinitus etiam multitudine benignitatis, sapientiæ & misericordiæ; Cujus vita nullum habet principium, & cujus dierum non est numerus neq; finis.

INDEX GENERALIS.

Pars Prima continet sequentia.

Præfatio describit intentionem totius libri.

CAP. I.

De Chao & eius partibus ac Causis.

PRincipium temporis seu ejus momentum primum. - 1.
Causa Efficiens Deus Creator. . 1.
Chaos & ejus partes tres, Cœlum, Terra, Aquæ, - 2.
Terra creata qualis fuerit. - 2.
De Abysso. - - 2.
Forma & materia Universi sphærica. 3.
Ordo partium in Chao. - 5.
Spiritus sanctus introducens vitam & formas in Chaos. - 6.
CreatioLucis cum recapitulatione partium totius Chaos. - 9.
Causa Efficiens Deus Creator S. Trinitas. - - - 10.
Lux est Forma substantialis totius universi cum Forma sphærica. 11.
Quod verè contraria nō dentur in mundo, sed tantum diversa. - 15

Cap.

Cap. II.

Separatio partium creatarum.

Separatio lucis à tenebris qualis, & quomodo facta ſit. - 17.
De diebus primis ante productionem Solis cœleſtis. - 21.
Temporis initium mobile. 24.
Refutatio opinionis de motu terræ. 24.
De Natura lucis. - - 26.
De Tenebris, quid ſint, & quomodo differant à Materia prima. - 30.
Quomodo ex veſpere & mane dicantur conſtare dies primi. - 31.
Separatio aquarum ſupercœleſtium ab inferioribus, quæ fuit ſeparatio denſi mixti. - - 36.
Separatio firmamenti quæ fuit rarià denſo mixto. - - 38.
Separatio terræ & maris quæ fuit ſolidi à fluxibili. - - 41.
De Forma terræ & captivitate maris tumentis. - - 42.

Cap. III.

Globi terreni formatio ſpecifica.

De tertio actu Divino qui fuit formatio

partium individualium universi in partibus universalibus. 44.
Globus terræ formatus est ex mixtura mineralium iuterius & per vegetabilia in superficie. - - 47.
Differentia terræ creatæ à separata & ornata. - - 47.
Mundum non posse existere ab æterno demonstratur ab origine formarum specificarum & circulo generationis. - - - 48.
Causa Efficiens separationis tam generalium partium quam specificarum fuit S, Trinitas. - 51.

Cap. IV.

De corporum coelestium productione.

Ordo Divinæ Sapientiæ admirabilis in fabricatione universi, 56. 59.
Stellæ sunt individua cœli & animalia motabilia non cognoscentia. 61.
Dies quartus fuit principium productionis creaturarum ex seipsis mobilium, unde iterum refutatur opinio de statu & loco solis & motu terræ, 61.
Laus solis debet esse moderata. 67

De materia ſtellarum. 67.
Unde Aſtra fuerint producta. 71
De materia Solis cœleſtis. 73.
An in ſole etiam ſint tenebræ. 75.
Cauſæ finales productionis aſtrorũ. 78.
De Aſtrologia. 79
De cœlo Empyrio. 82
Imago S. Trinitatis in partibus & productione univerſi. 86
De ſtatu beatorum & damnatorum ex dicto Chriſti de Lazaro & divite. 88.

Cap. V.

De Animalibus diei quinti & ſexti.

Triplex genus animalium aquaticorum. 90.
Triplex genus animalium terreſtriũ. 93
Locus volatilium & cur Firmamentum nihil produxerit ex ſua ſubſtantia. 94
Firmamentum eſt locus corporũ formatorum totius univerſi. 94.
Imago S. Trinitatis in prædictis & firmamentum imago abyſsi. 96.

Cap. VI.

De Vita univerſi & animalium.

Intro-

Introductio vitæ universalis in Chaos per agitationem spiritus sancti. 98.
Omnis vita corporea ex chao iterum prodiit Deo jubente. 99. 100.
Animæ rationales immediatè à Deo producuntur. - - 101.
Differentiæ & species vitarum 101
Quomodo Spirit⁹ sanct⁹ spiret vitas. 102.
Animæ brutorum post creationem ex terra productæ iterum ad terram revertuntur & inde prodeunt. 102.
Platonici malè loquuntur de tertio rege quiest auctor vitæ. - 103
Anima universi est simplex vita non habens cognitionem. - 104.
Differentia inter animam, quæ libertatis imagine dotata est, & quæ simplex vita existit. - - 105
Sententiæ variæ de animabus brutorum. - - 107.
Doctrina S. Dionysij de speciebus vitarum. - - 110
Dictum auctoris. - - 114.
Interpretatio dicti Ecclesiastis conciliians contrarietatem ibi apparentem, & quod anima hominis sit à Deo & ad ipsum redire possit. - 117.

PARS SECUNDA.

Præfatio explicat causam hujus inquisitionis. - - 1.

Cap. I. De Animalibus.

Forma externa corporum - 4.
Forma substantialis corporea interna. 8
Forma compositi quæ est anima animalis. - - . 14.15.
De materiis animalium, quæ sunt semẽ & nutrimentum. . 15.
De anatomia triplici corporum & ejus utilitatibus - - 21
De Causis efficientibus animalium & quæ sit præcipua. - - 30.
De modo Formationis animalium 34.
Quæstio an formæ substantiales corporeæ pereant post dissolutionem compositi? - - 37.

Cap. II. De stellis.

Occasione sumptâ ex cap. præcedente tractatur de sensibus internis, quos animalia habent communes cum homine, scil. Phantasiam, Imaginationẽ Memoriam. - - 48.
De ocularibus Galilæi. 55.

Figmentum de Mercurio increpante Astronomos - - 59.
Raptus auctoris ab Apolline stylo poëtico descriptus - - 65.
Excusatio auctoris, cur figmenta veritatibus philosophiæ admisceat 75.
De corpore solari & ejus virtutibus illuminantibus & vivificantibus, & digressio de visione quomodo fiat. 76.
Quod cœlestia nobis non nisi generaliter innotescere possint. 85.
Conclusio de illuminatione rerum, ab exemplo illuminationis salvatoris ex vultu Patris, atq; de beatitudinis futuræ gaudio ex typo mundano. 86

Cap. III. De Globo Terræ.

De vegetabilibus & eorum Causis 88.
De Lapidibus & eorum causis . 100.
De Mineralibus & eorum Causis ex doctrina Basilij Valentini Monachi Benedictini philosophi incomparabilis. - - - 139
De sulphuribus - - 174
De salibus. - - 179.

Cap. IV.

De Elementis simplicibus.

Opinio vel doctrina vulgaris de Elemẽtis, - - - 199.
Error magnus de orbe igneo super aërẽ gyrante & unde sit ortus. 200
Error de conversione Elementorum & ejus origo, - - 203.
Fons idolatriæ gentiliũ ex fabulis Chymicorum. - - 205.
Malum in medicina ortum ex Theophrasti dictis sinistrè intellectis. 205
De Elementis veris simplicibus. 207
De methcoris vaporosis. - 208.
De natura & mutationibus aquæ. 209.
De Ventis, - - 212
De Igne. - - 217
De triplici luminie - 218
De Coloribus. - - 218.
De Igne flammante, Olei, camphoræ, & Nitri. - - 221

Cap. V. De Luce.

Lux omnibus naturis rerum assimilatur. -- -- 228
Lucis causa efficiens Creator contra Platonicos. - - 230

Pla...

Rationes affirmantium lumẽ esse corpus. - - 231.
Rationes negantium lumen esse corpus. - - 234.
Quod lumen sit potius aliquid formale. (245.
Quod in lumine sit Forma quantitativa Continui. - - 248.
Lux est Forma substantialis, quia per se creata est. - - 250.
Lumen non est qualitas sed causa qualitatum & accidentium. 250.
Lumen est Forma formans non Formata. - - 254.
Lucis proprietates spirituales. 255.
Lumen est substantia media inter corpoream & incorpoream. - 258.
Quomodo detur vacuum & non. 263.

Cap. VI.

De Materiis & Formis rerum.

Materia proxima corporum est semen. 265.
Partes corporum resolutorum sunt partim simplices, partim mixtæ adhuc resolubiles. - - 266
De oleo & ejus speciebus. - 267.

De ſale & ejus partibus. - 268
Partes ſimplices Univerſi ſunt Pulvis, Phlegma, ſal, æther, & lux 270
De ſpecificatione Elementorum ſimplicium, dum componuntur ſub & cum formis ſpecificis. 271.
De Formis Elementorum ſimplicium. 271.
De Materia prima Univerſali, quæ eſt ſubjectum Formarum - 272
Recapitulatio de omnibus materiis. 278
Quomodo materia prima informetur per formas Elementorum. 279
De Formis quæ ſunt in Cauſis Efficientibus. - - 282.
De Formis quæ ſunt in materia. 285.
De Formis viſibilibus. - 285
de Formis ſenſuum internorum imaginationis, memoriæ, phantaſiæ. 286.

PARS TERTIA.

Contenta Præfationis ſunt: Quod religio omnibus ſit quaſi connata. De triplici Dei cognitione Naturali, ex revelatione, ex doctrina. In hoc tractatu inveſtigatur Deus per naturalem cognitionem ex Micro- & Macrocoſmo.

Cap.

Cap. I.

Indagatio Dei generalis in Micro- & Macrocosmo.

Hæc via progreditur aſcendendo perveniens usq; ad ſilentium circa caliginem Dei. - - 1.
Via deſcenſionis eſt via eloquii, dum de Deo aliquid affirmamus. - 6.
Modi tres loquendi de Deo, Negationis, Affirmationis & mixtus; de quibus tractatur. - - 8.

Cap. II.

Indagatio Dei ſpecifica ex Formis Quantitativis.

Quod ex omni imagine creata, Creator poſſit inveſtigari, & quod indagatio ex Formis Quantitativis ſit aptiſſima pro demonſtratione S. Trinitatis in in Creatore. - - 11
Auctoris demonſtratio triplex S. Triunitatis, ex natura Numerorum, qui ſunt Formæ quantitatis diſcretæ; per modum dialogi more Socratico & Platonico. - - 13.

Demonſtratio S. Triunitatis ex Forma ſphæræ, quæ eſt quantitatis cõtinuæ. 22.
Quod nõ poſſimus capere Unum & Trinum ſimul ratiocinando, & cur. 24.
Quod intellectus rationes conſideret ſimul & uno intuitu. 26.
Quod unum & multum Cauſæ vel Principij appareat non ſolum in numeris & ſphæra ſed etiam in omnibus aliis creaturis. - - 27.

Cap. III.

Dicta Sapientum de S. Trinitate.

Dictum Democriti pulcherrimum. 28.
Mercurij Trismegiſti. - - 29.
Platonis de tribus regibus quod non differt à demonſtratione ab auctore præmiſſa, & quod à diſcipulis Platonis malè fuerit intellectum & propagatum. - - 29.

Cap. IV.

Doctrina Chriſtianorum de S. Trinitate.

Doctrina univerſalis Chriſtianorum Eccleſiæ. - - - 32.
Dicta S. Dionyſij Areopagitæ. 33.
Dictum Marſilij Ficini. - 34.

Laus

LausS.Trinitatis,composita ab auctore sub nominibus,Bonitatis essentiæ,in Deo Patre: - - 37
Formæ Sapientiæ in Deo Filio. 40.
Vitæ æterni amoris in Deo S.Sancto. 45.
Confirmatio prædictorum generalis per dicta sapientum ex Apocryphis S. Literarum ut plurimum desumpta. - - - 48.
Objectio ex Ecclesiastico cum solutione. - - - 56.
Enucleatio pulcherrimi & profundissimi dicti Sapientis,de sapientia Dei. 58.
Recapitulatio brevis. - 64.
Objectio de attributis Dei variis & ejus solutio. - - 65.
Alia objectio judæorum de Uno & Trino cum solutione. - 68
Quod Unius & Multi ratio sit difficilis captu, ab exemplo Parmenidis & Socratis probatur. - 70.
Solutio objectionis de ordine Personarum S. Trinitatis, - 74.
Duplex error Socratis circa cognitionē & investigationem principij. 74.
Cap. 5.
Imago S. Trinitatis apparens per totum Universum.

Tanquam Causæ Causarum seu Creatoris generaliter. - - 78.
In materia & forma, ac vita omnium rerum. - - 81. 82.
In triplici substantia creata, corporea incorporea & media. - 83.
Quomodo differat Creator à Creaturis, ubi occasione data tractatur breviter de natura incorporea eò ut opus fiat sphæricum & completum. 85 91.
De compositione triplici Formæ cum Materia: & quod tam materia quam Formæ quantitativæ portent imaginem infiniti, quæ sola Dei voluntate finita redditur. - - 87. 88
Particulariter specificatur imago S. Trinitatis in omnibus rebus & partibus Universi. - - - 92.

Cap. VI.

Quomodo Creator Infinitus existens seipsum definierit, ut à Creaturis capi, & cum ipsis uniri possit.

Per Verbum Creationis, tradendo creaturis suam imaginem dum producebat ipsas ex nihilo. - 96.
De compositione universi ex mundo corporeo per substantiam mediam. 99.

De

De abbreviatione & recapitulatione creationis universi in homine. 102.
De casu creaturarũ ex perfectione creata, qua occasione secuta est secunda Dei definitio per verbum propheticum revelatum. - - 105. 106.
Hæc cum non sufficeret ad totam perfectionẽ accumulandam, addidit tertiã se ipsum definiendo, non amplius in imaginibus creationis & sonis verborũ, sed in vero Deitatis Verbo æterno cum natura humana in Christo, quæ est miraculum, omnia superans miracula. - - 106.

Conclusio.

Continet summam rerum.

In recapitulatione partium universalium mundi. - - 108.
In compositionibus particularibus inde resultantibus, unâ cum finali unione Creatoris & Creaturæ, quæ est absolutio totius bonitatis. 110. seqq.

FINIS.

DEO SOLI GLORIA.

ERRA-

ERRATA.

Prior numerus paginam, alter lineam notat.

In prima parte.

4. *Sumptæ pro sumpto.* 11.
coarctabile 18.
9. *Continebantur* 18.
11. *aut vita* 11.
12. *ex textu* 12.
15. *& recedẽte Deo* 22.
16. *Contraria autem* 19
17. *tenebras Dei latentis, lucem apparentis* 4.
Coguntur 15.
18. *sola lux separata* 12
19. *Formæ* 9.
20. *involuta* 22
21. *videamus* 18.
factum 19.
24. *totum* 16.
quantitatum 23.
quodsi 25.
25. *motricem* 5.
tale quod 10.
de omnibꝰ naturis 19.
28. *subtilissimũ quoddam compositum mediæ naturæ.* 10.
29. *procedant* 3.
30. *quid sentiendũ?* 20.
31. *anima nostra* 13.
34. *adventu* 10
aliquod 13.
35. *ortus* 12.
36. *sub expansione ab aquis quæ erant super expansionẽ* 14.
Indefinitum pro infinitum 18.
37. *connexa pro convexa* 3.
39. *Sapone* 18.
41. *in quibusdam* 14
autem pro enim 17.
45. *ad sensum* 24.
49. *cum* 17.
continent 18.

53. *te-*

ERRATA.

53. *testentur* 27.
55. *partim* 26.
58. *differentia* 21.
60. *revelaverit* 9.
sensui 15.
simus 21.
67. *Causa pro creaturæ* 18.
69. *moderni* 24.
72. *fabricatas* 7.
73. *Vnum* 12
76. *separatio totalis non tam* 19.
77. *vero pro enim* 3.
82. *influavat* 4.
accidit 9
84. *habentur* 6.

sit 19.
85. *desumptam* 8.
æri 12.
dimittit 16
89. *calida* 21
93. *pisciculi* 3.
creatus 11.
animabus 26.
103. *plenum* 4
attribuant 16.
sicuti 18
Constituerunt 25.
quem 26.
111. *patres* 25.
117. *& quo major* 8.
Ecclesiastis 21.

In Secunda parte.

4. *Colorati* 21.
10. *nationali pro rationali* 1.
ejus pro operi 6
16. *ovipara* 6.
tantum 8
18. *ambeduæ* 17
21. *medius est* 8.
materia; tum 10.
32. *stellarum.* 23.

36. *accidit* 5.
38. *magis magisq;* 5
40. *dependeat* 18.
41. *magnetica* 18
50. *cohærentiam totorum* 16.
51. *consuevit* 25.
53. *dissolubilium* 10
54. *Contrarius* 17.
juventutem 27.

ERRATA.

59.	*monticulos*	2.
63.	*praciperet*	8.
64.	*agimus*	15.
71.	*viles*	5.
	ad qua	27.
72.	*extollas*	3.
77.	*excipio*	9.
80.	*egredi, dum*	26
83.	*duce*	1.
84.	*luminalia*	2.
91.	*Semina*	25.
92.	*est differens ab anima*	9.
95.	*corporeum*	12.
96.	*huic operi*	11
	Pantagruele	13.
	Convivia	15
	indicare	23.
98.	*dirigit*	4.
102.	*Galba*	13.
	flammans	21.
103.	*erucis vermibus*	
	similis	16.
	oppositionem	25
104.	*& ipsis*	22.
106.	*connexos*	18.
107.	*quia*	9.
110.	*Zonatis*	4.
112.	*qua in*	22
116.	*connectit*	18.
119.	*apertior*	16.
122.	*Nitro, sulphure*	24
123.	*Idem*	1.
125.	*tum pro dum*	20.
134.	*quaso ne loquantur*	6.
	opus earum	6.
136.	*removenda*	19.
138.	*condensantur*	8.
	corticis	22.
143.	*magnetica*	15.
148.	*solidiorem*	21.
152.	*genuina*	17.
156.	*fiat pro sint*	22.
158.	*Lullij pro Sullii*	18
169.	*quo pro qua*	20.
	Solis pro salis	15
179.	*Compar*	10
	mundam	15.
196.	*hac pro hoc*	2.
201.	*vox pro nox*	20. (25.
211.	*nix pro vix*	12.
216.	*Intensionem*	13.
218.	*Color*	13.

ta-

ERRATA.

tale 15.
222. unitorum 22.
224. Sine pro sive 25.
227. quot 18.
238. cerneretur 27
254. quasi 3.
259. porrectum 20.
261. indistinctè 24.
269. ars pro aër 7.
274. sine pro sive 10.
278. universales 14
284. sine pro sive 16.

In tertia parte.

3. Autem pro enim 12
6. tunc pro hinc 17.
24. sine pro sive 1.
28. deserebamus 8.
29. plusquam multu 1.
43. agendo 13.
49. imago ipsi similis
50. ipse 4.
59. Sine pro sive 22.
63. superius pro superior 3.
73. sed 15.
80. sine pro sive 2
84. impropriè 6
defectu 17
88. componantur 10
91. propius pro proprius 11.
92. movente pro movente 5.
64. dominium pro dominum. 3
96. voluntate 21
104. percipitur pro percipiatur 3.
abstrusa pro obstrusa 14.
105. dejectus pro dejecta 23.
sanaretur 27.
108. operibus 6.
112. aquæ 3.
nitrosius pro vitrosi? 19.
113. ejus pro jus 5.
videlicet 17.
117. adimpleto 22.

Vigilantibus dicebat Heraclitus unum comu-
nem esse Mundum, dormientes in suum quemque di-
scedere. Part. 2. fol. 32.
Hoc ideo dictum credo, quia memoria homi-
nis, in qua omnium rerum species continentur
[illegible], Mundus quidam esse videtur. In
quem Mundum anima, cum sensus separantur, ut
plurimum, divertit; et idola illa vel ut
sunt conspicatur, vel maiora aut minora
reddit, vel ex pluribus unum componit, quo
fit ut somnia mille modis varientur; et prae-
cipue cum spiritus animales ebriaculi, [illegible]
agienti non aliter [illegible], quam [illegible], qui [illegible]
[illegible] Turbam [illegible], et pulmonum, palato, [illegible]
nos alio praemisit.

Fol: 269. Authoris sententia est virtutum medica-
mentorum retineri in sanguine etc. sed forsitan non
ita se res habet. Ad instantiam vero quod si hoc non
daretur, nulla esset medicina practica, respondeo
medicamina tunc agere, cum a calore ventriculi disso-
luta spiritus emittunt suos, qui spiritus aegroti spiri-
tibus mixti suas exercent operationes. Probatur ex-
perientia, videmus enim infirmos ex sumpto pharmaco, dum-
modo benignum sit, et naturâ minime exigitur, melius se
~~habere [illegible]~~
~~[illegible]~~, et opinio nostra vera est, hoc me-

dices summopere curandum esse, ut in ægris remedia e[xhi]beant, quæ facile dissolui possint, et naturæ amicabili[a] censentur. Nam quæ difficulter fermentationum admi[ttunt] ~~[illegible]~~ sumentium vires debilitan[t] et quæ ~~perturbationes~~ inducunt omnino detestabilia [sunt] hostium similtima, qui urbem ingressi aliquam non [in]dirigunt semper, sed quandoque etiam irruunt, incen[dunt] sed hæc obiter. Experimur hæc etiam in alimentis, nam s[i] quis labore exhaustus cibum sumit, paulo post se refectum p[er]cipit, quod spiritibus eo modo quo [illegible], certissime debetur

Hegienoeum est [illegible] ibidem auctoris ut videre es[t] ~~[illegible]~~ pagina 45 et 46. Parris 2[illegible]

Sumer 141. [illegible]

antequam in stomacho elaboretur

alcamus salis 193 [illegible]
sal sambuci 185 = 185

Abyssus dupliciter considerari potest, vel pro omni universi spatio, vel pro hisce parte illa, in qua [illegible] [illegible]. in prima consideratione est quiddam indefinitum et incorporeum: in secunda, corporeum, ac definitum

Superficies est exterior pars alicuius corporis. Hinc superficies totius Mundi corporei est pars illa universi, quae [illegible] a nullo corpore occupatur. Quamobrem hoc modo considerata superficies non [illegible] extra, sed etiam intra quaeque corpora reperi[illegible]. Significat nihil aliud [illegible] inane, et locus. Quod inane, locus [illegible] [illegible] sua ratione [illegible]

[illegible]

[illegible] est forma, seu species sui ipsius ex se ipso, ab [illegible] [illegible] infinita, et incomprehensibilis — [illegible] autem formae ab ipso ex nihilo producuntur [illegible] considerantur per comparationem quandam desumpti ex humana [illegible] — Quae ita sibi fabricat phantasmata, rationes, et intelligentias, ut Deus produc[it] [illegible] substantias corporeas, seu seminales [illegible] [illegible] realis, animas, rationales, mentes, Angelicas [illegible] 283 [illegible]

Pag. 120. Lin. 17. Agit de liquoribus quibusdam, [illegible] variis Lapidum genera solvuntur. Liquores tamen [illegible] subticet. Verum ego apud alium invidiam [illegible] me nimi aliquid simile, sed mercurius, unicus sar[illegible] menstruum ex vegetabile [illegible] sal [illegible] quod tandem [illegible] particularibus solutione [illegible] [illegible] preparandi, qui facillimus est, [illegible] sal [illegible] singulis [illegible] efficitur. Vegetabilibus [illegible] quis hanc [illegible] magnam sibi [illegible] ad majora [illegible] inveniendi. Sciat ergo [illegible] cum invicem connexa esse, ut [illegible] primum, [illegible] [illegible] [illegible] nullis interrogatio [illegible] Testis [illegible], in qua aurum quandoque [illegible] et Syria, in qua Ligna, ut ita dicam, [illegible]

Pagina 266. agit de duplici oleo quod in solutione cuique rei reperitur, additque unum esse subtile, alterum vero crassum ac nigrum etc. De his et quomodo divisim extrahantur e compositis, [illegible] scribit Fluddus in Historia sua Macrocosmica, [illegible] utriusque differentiam, et primum Aethereum appellavit, atque alia plura nomina dignissima.